Sed quod nodum omnino solvit veramque appendicum naturam optime explicat, est nova plantula, e Brasilia allata, novum genus formans, *Lacin* inter et *Mniopsidem* medium. In hac flores praediti sunt perigonio bene evoluto, e tribus partibus constante. Cl. *Kunth*, has appendices calycis partes dicens, veritati certe proximus; nam ex supra allatis facile patet, eas pro perigonii partibus habendas esse.

Inter omnia quae novimus vegetabilia, *Lacis*, structura et habitu, proxime *Podostemoni Rich.* affinis. Est tanta harum plantarum similitudo, ut primo intuitu vel *Lacis* pro *Podostemonis*, vel *Podostemon* pro *Lacis* specie agnoscatur.

Descriptio floris Podostemonis autem, qualis, in opere *Michauxii* *) data, serius a Cl. *Nuttallio* aliisque auctoribus admissa est, falsa de floris structura opinione nititur, verae naturae minime conveniente. Flores nempe a laudatis viris pro monoïcis habentur, et stamina, quamvis pistillo approximatissima, pro flore masculo distincto declarantur. At floris structura minime ita complicata, sed vere simplex est; flores enim evidenter hermaphroditi, diandri. Stamina, auctoribus stipite proprio suffulta dicta, filamentis longiusculis praedita sunt, quibus a basi ad medium usque inter se et una cum appendice, apice suo in angulo inter partes filamentorum liberas prominente, cohaerent. Hanc quoque structuram Cel. *Kunth* bene perspexit, conservans tamen Podostemon genus, tam ob coalitionem staminum, quam ob horum appendicumque numerum a *Laci* genere (*Marathro* suo) recedens, cui novam simul speciem addidit.

*) Flor. bor. amer. T. II. pl 164.

Staminum autem numerus in genere *Lacis* adeo variabilis est, ut alius in alia specie reperiatur; quare pro charactere generico constituendo nequaquam servire potest, nisi tot genera, quot species sunt, formare velis. Filamenta, basi dilatata, etiam ad concretionem valde proclivia sunt, ita ut modo libera, modo per paria, imo omnia inter se coalita inveniantur.

Verum enim, solam hanc filamentorum coalitionem *in his plantis*, pro generis nota admitti posse, nemo erit qui contendat. Naturalem generis seriem nimis artificali distinctione divellere non licet. *Podostemon* genus cum *Laci* genere unum idemque esse natura ipsa voluit*).

Quem locum haec vegetabilia in systemate naturali tenere debeant, difficile dictu. Cel. *Lindley* dicotyledoneis ea adscribsit, argumentis tamen vix sufficientibus. *Ill. Martius* de affinitate eorum egregie disseruit, ita ut vix habeas, quod addas. Ad Alismaceas, tam ob semina exalbuminosa et embryonis formam, quam ob perigonium in *Philocrena* ternarium accedere videntur.

---

*) Ordinis nomen *Podostemoneae* itaque mutandum: dicatur a *Philocrena* nostra, mox describenda, *Philocrenaceae*

LACIS *Schreb.*

Charact. different.

Perigonium simplex (raro abortu nullum), partibus appendiciformibus numero indefinitis. *Stamina* indefinita (2 — 40) hypogyna, libera l. monadelpha. *Stigmata* duo. *Capsula* striata, bilocularis, bivalvis.

§. 1. Staminibus liberis.

1. *L. fluviatilis* W.

Caule simplici, foliis multifido-laciniatis crispis, siccis utrinque asperis, floribus spicatis polyandris.

L. fluviatilis W. sp. pl. p. 1225. — Persoon syn. II. p. 81. — Mourera fluviatilis Aubl. gujan. I. p. 582. t. 233. — Lam. Illustr. tab. 480.

Hab. in Gujanae fluviis. *Floret* fructificatque Novembri.

2. *L. aspera.* n. sp. Tab. 2.

Caule simplici, foliis laciniato-sinuatis, undulatis, subtus laevibus, siccis superne asperrimis; floribus pseudo-racemosis oligandris.

Radix non visa.

Caulis brevis, basi incrassatus, difformis.

Folia magna, petiolata, l. potius in petiolum planum, pl. min. longum attenuata, laciniato-sinuata l. runcinata, undulata, plana, venosa, subtus laevia, supra papillis numerosis obsita, inde in sicco asperrima, pedalia et ultra, 6 pollices circiter lata.

Flores pseudo-corymbosi s. potius (spica contracta) fasciculati, terminales in pedunculo crasso, anguloso, glabro, versus apicem dichotomo l. ramoso, 6 — 7 pollices et ultra alto.

Spatha monophylla, membranacea, alba, florem primum arcte includens, demum irregulariter rumpens pedicellique basin laxe vaginans. *Pedicelli* simplices,

erecti, angulosi, striatuli, glabri, spatha 3 — 4-plo et ultra longiores, apice parum incrassati.

Perigonii lacinulae indefinitae 5 — 8, inaequales, cum staminibus alternae eisque multo breviores, lanceolatae linearesve.

Stamina numero indefinito 5 — 8 — 10, longitudine pistilli. *Filamenta* basi dilatata, apice subulata, linea media rubente notata. *Antherae* erectae, lineares, sagittatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. *Pollen* subovale, flavum.

Ovarium oblongum, 8 — 10-striatum, glabrum. *Stigmata* duo, divergentia, crassiuscula, sesquilineam longa, acutiuscula, emarginata.

Capsula elliptica, glabra, lineis 8 — 10 prominentibus striata, interjectis hinc inde brevioribus, stigmatibus persistentibus coronata, lineas 2 longa, bilocularis, bivalvis: valvulis longitudinaliter ab apice ad basin dehiscentibus.

Placenta centralis, oblonga, compressa, margine membranacea eoque valvularum marginibus adnexa atque dissepimentum formans, utrinque seminibus dense obtecta.

Semina numerosa, ovata, fusca, praeter *testam*, membrana tenuissima spumoso-cellulosa, reticulata, alba, obducta et marginata.

Hab. In saxis ad cataractas Rio-Tiéte. *Floret* Augusto.

3. *Lacis fucoides* Mart. Nov. gen. pl. I. p. 5. t. 2.

Caule ramoso erecto l. fluitante, foliis frondiformibus laciniatis; floribus solitariis oligandris.

Hab. In flumine Itahype, Prov. Bahiensis. *Flor.* Decembri.

4. *Lacis foeniculacea.* *Mart.* l. c. pag. 6.

Rhizomate difformi, foliis repetito-pinnatisectis: segmentis setaceis; floribus solitariis, oligandris.

Marathrum foeniculaceum H. Bpl. pl. aequinoct. p. 39. t. 11. *H. B. K.* 1. p 197. — Presl. Reliq. Haenk. p. 90.

Hab. in Americae aequinoctialis aquis.

5. ***Lacis Riedelii*** n. sp. T. 3.

Caule sterili foliato, foliis 2 — 3-pinnatisectis: segmentis capillaribus; fertili dichotomo-ramosissimo membranaceo-alato aphyllo; floribus solitariis oligandris.

Radix non observata.

Caulis sterilis foliatus, fertilis aphyllus, dichotomo-ramosissimus, compressus, membranaceo-alatus.

Folia 2 — 3-pinnatisecta: segmentis capillaribus; foliis *L. foeniculacei* similia, 5 pollices (in nostris speciminibus) longa, viridia.

Flores in ramulorum axillis l. lateribus solitarii, e duplicatura membranacea, alba erumpentes, pedicellati.

Spatha monophylla, membranacea, alba, primum clausa floremque includens, demum rumpens, plerumque in lobulos 4 — 5, raro plures discedens, pedicelli basin cingens.

Pedicellus erectus, glaber, striatulus, apice parum incrassatus, spatha plerumque duplo longior.

Perigonii lacinulae saepissime 3, inaequales, lanceolato-subulatae, unilaterales.

Stamina saepissime 2 (rarius 3 — 4), longitudine pistilli. *Filamenta* subulata, linea longitudinali notata. *Antherae* erectae, sagittatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, flavae. *Pollen* globosum, flavum.

Ovarium ovale, glabrum, 8-striatum. *Stigmata* duo, divergentia, crassiuscula, apice 2-fida.

Capsula ovalis, glabra, 8-striata, apice stigmatibus persistentibus coronata, bilocularis, bivalvis: valvulis longitudinaliter dehiscentibus.

Placenta centralis, oblonga, compressa, foveolata, margine membranaceo cincta, quo valvularum marginibus adhaerens dissepimentum sistit.

Semina numerosa, minuta, subovata l. elliptica, fusca, praeter testam membrana tenuissima, spumoso-cellulosa, alba inflataque obducta. Testa firmior, fusca.

Hab. In saxis ad cataractas Rio Tiéte. *Floret* Augusto.

10*

6. *Lacis membranacea* n. sp. T. 4.

Acaulis, aphylla, floribus e rhizomate thallode aggregatis oligandris.

Rhizoma difforme in membranam irregularem fungosam, thallum fungorum quorundam aemulantem, abiens.

Folia nulla.

Flores aggregati e rhizomatis tuberibus erumpentes.

Spatha monophylla, membranacea, alba, primum dense florem includens, demum irregulariter fissa pedicelli basin vaginans. Pedicellorum nimis approximatorum spathae saepius in corpus unum, thallo analogum, confluunt.

Pedicelli aggregati, simplices, erecti, striatuli, angulosi, membranaceo-alati, glabri, apice parum incrassati, spatha plerumque multo longiores, pollicares et ultra.

Perigonii partes indefinitae, 3 — 4, raro plures, cum staminibus alternae, lanceolatae l. subulatae, inaequales.

Stamina 3 — 4, longitudine pistilli l. paulo longiora. *Filamenta* subulata, basi parum dilatata, linea longitudinali medio notata. *Antherae* erectae, sagittatae, biloculares, longitudinaliter intus dehiscentes.

Ovarium ovale, glabrum, striatum. *Stigmata* duo, divergentia, apice bifida.

Capsula elliptica, 12-striata, stigmatibus persistentibus terminata, glabra, bilocularis, bivalvis: valvulis longitudinaliter ab apice ad basin dehiscentibus.

Placenta centralis, elliptica, compressa, margine membranaceo-alata, valvularum margini adhaerens, valvulis parallela et dissepimentum formans.

Semina numerosa, minuta, ovata, obtusa, fusca, praeter testam membrana tenuissima spumoso-cellulosa, reticulata, inflata, alba, obducta.

Hab. In saxis ad scaturigines. *Floret* Julio.

Forma valde singularis, fortasse monstrosa, sed evidenter species distincta.

7. *Lacis pygmaea* n. sp. T. 5.

Caule dichotomo-ramoso, foliis caulinis frondiformibus laciniatis, floribus solitariis, axillaribus terminalibusve, oligandris.

Radix . . . . .

Caulis brevis, erectus, dichotomo-ramosus, complanatus, angulosus, glaber.

Folia caulina membranacea, frondiformia, laciniata, laciniis simplicibus, acuminatis; basi angustata, glabra, laevia, viridia, 8 lin. longa, 2 — 3 lin. lata.

Flores solitarii, axillares terminalesque.

Pedicelli erecti, parum angulosi, glabri, apice paulo incrassati, 2 — 3 lin. longi, basi *spatha* monophylla, primum clausa, demum irregulariter apice rumpente, cincti, eaque plus duplo longiores.

Perigonii lacinulae communiter 3, lineares, acuminatae, albae, membranaceae, linea media longitudinali nulla.

Stamina 2 — 3, hypogyna, libera, pistillum aequantia. *Filamenta* subulata, linea longitudinali notata, glabra, perigonii partibus duplo longiora. *Antherae* erectae, lineares, basi sagittatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, flavae.

Ovarium ellipticum, glabrum, striatum. *Stigmata* duo, crassiuscula, divergentia, lin. ⅓ longa, persistentia, apice obtusa.

Capsula elliptica, 8-striata, glabra, lineam longa, apice stigmatibus duobus permanentibus praedita, bilocularis, bivalvis, valvulis ab apice ad basin dehiscentibus, saepius altero latere cohaerentibus, altero, ore lato, hiantibus.

Placenta centralis, oblonga, compressa, margine membranaceo valvulis adnata dissepimentum formans, utrinque seminibus obtecta.

Semina numerosa, minuta, ovata l. elliptica, saepius irregulariter angulosa (an immatura?), fusca, praeter testam membrana tenuissima alba, spumoso-cellulosa, reticulata et inflata obducta eaque marginata. *Testa* firmior, fusca. *Albumen* nullum. *Embryo* conduplicatus, teretiusculus, albus.

Hab. ad scaturiginem Guyandara. *Floret* fructificatque Julio.

§. 2. STAMINIBUS MONADELPHIS.

*) Staminibus binis partim coalitis.

8. *L. ceratophylla.*

Caule filiformi coriaceo; foliis multipartitis, laciniis setaceis; floribus axillaribus solitariis.

PODOSTEMON CERATOPHYLLUM *Michx.* Flor. bor. amer. T. II. p. 164. tab. 44. — NUTT. Gen. of North. amer. pl. II. p. 202. — PERSOON Syn. II. p. 532. — SPRENG. Syst. veg. I. p. 95.

Hab. in rupibus fluvii Ohio.

9. *L. ruppioides.*

Foliis linearibus dichotomo-multifidis, floribus corymboso-fasciculatis, pedunculis longissimis.

PODOSTEMON RUPPIOIDES *H. B. K.* Synop. pl. aequin. I. p. 259. — SPRENG. Systema veg. I. p. 95.

Hab. ad rupes fluvii Orinocci.

**) Stamibus 7 — 11 omnino coalitis.

10. *L. monadelpha* n. sp. Tab. 1.

Acaulis (?) foliis frondiformibus laciniatis planis; floribus spicatis, perigonio abortivo.

Caulis videtur nullus.

Folia magna, frondiformia, petiolata l. potius in petiolum longum, planum, 5 — 6 lineas latum attenuata, apice laciniato-multifida: laciniis inaequalibus iterum lineari-divisis; 2 — 3 spithamas longa, membranacea, glabra, laevia, laete-viridia.

Flores spicati; spica longe-pedunculata, una cum pedunculo 10 — 12 pollices longa.

Pedunculus teretiusculus, glaber, siccus striatulus. Flores in spica distichi, e duplicatura membranacea in latere pedunculi erumpentes, primum sessiles, demum breviter pedicellati: pedicello 1 — 2-lineali.

Spatha monophylla, membranacea, alba, primum clausa floremque arcte includens, demum rumpens in lobulos plerumque tres, inaequales, pedicellumque brevem et floris partem aliquam amplectens.

Perigonium nullum.

Stamina 7, rarius 8 — 11, pistillum aequantia l. eo paulum breviora, hypogyna, monadelpha: filamentis in tubum, pistillum arcte cingentem concretis. *Antherae* erectae, lineares, sagittatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes, flavae. *Pollen* subglobosum.

Ovarium oblongum, glabrum, striatum. *Stygmata* duo, filiformia, divergentia, sesquilinealia, persistentia, apice obtusa.

Capsula breviter pedicellata, oblonga, 8-striata, glabra, 2 lineas et quod excedit longa, apice stigmatibus persistentibus instructa, bilocularis, bivalvis: valvulis ab apice ad basin dehiscentibus.

Placenta centralis, oblonga, compressa, margine membranaceo valvularum margini adnata dissepimentumque sistens, utrinque seminibus obtecta.

Semina numerosa, minuta, ovata et oblonga, obtusa, fuscescentia, praeter *testam* membrana tenuissima, alba, spumoso-cellulosa, reticulata inflataque obducta eaque marginata. *Testa* firmior, fusca.

Hab. in saxis cataractae Ribeiraô. (Rio Madeira). *Floret* Majo.

Adnot. Inflorescentia omnino *L. fluviatilis*; sed foliorum forma, floribusque oligandris monadelphis distinctissima.

---

*) Supra enumeratis speciebus addenda est *Lacis disticha Cham.* in litt., species nova et distinctissima, etiam in Brasilia a Sellowio lecta, quam autem ob imperfectum floris in nostro specimine statum neque loco suo inserere, neque definire ausim.

PHILOCRENA.

Charact. differentialis.

Perigonii partes tres ovatae concavae. *Stamen* 1 hypogynum. *Stigmata* 3. *Capsula* trilocularis, trivalvis.

Character naturalis.

Spatha diphylla, phyllis oppositis pedicellum cingens.

Perigonii partes tres, aequales, ovatae, concavae, membranaceae, albae, capsulam aequantes.

Stamen unicum, inter perigonii partes, hypogynum, distans. *Filamentum* filiforme. *Anthera* elliptica, bilocularis, longitudinaliter lateribus dehiscens. *Pollen* globosum, flavum.

Ovarium ovatum, glabrum, striatum.

Stigmata tria, brevia, divergentia.

Capsula ovata, 9-striata, glabra, stigmatibus persistentibus coronata, trilocularis, trivalvis: valvulis longitudinaliter latere dehiscentibus, apice basique cohaerentibus.

Placenta centralis, oblonga, trigona, angulis membranaceis valvulis adhaerens, dissepimentum formans.

Semina numerosa, elliptica, l. basi mox obliqua mox attenuata, fusca, foveolis placentae affixa, praeter testam membrana tenuissima spumoso-cellulosa obducta et marginata.

Habitus. Plantula pusilla, submersa, erecta, caespitosa, ramosa, dense foliosa, radicibus fibrillosis saxis adnascens.

Etymologia. Nomen e graeco *κρηνη* (scaturigo l. fons) formatum.

Philocrena pusilla. Tab. 6.

Radiculae fibrillosae, crassiusculae, albae.

Caulis erectus, valde ramosus, dense foliosus.

Folia sessilia, imbricata, tota basi cauli adnata, obtusa l. truncata, concaviuscula, integerrima, inferiora pl. min. patentia et a se invicem remotiora, superiora et suprema dense imbricata, viridia, glabra, crassiuscula, minuta, vix lineam longa, latiuscula, enervia; in ramis juvenilibus tenuiora et majora, oblonga l. elliptica, obtusa.

Spatha in axillis foliorum, basin pedunculi ambiens, diphylla: phyllis oppositis, latiusculis, subrotundatis, apiculatis, albidis, plicis tribus quasi nervatis.

Flores solitarii, terminales l. axillares, longe pedunculati: pedunculis rectis, angulosis, glabris, spatha 3 — 4-plo longioribus, 3 — 4-lineales.

Perigonii partes tres, membranaceae, ovatae, concavae, obtusae, aequales, pistillum aequantes, tenerrimae, albae.

Stamen unicum, hypogynum, inter perigonii partes positum, pistillum aequans. *Filamentum* tenue, filiforme, album. *Anthera* elliptica l. oblonga, bilocularis, latere longitudinaliter dehiscens.

Ovarium ovatum, striatum, glabrum.

Stigmata 3, brevia, divergentia.

Capsula minuta, ovata, 9-striata, stigmatibus persistentibus coronata, vix semilineam longa, trilocularis, trivalvis: valvulis longitudinaliter dehiscentibus, apice basique cohaerentibus.

Placenta centralis, oblonga, trigona, angulis late-membranaceis valvulis adnata, dissepimentum sistens, undique foveolata seminibusque obtecta.

Semina numerosa, minutissima, elliptica, basi l. obliqua l. attenuata, fusca, praeter testam, membrana tenuissima spumoso-cellulosa, reticulata, inflata, alba, transparente, obducta marginataque. *Albumen* nullum. *Embryo* teretiusculus, conduplicatus, albus.

Hab. ad scaturigines rivi Tiété. *Floret* Julio.

Adnot. Genus optime distinctum; inter Mniopsidem *Mart.* et Lacim medium; ad priorem habitu praeprimis accedens, ad alteram capsulae forma; ab utraque autem diversum perigonio ternario magno et capsula triloculari trivalvi.

TABULARUM EXPLICATIO.

TAB. 1. *Lacis monadelpha.*

Folium et spica florum in magnitudine naturali.

1. Flos spatha cinctus.
2. Idem, spatha ablata.
3. Stamina concreta. — Omnia aucta.
4. Granulum pollinis valde auctum.
5. Capsula cum stigmatibus; aucta.
6. Semen valde amplificatum.

TAB. 2. *Lacis aspera.*

Planta in naturali magnitudine. Folia superne papillosa et asperrima.

1. Flos cum spatha, lente auctus.
2. Stamina duo cum laciniis perigonii; aucta.
3. Pollinis granulum maxime amplificatum.
4. Capsula cum stigmatibus.
5. Eadem aperta.
6. Valvula capsulae et placenta dissepimentum praebens, cui semina adhaerent.
7. Placenta, ablatis seminibus. — Omnia magnitudine aucta.
8. Semen multo auctum.

Tab. 3. *Lacis Riedelii.*

Planta fertilis et folium in naturali dimensione.

1. Flos cum spatha, auctus.
2. Stamen auctum.
3. Granulum pollinis valde amplificatum.
4. Capsula aperta.
5. Dissepimentum a placenta formatum.
6. Semen.
7. Embryo. — Omnia magnitudine aucta.

Tab. 4. *Lacis membranacea.*

Planta in naturali statu.

1. Flos cum spatha auctus.
2. Stamen auctum.
3. Pollen maxime amplificatum.
4. Capsula aperta; aucta.
5. Dissepimentum; lente auctum.
6. Semen valde amplificatum.

Tab. 5. *Lacis pygmaea.*

Plantula in magnitudine naturali.

1. Flos.
2. Stamen.
3. Dissepimentum.
4. Semen.
5. Embryo. — Omnia plus minus aucta.

Tab. 6. *Philocrena pusilla.*

1. Planta in naturali dimensione.
2. Ramulus cum foliis et flore nondum evoluto; auctus.

3. Flos cum spatha.
4. Capsula rupta.
5. Dissepimentum a placenta trigona formatum.
6. Sectio placentae horizontalis.
7. Semina. — Omnia magnitudine aucta.

PANICEARUM GENERA

RETRACTAVIT

SPECIEBUSQUE COMPLURIBUS ILLUSTRAVIT

C. B. Trinius.

(Conv. exhib. die 25. Oct. 1833.)

Opusculorum, quae paulatim edidi, agrostographicorum partem retractatam conventui hodie proponens, ut dissertationibus prioribus (alteri de Gram. uni- et sesquifloris, alteri de Gram. paniceis), ita et huic theoriam constructionis gramineae spectantia quaedam praemittendi veniam peto. Ad quam quidem rem adeo controversam denuo perpendendam eo magis incitatus sum, quo minus, me quidem judice, in iis, quae, tam de universa graminum structura, quam de hoc illove eorum organo explicando, eruditi vel nuperrime disseruere, acquiesci posse videatur. Verum tamen, ne familia una, a reliquis, quibus naturali nexu juncta est, sejuncta et avulsa mihi, de internodiis floreque gramineis solis tractanti, crimini vertatur, primum exponenda forent, quae de universa phytologia statuenda censemus, principia; nisi angusti monographici opusculi fragmento concedendi limites tam amplum vetarent discursum. Itaque, ut theoriae nostrae tantulum quidem, quanto opus videatur ad vindicandum illi suum cum legibus de vegetatione universe statuendis nexum, lucis afferatur, paucissimae interea eaeque abruptae theses sufficiant. Ipsam autem, quam propositurі sumus, theoriam nil aliud esse volumus, nisi tentamen e principali illa, Glumacearum structuram evidenter definiente, lege, alternationis inquam, floris graminei constructionem explicandi. Plurima quidem atque diversa Natura argumen-

tanti offert loca, unde consectariorum ordiatur filum, eo longius tamen ducendum eoque plura complectens, quo ulterius annexum ex imo, quo descendere liceat, deductum fuerit principio naturali.

1. Telam vegetabilem non e cellulis, sed e filis contextam esse, quibus conglutinatis cellulae demum formantur, naturae sanior contemplatio jam pridem argumentis, lentis ope VIVIANI nuperrime docuit. Contextus illius partem, succo percurrente cylindrice extensam, in vasa converti constat, quorum partis cujusdam spiraliter convolutae rationem, ei, quam electrodynamicam vocant, minime plane alienam, ulterius prosequi hic non locus est. Quae quidem vasa, prout in vegetabili extenduntur, distribuuntur, ramificantur, ita maxime varias illi formas, Speciei reproductione in perpetuum stabilitas, impertiunt. Ut enim vitae animalis ultimus summusque finis est intelligentia, ita vitae vegetabilis est reproductio. Quamobrem genitalium analogon quoddam capitis locum in plantis occupat. Differentiae autem illae, quibus plantarum classificationes nitantur, qualescumque et quacumque ratione modificatae sint, ad eundem tamen finem cunctae redeuntes, non nisi unius ejusdemque apparatus organici variationes haberi possunt.

2. Organismi igitur vegetabilis vita universalis, prolis productionem, individuorum peculiaris nutritionem curans, utraque ad eundem nihilominus finem communem tendit. Quapropter organismus nutritivus (s. *vegetativus*) natura sua nequaquam alius est ac organismus reproductivus (s. *vegetabilis*), partemque plantarum vegetativam quamlibet, caulem, ramos, folia rel., datis conditionibus, prolificare, proprie reproductivam quamlibet ad functiones formamque mere vegetativas reprimi posse, notum est. Cum autem vegetabile, qualecumque sit, vegetabile esse non possit, nisi ex natura sua universali, quae est reproductiva s. prolifica, neque vero e vegetatione sua, quae est nutritiva; vegetabile integrum per singulas partes suas nil nisi organismum prolificum esse, sponte liquet.

3. Duo igitur sunt, quae in plantae vitam agunt, intime quidem conspirantia, momenta: alterum vegetabile, alterum vegetativum. Illud, conditionibus intraneis sive principio organico (vitali) ipso nisum, plantae vitam orditur a puncto centrali,

pro se quidem sensibus non percipiendo. Evoluto autem cauliculo, centrum illud principale *nodis* constituitur, sive in medulla sola, sive in toto caulis ambitu expressis. Eodemque simul modo, nodo scilicet centrali utrinque recluso et polariter producto, *forma* vegetabilis *primaria*, quae est filiformis s. bacillaris (§. 1.), *caulis* inquam prodit, qui primitus nil est nisi tubus medullaris. Alterum momentum, a conditionibus extraneis (aëre, aqua, luce rel.) pendens, parenchymatis vegetabilis dispositionem sollicitat talem, quali mutuum cum incitamentis illis extraneis commercium pro omnibus ac singulis partibus suis quam perfectissime paretur, h. e. parenchyma illud expansum in laminam planam, *folii* termino distinctam, minime vero sistentem organon quoddam universalis vegetabilis naturae (prolificae) expers, s. a reliquis diversum.

4. Glumaceas inter vegetabilia monocotyledonea partibus suis, altera alteram vaginando, alterno situ sese excipientibus, ab iis, quas Petaloideas dicunt, distingui constat. Quae quidem alternationis lex, Cyperacearum Graminumque constructioni communis, ut in culmi graminei internodiis promta et proposita est, ita et in squamis floralibus (paleis), vel arctissime compactis, invenienda erit.

5. Culmus gramineus, a statu illo primitivo, cujus in §. 3. mentio facta, per totam vitam suam vix discrepans, tubus est medullaris, vasis cinctus et in plerisque percursus, nodis interceptus intergerinis, quibus totidem formantur internodia absoluta, in summo culmo saepe a se invicem solubilia.

6. Partes cujusvis internodii sunt nodus, articulus, vagina. Quarum etsi duae priores altera alteri superpositae sint; tamen nodi singuli nonnisi alterno quovis latere turgent: unde internodia, in rhachi compactiori, alterna geniculatione anfractuosa esse solent. Vagina autem infra articulum ipsum, quem cingit, ortum ducens, manifeste cum articulo suo alternat*).

*) Ubi partes oppositae esse videntur, ut in floribus plerisque polygamicis, ibi articulus internodii abbreviatus l. obsoletus est; aut, ut in *Ophiuri* spica, in cylindrum compactissimum coarctata, hac ipsa contractione fit, ut alternatio legitima laesa videatur; id quod in *Hemarthriae*, inter *Ophiurum* et *Rottbolliam* magis explicatam intermediae, spicae constructione videre est.

7. Nodum necessario, vel si minus manifestus sit, cuivis internodio competere, per se patet. Itaque de articulo potissimum, cum vagina sua, nobis tractandum erit. Istae autem, internodii, tam in culmo quam in spicularum rhachi cujusvis, partes geminae, sunt corpora duo involuta, e parenchymate eodem contexta, internodium integrum ita formantia, ut alterum (articulus) ejusdem pars interior s. superior, alterum (in culmo *vagina*, in spicularum internodiis *palea*) pars exterior s. inferior sit. Quae itaque duae, in culmo gemmam, in rhachi fructum foventes partes, organon proliparum absolutum constituunt.

8. Utramque igitur harum partium, intime conspirantium, utpote eadem indole praeditarum, eodem quoque jure phytonomico frui, eodemque, singulam suo, pro positione sua aut centrali aut extranea, modo, ulterius evolvi oportet. Articuli, in apice suo quilibet novum excipientes articulum, toties repetuntur, quot universa graminis altitudo requirit internodia. Idem fit in parte exteriori s. vagina, tamen, ob ipsam ejusdem positionem extraneam, minus perfecto modo. Vagina enim, perinde ac articulus, nodo terminatur, eo vero, ut ipsa, concavo tantum, nec circumcirca clauso; ex quo nodo novum prodit internodium illud, quod folii, aut, sive involutum sit, sive complanatum, laminae nomine venit.

9. Novo huic internodio (laminae s. folio), vaginae superposito, ex apice suo, subjecta denuo articulatione s. nodo, novum progignendi internodium facultas innata quidem est, sed, extraneae illius positionis causa, non nisi rarissime plene se manifestat. Quam ob rem folium vaginae processum primum simulque ultimum manere videmus. Nihilominus frequentissime folii apex non solum callosi quid induit, quasi nodi rudimentum dicas; sed ne desunt quidem foliorum exempla, ex hac ipsa callositate, tum in articulationem perfectiorem mutata, internodiolum breve, iterum laminiforme, s. foliolum proferentium; cujusmodi *Glyceriae nervatae* specimina spontanea asservo.

10. Sed illud ipsum vaginae internodium (folium) e duabus, internodium quodlibet rite constituentibus, compositum esse debet partibus, quarum altera articuli, altera vaginae vices gerat. Qui quidem articulus, si, imperfecte evolutus et longe plerumque formae articularis expers, ipso folio sistitur, pariter imperfecta et hetero-

morpha stipatus erit vagina. Haec enim, plerumque brevissima, nec nisi membranaceae aut in pilos solutae texturae, folii cavitati plus minus aptata, genuinam naturam suam adeo dissimulat, ut hanc membranam organon quoddam peculiare, squamam adventitiam s. stipulam credas, quam *ligulae* termino insignire placuit.

Obs. Sicut vagina culmea non ex ipso, cui adnata est, nodo, sed e nodo inferiore ortum ducit, ita et ligula non ex ipsa, cui adglutinata est, articulatione folii, sed inferius prodit.

Par laminarum, folio ligulaque compositum, etsi, extraneae vegetationis internodium extimum constituens, prolem gignere non valeat; tamen cilia illa, quae in axilla ejus saepissime nascuntur, quaeque in *Parianis* filamentorum fere speciem prae se ferunt, rudem aliquam evolutionem floralem moliri videntur.

11. Quo propius culmi internodia ad orbem graminis altiorem, reproductioni proprie dicatam, adscendunt, eo magis lamina vaginarum abbreviari solet, ita, ut in vagina graminum complurium suprema folium penitus nullum sit. Idem vero de internodiorum floralium ipsorum vaginis s. paleis valet, quae aut lamina prorsus orbae (muticae) inveniuntur, aut ejusdem non nisi nervum medium, tum (ut in *Bromo*, *Festuca*, al.) setam formantem, evolvunt. Clarius tamen laminae palearis evolutionem parant *aristae*, more internodiorum e callosa paleae articulatione terminali oriundae, et e nervis pluribus (3) compositae, plerumque (ut in *Danthonia* al.) coalitis, rarius (ut in *Aristida*) in totidem radios divulsis.

12. Gemmae culmi graminei simplices*), internodio materno homogeneae, e partibus constant duabus, quarum exterior Vagina, interior Articulus est, nova posthac sibi superposita pariturus internodia. Istae autem duae partes inter culmi articulum vaginamque, situ cum ipsis alterno, ita collocatae sunt, ut vagina juvenilis articulum maternum dorso suo, ob hanc ipsam pressionem binervi, premat, marginibus amplectens articulum suum, inter ipsam et internodii materni vaginam positum.

13. Eodem autem, quo gemma culmea, modo floralis quoque gemma evolvitur, partesque ejus eandem, tam inter se quam cum internodii materni partibus, mutuam

---

*) Quae ex internodiis s. squamis compactissimis compositae sunt ramosque demum confertissimos emittunt, *Bambusae*, *Arundinariae* rel., gemmae, ad constructionis gemmae gramineae imaginem puram praebendam minus aptae sunt.

servant positionem. Haud aliter itaque frondescunt internodia axeos communis Paniculae, quam internodia culmi; eo tantum discrimine, ut illorum vaginae in squamulam minutam, imo saepe obsoletam, abbreviatae esse soleant. Inter hanc vero squamulam (in *Agrosti* al. satis manifestam) articulumque axeos paniculae, ramus (radius) prodit, inter se et articulum illum saepissime fovens barbam pilorum, quam, pro radio modo dicto (articulum gemmae floriferae sistente) idem esse, quod vaginam juvenilem pro ramo culmeo, autumare fas est. Qui quidem paniculae radius aut simplex esse potest, aut e fasciculis vasorum (nervis) pluribus compositus, nunc (ut in *Paspali* axibus partialibus) coalitis, nunc (ut in verticillis *Poae* al.) sejunctis, idque haud aliter, ac nervos in aristis *Aristidae* discretos esse supra observavimus. Ceterum, sicut in *Bambusae* l. *Arundinariae* ramorum culmeorum fasciculis, ita et in verticillis panicularum densioribus, praesertim fasciculatis, gemmae una plures confertim eruptae concipi poterunt.

Obs. Qualis universe gramini innatus est, aut coërcendi aut dispergendi, nisus, talis illi inflorescentia. Quapropter gemma floralis aut, fulcro interjecto nullo, statim in florem recluditur, aut singuli vasorum fasciculi in totidem convertuntur nova, ut ita dicam, granaria floripara. Illud ubi graminis naturae convenit, flos basin internodii occupat: aut sessilis (*Tripsacum*, *Rottböllia* al.) — quam inflorescentiam, *spiculae* gramineae imaginem exactissimam, *Spicam* exclusive appellandam esse duximus; aut radiis suffultus, sive simplicibus sive compositis, ut in *Panicula*, proprie sic dicenda. In iis autem, ubi nervi plures materia florali praegnant, pedunculi florum aut ex internodiorum alternorum apice, iique brevissimi, prodeunt — cujusmodi, omni Hordeacearum tribui communem, inflorescentiam distinctissimam *Caducei* termino insigniendam proposuimus; aut, internodiorum confluentium nodis ipsis deletis, pedunculi per omnem axin sparsi undique erumpunt. Qui si brevissimi et magis minusve conferti sunt, *Thyrsum*, si elongati et rariores, *Jubam* formant. Utraque autem inflorescentiarum illarum *racemosa* esse potest, ubi radii, in axin partialem coaliti dorsoque suo axi communi primum adpressi, ad exterum tantum latus florum pedicellos exserunt.

Qua quidem terminologia, tam naturae ipsi quam distinguendis generibus atque speciebus aptissima, ut hucusque usus sum, ita et in Paniceis describendis utar. Ceteroquin inflorescentias supra memoratas per transitus sibi invicem adpropinquare posse, facile intelligitur. Numquam autem fiet, ut Spica in Caduceum vel in Thyrsum convertatur; tamen nihilominus tres isti adeo diversi florendi modi in terminologia, qua auctores uti solent, cuncti nomine Spicae veniunt!

14. Eandem denique, qualem in axis floralis culmique gemmis, et in *Spiculis* ipsis invenies constructionem, si internodiorum earum, ut esse solent, abbreviatissimorum, nodos articulosque (s. internodii cujusvis partem internam), in infimis tantum spiculae internodiis manifestos, in superioribus deletos concipis. Cujus Glumacearum constructionis typicae simplicitatem originariam prae ceteris servant Cyperaceae *). In omnibus enim Cyperaceis, Epiphystis in modum constructis, genitalia nuda prodeunt ex axilla, quae ab articulo singulo ejusque vagina (squama) formatur. Articulus autem quilibet, in Epiphysti semicylindrum valvulaceum s. membranaceum referens, apice suo internodium subsequens, eodem modo constitutum, excipit. In aliis (ut in *Carice* al.) squama una alterave s. totidem internodia praevia genitalibus subjecta sunt; in aliis denique genitalia, squamarum loco, pilis cinguntur, quorum, inter Gramina, *Knappiae* valvulae, e pilis laxissimis contextae, analogon sistunt.

15. Graminei floris typus est series internodiorum ter trium. Quorum internodiorum duo priora s. infima, inter orbem graminis vegetativum et reproductivum confinia gemmamque nullam evolventia, *glumarum* nomine distinguntur. Glumae inferioris articulus plerumque satis manifeste evolutus est (*Phragmites*, *Danthonia* al.); superioris contra saepe vix ullus, aut, ubi exstat, corpusculi cyathoidei pusilli (in *Fundamentis Agrost. Cyathium* mihi dicti) forma expressus esse solet. Internodium tertium, gemmam floralem propriam fovens, constat e palea, *valvula perianthii inferior* dicta, et ex articulo, nunc, ut in Vilfaceis, fere nullo, nunc, ut in Agrosti al., ad callum parvulum reducto, nunc, ut in Calamagrosti al., bacillum formante (*penicillus*, *processus*, *rudimentum* nuncupatum), apice suo plerumque exserens pilorum fasciculum aut squamulas abortivas; in s. d. Multifloris autem internodium ferens integrum, novum, tumque toties repetitum, quot spiculae

---

*) Quam floris graminei architypum sistere olim contendi, *Epiphystis*, genuina Cyperacea, et fortasse *Cyperi* ipsius species est. Hoc loco Cyperacearum omnium, quae floribus unisquamis praeditae sunt, Epiphystis nomen praebeat collectivum.

totius longitudo symmetrica requirit internodia floralia. — En primam s. infimam floris graminei compaginem ternariam.

16. Internodiorum, membra floris, alterum tertiumque, tricola constituentium articuli, excepto tertii extremo, penitus deleti sunt, adeo, ut palea altera ex axilla alterius, imo paleae plures quam una ex uno eodemque disco prodire videantur. Qua quidem simulata positione parallela, alternationis legi utique contraria, Glumaceae Petaloideis appropinquare censeri possunt. Alternatione autem inviolabili illa probe aestumata et rite recognita, gemmam floralem eodem, quo culmeam, modo constitutam esse perspicies. Palea enim ejusdem infima (quae *Valvula perianthii superior* dici solet) articulum internodii materni sui haud secus, ac vaginula illa juvenilis rami culmei articulum maternum suum, dorso premit, eamque ipsam ob causam, illius instar, constanter binervis invenitur. Hujus autem ipsius paleae, modo dictae, articulus, ut jam monuimus, obsoletus, novum fert internodium, *Lodicula* dictum, et articulo suo, itidem obsoleto, internodium sustentans illud, cujus vaginula s. palea, rarius quidem evoluta, *squamam*, ut audit, *lodiculae tertiam* format. — Quae itaque tria internodia, paleis s. vaginulis solis expressa genitaliumque velamentum formantia, alteram floris graminei trigam sistunt.

Obs. Lodicula, plerumque (stamine interposito premente?) ad basin usque in lacinias duas fissa imo in squamas 2 segregatas discedens, nullo modo e binis, iisque, ut in *Ehrhartis* quibusdam esse feruntur, alternis, paleis composita haberi potest. Quod, nisi e sola floris synthesi, inviolabili Glumacearum alternationis legi superstructa, eluceret, vel ipsa laciniarum illarum, in graminibus nonnullis in unicam confluentium, positione semper parallela probaretur. — Squama tertia s. posterior lodiculae in quibusdam generibus (*Stipa*, *Aristida*, *Urachne*, *Olyra*) fere constanter, in aliorum speciebus tantum nonnullis (v. gr. in *Arundine tenaci*) evoluta est. — Ceterum squamae lodiculares, quoad ipsarum indolem physiologicam, parum a staminibus diversae esse videntur. In *Elytrophoro* non nisi stamen unicum, idque locum squamae lodicularis posterioris tenens. In *Polypogone filiformi*, duobus tantum staminibus evolutis, lodicula posterior duplex est, et s. p.

17. Tertia s. extima gemmae floralis trias composita est genitalium apparatu, cujus paleae duae infimae, ubi ambae evolutae exstant, altera alteri adeo admotae sunt, ut bases earum penitus confluant. Illae autem squamae diffissae staminibus,

typice senis, constituuntur; palea tamen superiori, s. filamentorum ternorum fasciculo altero, non nisi rarius evoluta. Ex contrario paleae ejusdem articulus, internodium supremum s. seminale sustentans, perinde ac articulus culmi extimus, totum orbem floralem ferens omniumque longissimus, fere semper manifestus, imo longitudine quadam insigni esse solet. Internodium enim illud tertium s. terminale Pericarpio sistitur plerumque brevius longiusve pedicellato, i. e. palea, marginibus suis a summo ad imum connata, nec nisi rarissime (v. gr. in s. d. *Sporobolis*) ab una parte aperta.

Obs. Staminum paleas eadem ratione fissas concipimus, ac aristas Aristidae, aut radios paniculae verticillatos. Quo ipso modo et in Cyperi speciebus quibusdam articulus rhacheos, in plerisque integer, tripartitus invenitur: parte intermedia firmiore internodium subsequens ferente, lateralibus, magis membranaceis, appendices, alas l. squamas proprias referentibus. Quae quidem paleae omnes, tam appendices illae, quam Caricum urceolus graminumque valvula sic dicta perianthii superior, perperam e squamis 2 vel 3 connatis compositae habentur; dum gemmarum s. ramorum culmeorum vaginam infimam, itidem binervem, eodem modo e squamis 2 coalitam esse nemo facile opinabitur.

Physiologorum consideratione dignae videntur paleae genitales masculae distenso-fissae, feminea constricto-clausa.

18. Quemadmodum igitur per totam spiculam nil nisi ipsius culmi ramive cujusdam internodia contracte repetita agnoscimus, articulis tantum abbreviatissimis, eamque ob causam vaginis (paleis) in axillis suis gemmam non ramigeram sed genitalem foventibus; ita et in extremi internodii floralis gremio gemmam tandem seminalem nasci, partesque ejus eodem, quo in gemmis culmeis floralibusque, modo collocatas videmus. Primum autem pericarpio, ut internodium sit ex axilla sua gemmiparum, haud secus ac reliquis internodiis floralibus, articulus suus statuendus est. Quem vero articulum, cum internodium hocce totius evolutionis extremum sit atque terminale, numquam evolutum esse posse per se intelligitur. Interpres tamen ejusdem squamula est illa vaginalis tenerrima, Brongniartio *tegmen*, aliis *perispermium* dicta, quae, dorso suo articulo illi dicto adversa, articulum suum, itidem obsoletum, novum autem individuum s. embryonem ipsum ferentem, amplectitur.

Cujus denique embryonis vaginula primaria (Cotyledon), e prima ejusdem articulatione prodiens, culmo juvenili, plumula expresso, eodem modo vaginae inservit. Quo autem tegmen illud repletur, perispermio s. albumine, fit, ut embryo, cum cotyledone sua in tegminis cavum retrusus, imum ejusdem sinum occupet.

* * *

Explicatio tabulae adjectae.

Fig. 1. Culmi pars vaginata.

a) *Articulus culmi*, s. internodii pars centralis.

b) *Vagina*, s. internodii pars extranea.

c) } Internodii extranei novi { pars exterior (*Ligula*).
d) } { pars interior (*Lamina*).

* Rudimentum internodii novi s. tertii (in *Glyceria nervata*).

Fig. 2. *Anisopogonis* valvulae inferioris pars cum arista sua: nervis aristae, cum apice valvulae articulatae, coalitis.

Fig. 3. *Aristidae* valvulae inferioris pars cum arista sua: nervis aristae discretis.

Fig. 4. Internodii proliferi partes sejunctae:

a) Articulus culmi.

b) Vagina ejusdem.

c) Ramus ex ejusdem axilla pronatus:

α. Internodii ramei infimi articulus.

β. Internodii ejusdem vagina (binervis).

Fig. 5, 6 et 7. Ortus radiorum ex axi communi florali:

5. Radius solitarius simplex (v. gr. *Urachnes*).

a) Squamula, quae vaginae loco est, inter quam et axis articulum radius originem ducit.

6. Radius solitarius, e nervis aliquot coalitis compositus, racemiflorus (v. gr. *Paspali*).

a) Barba pilorum, respondens vaginae β in Fig. 4.

7. Radii plures, s. nervi discreti, fasciculum aut verticillum formantes.

a) Squamula, ut in Fig. 5.

Fig. 8. Pars spicae Cyperi (Epiphystis) §. 14.

Fig. 9. Spiculae gramineae paleae duae infimae (*glumae*).

a) Gluma inferior s. vagina articuli *.

b) Gluma superior s. vagina articuli * (*cyathii*).

Fig. 10, 11 et 12. Spiculae gramineae pars trimembris inferior s. prior, composita e glumis et perianthii sic dicti valvula inferiore: articulo valvulae hujus sensim magis evoluto:

in Fig. 10, nullus (v. gr. *Vilfa*).

in Fig. 11, calliformis et aciculatus tantum * (v. gr. *Agrostis*).

in Fig. 12, in processum piliferum * productus (v. gr. *Calamagrostis*).

Fig. 13. Spicula multiflora, i. e. processu * toties repetito et iterum florifero, quot symmetrica spiculae longitudo internodia requirit.

Fig. 14. Spicula graminea simplex, synthetice concepta: parte qualibet ex internodiis tribus composita:

A. Spiculae pars trimembris prior s. infima.

a) Internodium primum s. gluma inferior cum articulo suo.

b) Internodium alterum s. gluma superior c. a. s.

c) Internodium tertium s. Valvula perianthii inferior c. a. s.

B. Pars trimembris altera s. intermedia:

a) Internodium primum s. Valvula perianthii superior (articulo suppresso).

b) Internodium alterum s. Lodicula anterior (art. suppr.)

c) Internodium tertium s. Lodicula dorsalis (art. suppr.)

C. Pars trimembris tertia s. terminalis:

a) Internodium primum s. fasc. fil. trium (palea in nervos 3 discedens).

b) Internodium alterum s. fasc. fil. 3, (plerumque suppressus, articulo autem (c *) plerumque evoluto).

c) Internodium tertium s. ovarium (palea clausa).

Fig. 15. Gemma seminalis, synthetice concepta:

a) Internodii ejusdem infimi vagina (articulo * suppresso), s. *Pericarpium.*

b) Internodii alterius vagina (embryone articulum sistente), s. *Tegmen.*

c) } Internodium terminale, formatum ex articulo juvenili (*Plumula*) a,
d) } ejusdemque vagina (*Cotyledone*).

Fig. 16. *Fructus*, i. e. tegmen (*a*) perispermio repletum; Embryone cum plumula sua (*b*) in sinum tegminis retruso.

PANICEAE.

Graminum polygamicorum tribum alteram, flosculorum compage glumis regulariter duriori, rarius valvularum glumarumque subaequali, eaque tum membranaceo-chartacea, *Paniceae* constituunt. In hanc itaque tribum recipienda erunt omnia graminum genera ea, quae, intra glumas compagis modo dictae biflora, flosculum imperfectum intra inferiorem, fructiferum intra superiorem positum habent: alioquin palearum *) armationis, sive seta munitae sint, sive arista, ratione nulla habita. Pari autem jure et ea huc referentur genera mere uniflora, quae, palearum compage Paniceis solenni praedita, sive monoeca sint sive hermaphrodita, aut flosculi aut glumae inferioris suppressorum notas praebent. Cujusmodi generum, si, formarum analogia quadam, aut palea aliqua, solito suppressa, fortuito evoluta ductus, cohortem, cui adjudicanda sint, jam facile conjicies, tutiorem adeo recognoscendae paleae cujusdam supressae ducem habebis nervorum in glumis, quae prostant, numerum. Ille enim nervorum numerus, in spiculis typice hermaphroditis ita distributus, ut gluma inferior paucioribus, quam superior, nervis notata sit, in polygamicorum graminum uniflororum gluma inferiori, aut major, aut cum nervorum glumae superioris numero idem est. Quas quidem status polygamici uniflororum

---

*) *Paleae* nobis dicuntur squamae florales in universum; in specie autem *glumae*, palearum illarum duae infimae; *valvulae*, tertia et quarta, *squamae*, eae, quae lodiculam sistunt.

notas in generum singulorum charactere naturali, infra uberius descripto, fusius expositas habebis.

E generibus Panicearum tribum constituentibus ignota mihi sunt, quae sequuntur: *Zeugites* SCHREB., *Chaetium* N. AB ES., *Berchtoldia* PRESL (Chaetio, ut videtur, maxime affinis), *Arthraxon* P. B. — Reliqua, quae novi, ita disponenda propono:

SPICULAE

I. Dioecae . . . . Spinifex.

II. Monoecae:

Spica. Mares polyandri, plures, stipitati, femineam cingentes solitariam, sessilem . . . . . . , ... Pariana.

Panicula. Mares 6-andri, pedicellati, cum femineis sessilibus in radiolis geminati . . . . Pharus.

Panicula. Mares 3-andri, aut in radio eodem inferiores, aut in paniculis distinctis, tum superioribus, collecti . . . Olyra.

Panicula. Mares 6 — 10-andri, in panicula eadem superiores . Luziola.

Panicula. Mares 6-andri cum femineis mixti . . . . . Caryochloa.

III. Hermaphroditae s. pseuduniflorae:

Paniculatae, perianthio mutico . . . . Milium.

Paniculatae, perianthio apice aristato . . . . Urachne.

In racemis simplicibus; valvulae glumis 2 duriores . . . . Paspalum.

In racemis simplicibus; valvulae cum gluma solitaria herbaceo-membranaceae . . . . Reimaria.

In thyrsi simplicis capitulis echinatis . . . . Lappago.

IV. Hemiologamae vel hemigamae:

a) Flosculo mutico (l. brevissime caudulato aut aciculato),

Intra thyrsi simplicis involucella, formata e laciniis coriaceis, inferne connatis . . . . Cenchrus.

Intra thyrsi simplicis involucella, formata e setis liberis, spicularum basin coronantibus . . . . Pennisetum.
Intra vaginas spathaceas alternas, paleis stipatae . . . . Xerochloa.
In racemo simplici, spatha incluso, ad axin continuum solitariae l. binae (totae membranaceo-chartaceae) . . Thouarea.
In racemis simplicibus, liberis, ad axis partialis articulos subquaternae . . . . Trachys.
In axis simplicissimi torosi scrobiculis . . . . Stenotaphrum.
In racemis, thyrso, panicula vel juba; nec priorum notae . Panicum.

b) Flosculo fertili apice aristato,
Spiculae in radiolorum paniculae apice solitariae . . . . Arundinella.
Spiculae in radiorum (vel radiolorum) paniculae apice ternae . Tristachya.

Species paucas, cruce (†) anteposita notatas, e Kunthii opere splendidissimo (*Révision des graminées*), praeclare ibidem descriptas, iis, quas ipse examinavi, inserendas esse duxi.

SPINIFEX *L.*

Axes floriferi fasciculato- vel squarroso-capitati: masculi et fructiferi in distinctis plantis. *Spiculae* sessiles: *Masculae* ad axin suum plures, biflorae: flosculo utroque staminifero; *Fructiferae* (hemiologamae) ad axis sui basin solitariae.

Gramina regionis tropicae orientalis littora arenosa habitantia, 1 — pluri-pedalia, prostrata, ramosissima, coriacea.

Folia e vaginis ad nodos pl. min. arcte congestis et dilatatis semiteretia, saepe pungentia.

Ligula longo-ciliaris.

Capitula vel *fasciculi florales* terminales et axillares, magni, compositi ex axibus plerumque plurimis, dense fasciculatis, saltem in feminea planta capitatis et squarroso-divergentibus, subaequalibus aut (in mascula planta) inaequalibus, subuliformibus:

Plantae masculae nunc laxe- (et tum subcaduceiformi-) nunc arctius thyrsiflo-ris, omnibus (aut longioribus tantum) inferne longius breviusve ananthis. — *Spicula* quaevis ad axis dentem sessilis, ovata. *Glumae* 2, chartaceo-membranaceae, nunc flosculos subaequantes, nunc illis pl. min. minores, 7 — 9-nerves: inferior paulo brevior. *Flosculi* 2, sessiles, masculi, bivalves, substantia glumarum: valvulis aequalibus, acutis: inferiore 5 — 7-, superiore dissite 2-nervi.

Plantae fructiferae axes uniflori, ceterum ut in mare, plerumque tamen longiores. *Spicula* solitaria ad axis basin sessilis, lanceolata, hemiologama. *Glumae* 2, chartaceo-membranaceae, aequales, flosculos aequantes l. paulo excedentes, acuminatae, 7 — 9-nerves. *Flosculus inferior* neuter vel mas-

culus, 1 — 2-valvis: valvula inferiore 5-nervi, superiore, si adest, perparva, teneriori. *Flosc. superior* hermaphroditus, chartaceus, incompletum aequans, valvula inferiore 3-nervi superiorem amplectente.

Lodiculae in utriusque sexus spiculis squamae 2, subspathulatae, rotundato- et subbilobo-truncatae, basi carnosae.

Ovarium in pl. fructif. oblongum, glabrum. *Styli* 2, basi connati, elongati. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Filamenta* elongata. *Antherae* lineares.

Fructus Caryopsis elliptico-ovalis, subdepressiuscula, libera, eberbis, scutello suo dimidio longior.

Spinifex squarrosus **L.** *Mant.* 2. Axibus masculis dissitiuscule et subcaduceato-floriferis; Spiculis, vaginis foliisque glabris: his canaliculatis, subulatis, arcuatis, pungentibus.

Spinifex squarrosus. R. et S. II. p. 844.

Stipa spinifex **L.** *Mant.* 1. (planta fructifera).

V. spp. Ind. or. Sumatr.

Folia palmaria, quam in sequente validiora magisque coriacea. *Culmus* praelongus. *Lodiculae* squamas in spicula fructifera, quam examinare licuit, triplo quam mascularum longiores, cuneiformes, trinerves inveni, quod non in specie sequente.

Spinifex hirsutus **LaBill.** Axibus masculis densiuscule thyrsato-floriferis; Spiculis, vaginis foliisque pubescentibus: his lineari-involutis, rectiusculis.

Spinifex hirsutus. R. et S. II. p. 845.

V. spp. N. Holl.

Specimina mea vix pede longiora. *Culmus* etiam pubescens. *Folia* spithamaea — dodrantalia.

P a r i a n a *Aubl.*

Spica solitaria. *Spiculae masculae* polyandrae, stipitibus depressis insidentes, sub-5, articulum quemvis *Femineamque* solitariam, sessilem, cingentes. ♂ Perianthium nullum (rarissime evolutum, hyalinum). ♀ Perianthium demum induratum.

Gramina Americae tropica, sylvatica, erecta, pedalia et altiora.

Folia ovata l. ovato-lanceolata, saepissime latitudine insigni (bipollicari), acuminata, basi plerumque in petiolum brevissimum contracta, multinervia.

Ligula coriaceo-chartacea, brevis, truncata, dorso longe plerumque pilis setiformibus numerosis, longis et subsquarrosis stipata.

Spica terminalis solitara, cylindracea. Rhachis articulata, plerumque minus facile solubilis, flexuosa, complanata, alternatim hinc pro recipienda spicula feminea canaliculato-concava.

Spiculae masculae 3, 4, 5, (6?), ovatae, acutiusculae, insidentes *stipitibus* subcoriaceis, e basi articulorum circumcirca ortis, complanatis, liberis l. per paria connexis, articulo, quem cingunt, paulo brevioribus, apice biauriculato-appendiculatis: laciniis herbaceo-coriaceis, ovatis, acutis, glumas collaterales mentientibus, flosculum suum aequantibus l. eodem brevioribus, 3 — 5-nervibus*). *Glumae* herbaceo-coriaceae 2: inferior dorso laciniis stipitis adpressa, ovata, acutiuscula, complanata, 3-nervis, superiorem concavam, obsolete 3 — 5-nervem, marginibus amplectens. *Perianthium* 0, rarissime 1-valve, hyalinum, longitudine glumarum. *Lodiculae* squamae 2, acutae l. obtusae, plerumque fimbriato-denticulatae, multinerves, haud raro in unam, tum dilatatam, coalitae. *Stamina* indefinita (circiter 30), exserta. *Filamenta* saepe fasciculatim connata. *Antherae* lineares.

---

*) In specie Bahiensi quadam (*Pariana parviflora herb. nostr.*) incompleta, laciniae istae fere ex ipsa articuli basi nascuntur, stipite subnullo.

Spicula feminea ad basin articuli cujusvis solitaria eique facie adversa s. impressa, sessilis, stipitibus mascularum occultata: *Glumae* 2, membranaceae, subaequales, flosculo paulo longiores, acutae, carinato- 1 — 3 nerves: nervis 2 marginalibus. *Perianthium* subcoriaceum, demum induratum. *Lodicula* ut in maribus, sed paulo major. *Ovarium* ellipticum. *Styli* 2, coaliti. *Stigmata* plumosa.

Fructus akenium oblongum, dorso depressiusculum, liberum, eberbe, pericarpio atrato. Scutellum . . . . .

Pariana lunata N. ab Es. Laciniis stipitum pubescentium ipsis aequilongis, flosculo plus duplo brevioribus, obtusiusculis; Foliis ovato-lanceolatis; Ligularum setis praelongis.

Pariana lunata. N. ab Es. Agr. bras. p. 295.

V. sp. Bras.

Culmi aliquot sesquipedales. *Pili* setiformes (hispiduli), ligulam stipantes, fere semipollicares. *Petioli* sesqui — 3-lineales. Folia 4 — 8-pollicaria, pollicem cum dimidio — lineas 10 lata. *Spica* 4 — 5 pollices longa, crassa.

Pariana mollis N. ab Es. Laciniis stipitum basi villosulo-barbatorum, pubescentium, ipsis aequilongis, flosculo duplo brevioribus, acutis; Foliis lanceolato-ovatis; Ligularum setis brevibus.

Pariana mollis. N. ab Es. Agr. bras. p. 296.

V. sp. Bras. (Spicae articulum et folium).

Pariana scabra N. ab Es. Laciniis stipitum basi villosulo-barbatorum ipsos flosculumque aequantibus, acuminatis; Foliis lanceolato-ovatis; Ligularum setis breviusculis.

Pariana scabra. N. ab Es. Agr. bras. p. 294.

V. sp. Bras. (Spicae articulum et folium).

Pariana lanceolata. Laciniis stipitum pilosulo-pubescentium ipsis brevioribus, flosculum aequantibus, acutiusculis; Foliis lanceolatis; Ligularum setis praelongis. V. spp. Bahiens.

Culmi 1 — 2, dodrantales — pedales, simplices, teretes, plurinodes, ad nodos barbati, ex ima basi nodulosa squamisque aliquot tecta fibras radicales emittentes paucas, ramulosas. *Vaginae* totae fissae, superne laxiusculae, lamina breviores, ad margines tomentoso-ciliatae, striatae: inferiores aphyllae, superiores satis confertae, subdistichae. *Ligula* chartacea, brevis, truncato-semilunaris, fimbriato-denticulata, dorso stipata pilis setiformibus, numerosis, subsquarrosis, semipollicaribus. *Folia* patula l. patentia, lanceolata, in petiolum brevissimum, marginibus hirtum attenuata, acuminata, hirtula: inferiora plana, spicae subjecta involuta, intermedia majora: pollices 5 longa et pollicem dimidium l. lineas 7 lata. *Spica* (fracta) videtur digitalis, teres, cum reliquis partibus subflavendo-saturate viridis. *Articuli* solubiles, lineas 5 longi. *Rhachis* pertenuis, fere filiformis, complanata, pilis brevibus adspersa: articuli cujusvis apice claviformi. *Stipites* marium 3 — 5, liberi aut per paria connati, lineas 4 longi, lineares, complanato-convexi, striati, pilis brevibus adspersi; *appendices* singuli 2, lineam et quod excedit longae, ovatae, acutiusculae, scabriusculae, 3-nerves. *Spiculae masculae* tot quot stipites, horum appendicibus, quas longitudine aequant, extus involucratae, ovatae, acutiusculae. *Glumae* 2, aequilongae, herbaceo-coriaceae, glabrae: inferior exterior, 3-nervis, superior dissite binervis (nervo medio obsoleto). *Perianthium* univalve: valvula hyalina, lanceolata, 3 — 5-nervis, longitudine glumarum. *Lodicula?* *Stamina?* — *Spicula feminea* rhachi adpressa, sessilis, 5-linealis, elliptica. *Glumae* 2, membranaceae, aequales, flosculum aequantes, ovatae, subcaudato-acuminatae, subcarinato-concavae, 1-nerves. *Perianthium* ellipticum, subcaudato-acuminatum, coriaceum: valvula inferior superiorem late obvolvens. *Lodiculae* squamae 2, ovatae, acutae, glabrae, 3-nerves. *Fructus* (immaturus) coronatus Stylo 1.

P h a r u s *L.*

Panicula: radiis solitariis, racemosis, compositis. *Spiculae* in radiolis alternatim binatae: altera *sessilis*, *feminea*, elliptico-lanceolata, multo major, perianthio subcoriaceo; altera *pedicellata*, *mascula*, hexandra, parva, perianthio membranaceo.

Gramina Americae tropica, sylvatica?, erecta, sesqui — bi-pedalia.

Folia (lato-) lanceolata l. oblonga, aut obovato-lanceolata, acuminata, plana, basi in petiolum satis longum attenuata, multinervia: nervis obliquis folii marginem petentibus et anastomosibus crebris inter se junctis.

Ligula membranacea, perbrevis, fimbriato-lacera.

Panicula radiis solitariis, strictis, racemosis, compositis, cum axi radiolisque pubescentibus.

Spiculae in radiolis alternatim et pl. min. dissite binae:

Sessilis feminea. *Glumae* 2, membranaceae, lineari-lanceolatae, subaequales, flosculo suo plerumque breviores, fuscae: inferior 5-, superior sub-3-nervis. *Perianthium* elliptico- aut lineari-lanceolatum, inferne substipitato-attenuatum, depressum, bivalve: valvula inferior intra glumam inferiorem, coriacea, sub- 7-nervis, concava, superiorem subaequilongam, linearem, paulo tenuiorem, dissitiuscule binervem amplectens. *Lodicula* 0. *Ovarium* lineari-oblongum, glabrum. *Stylus* 1, longus. *Stigmata* 3, pubescentia. *Fructus* caryopsis cylindracea, acutata, libera, dorso profunde sulcata; scutellum . . . .

Pedicellata mascula, sessili multoties minor. *Pedicellus* a parte glumae superioris femineae exsertus, tenuis. *Glumae* 2, membranaceae, ovato-oblongae, obsolete plurinerves: nervo medio distinctiori: inferior flosculo duplo magisve brevior, superior paulo longior l. flosculum aequans. *Perianthium* membranaceum, oblongum, 2-valve: valvula inferior intra glumam inferi-

orem, 3 — 5-nervis; superior aequilonga, 2-nervis. *Lodicula* 0? *Stamina* 6, *antheris* linearibus. — (Interdum spicula mascula radiolo ipsi paulo supra femineam adnata, pedicello proprio nullo).

Pharus latifolius L. sp. pl. ed. 2. Perianthiis femineis totis pubescentibus, glumis spiculaque pedicellata duplo longioribus.

Pharus glaber Hb. et Kth. n. gen. et sp. 1. p. 196. Agr. syn. p. 17.?

V. spp. Ind. occ. Bras.

Folia in spp. nostris lanceolata, acuminata.

Pharus brasiliensis Raddi. Perianthiis femineis totis pubescentibus, glumis duplo longioribus, spiculam pedicellatam subaequantibus.

Pharus brasiliensis. N. ab Es. Agr. bras. p. 302. — *P. pubescens Sprgl.* (Foliis angustioribus).

V. spp. Bras.

Folia lanceolato-oblonga, acuta. Spiculae femin. (4-lineales) fere duplo minores quam prioris.

Pharus micranthus Schrad. Perianthiis femineis (totis?) pubescentibus, glumas aequantibus, spicula pedicellata brevioribus.

Pharus micranthus. N. ab Es. Agr. bras. p. 302.

V. spp. Bras.

Folia lanceolata, utrinque attenuata, subtus e punctulis minutissimis subtilissime puberula. Spiculae femineae lineares, bilineales, pedicellum masculae subaequantes. — Radii in nostris contracti, sine dubio serius patent.

Pharus scaber Hb. Kth. Perianthiis femineis superne pubescentibus, glumis spiculaque pedicellata paulo longioribus.

Pharus scaber. N. ab Es. Agr. bras. p. 301. Kunth. Agr. syn. p. 17. — *P. lappulaceus Aubl.* — *P. latifolius LaM.*

V. spp. Guaj. Bras.

Folia ovato- l. obovato-lanceolata.

OLYRA *L.*

Panicula (Juba panicularis), vel *racemi* thyrsoidei. *Spiculae masculae* triandrae minores (angustiores), aut in radiis l. racemis inferiores, aut in paniculis distinctis, tum superioribus. ♂ Perianthium 0. ♀ Perianthium demum cartilagineum.

Gramina Americae (insularumque maris pacifici) tropica, sylvatica, erecta, saepe ramosa, variae magnitudinis.

Folia pro statura plantae lata, plerumque lanceolato-ovata, basi in petiolum brevissimum attenuata, longe plerumque altero laminae latere latiori trapezoideo-subangulata.

Ligula chartacea, brevis.

Flores nunc in paniculae (s. potius jubae panicularis) radiis pl. min. simplicibus, nunc in pedunculis thyrsoideo-racemosis.

Spiculae masculae femineis semper angustiores et plerumque etiam breviores, in Jubae radiis vel in racemo inferiores, rarius in paniculis culmi peculiaribus, iisque pedunculos femineos superantibus, brevipedicellatae, lineari-lanceolatae, deciduae, triandrae. *Glumae* 2, herbaceo-membranaceae, trinerves, aut superior, paulo brevior, binervis tantum: inferior saepissime caudato-subulata. *Perianthium* nullum, rarissime 1-valve, hyalinum (ut in *Ol. cordifoliae* spiculis masc. nonnullis vidi). *Lodiculae* squamae 3, (an interdum 2 tantum?) cuneatae, subtruncatae, emarginatae: 2 anteriores, tertia dorsalis. *Stamina* 3, *Antheris* linearibus.

Spiculae femineae ovatae, in Jubae radiis vel in racemo superiores, rarius in racemis peculiaribus iisque tum maribus subjectis, masculis longe plerumque pauciores iisdemque serius deciduae, pedicello suffultae apice dilatato. *Glumae* 2, herbaceo-membranaceae, subparallelo-alternae, aut aequali- (7-) nerves, aut inferior, saepissime caudato-subulata, 5 — 7, superior, paulo brevior, 3 — 5-nervis. *Perianthium* glumis pl. min. brevius, ellipticum

l. ovatum, obtusiusculum, coriaceum demumque subcartilagineum l. eburneum, 2-valve: valvula inferiori superiorem amplectente et includente. *Lodiculae* squamae 3, forma ut in maribus. *Ovarium* oblongum, glabrum. *Styli* 2, inferne connati. *Stigmata* 2, plumosa.

Fructus caryopsis oblonga, libera, eberbis, dorso inferne sulcata, scutello suo $\frac{3}{4}$ longior.

a) *Spiculae femineae in Juba l. in racemis superiores.*

Olyra paniculata Sw.! Paniculae terminalis (interdum insuper axillaris) radiis inferne masculis; Spicula feminea terminali, subsolitaria; Glumis utriusque sexus caudato-subulatis, glabris; Perianthio femineo elliptico, glabro laevique; Foliis lanceolato-oblongis l. ovato-lanceolatis, acuminatis, basi hinc subtrapezoideo-rotundatis.

* Vaginis hirto-pubescentibus:

Olyra paniculata. Schlechtend. in Berl. Mag. 1818. p. 144. — *O. latifolia L.* Am.? Hb. et Kth n. g. I. p. 197. Agr. syn. p. 69? — *O. pubescens Raddi* Agr. br. p. 18?

* Vaginis glabris:

Olyra arundinacea Hb. et Kth. l. l. Agr. syn. p. 68. N. ab Es. Agr. bras. p. 306.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Olyra cordifolia Willd. Paniculae terminalis radiis inferne masculis, superne paucifemineis; Glumis marium acuminatis feminearumque caudato-acuminatis glabris; Perianthio femineo ovato, glabro laevique; Foliis ovatis, acuminatis, basi subcordata subaequali-rotundatis.

Olyra cordifolia. Schlechtend. l. l. Hb. et Kth. l. l. p. 198. Agr. syn. p. 69. N. ab Es. l. l. p. 308.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Olyra semiovata. Paniculae (interdum una plurium) terminalis radiis inferne vel inferioribus totis masculis; Spicula feminea terminali solitaria; Glumis

utriusque sexus caudato-subulatis, glabris; Perianthio femineo elliptico, basi apiceque sericeo-barbato; Foliis lanceolato-ovatis, basi hinc trapezoideo-angulatis.

Olyra semiovata Trin. Diss. II. p. 249.

V. spp. Bras. — ? O-Taiti.

Culmi, qui 2 — 3-pedalis videtur, pars superior teres, crassitie pennae corvinae, glabra, ad nodos, plures et glabros, aequa, vaginis foliorum tecta. *Vaginae* laxiusculae, internodio longiores, undique glabrae, superne carinatae, apice utrinque in auriculam obtusam productae. *Ligula* membranacea, brevissima, truncata, sub lente ciliatula, fusca. *Folia* in ramis (culmis) qui coram sunt plura (3 — 5 — 8), lanceolato-ovata, petiolo brevissimo obsolete pubescente suffulta, basi altero latere angustiori convexa, altero latiori oblique subtruncata, acuminata, excepto margine hispidulo glabra: inferiora dodrantalia, pollices 3 l. $2\frac{1}{2}$ lata, laete viridia. *Pedunculus* e vagina suprema nunc solitarius, nunc 2 — 3, glabri: altero binisve tum elongatis (pedalibus); tertio, serius florente, breviori. *Juba panicularis* ovato-oblonga, circiter spithamaea, densiuscula. *Axis communis* angulatus, glaber. *Radii* sparsi, communiter tamen plures in pseudoverticillum collecti, pertenues, scabri, circiter a medio radiolosi: radiolis brevibus, secundis; radii inferiores pl. min. digitales, plerumque toti masculi; superiores sensim breviores, inferne masculi, spicula feminea solitaria terminali. *Spiculae masculae* plurimae, angusto-lineari-lanceolatae, non computata cauda 4-lineales. *Glumae* trinerves: inferior in subulam flexuosam, pertenuem, circiter bilinealem excurrens; superior paulo brevior, acuminata. *Perianthium* nullum. — *Spiculae femineae* in radiis superioribus terminales, solitariae, elliptico-ovatae, non computatis glumarum subulis lineas 6 longae. *Glumae* sub-5-nerves, glabrae: inferior in subulam flexuosam ipsius longitudine attenuata. *Perianthium* elliptico-ovatum, glumis triplo brevius: valvula inferior basi apiceque margine albo-pubescendo-hirta. *Lodiculae* squamae 3, 4 — 5-nerves.

Obs. Quoad perianthium femineum affines *Olyrae: humilis N. ab Es.*, *ciliatifolia Radd.* et *longifolia Hb. Kth.* — Species ex O-Taiti foliis pedunculisque prorsus conveniens ob spiculas delapsas incerta.

Olyra humilis N. ab Es. Paniculae terminalis radiis inferioribus totis masculis, superioribus spicula feminea solitaria terminatis; Glumis masculis acuminatis femineisque caudatis glabris; Perianthio femineo ovato-elliptico fronte (praesertim inferne superneque) sericeo-pubescente; Foliis lanceolato-ovatis (vel lanceolatis, imo lanceolato-linearibus tantum), basi hinc subtrapezoideo-angulatis.

Olyra humilis N. ab Es. Agr. bras. p. 304. Duperr. it. tab. 22.

V. spp. Bras.

Hujus, excepta foliorum forma et latitudine descriptioni ill. Neesii perfecte respondentis, non nisi varietatem angustifoliam vidi. — Sunt autem huic nostrae *Culmus* sesquipedalis, tenuis, simplex, sub lente pubescens; *Nodi* annulares, prominentes, angusti; *Vaginae* pl. min. hirtae; *Ligula* brevissima l. obsoleta; *Folia* lanceolata l. lanceolato-linearia (ovato-oblonga *Ns.*), lineas ad summum 5 ($\frac{2}{3}$ — 1-pollicem *Ns.*) lata, subtus glauca et hirta l. scabra tantum. Panicula contracta, fere 4-pollicaris (ad summum sesquipollicaris *Ns.*). *Spiculae masculae* lineares, purpureae, *femineae* lanceolato-ovatae, virides.

Olyra fasciculata. Paniculae terminalis axillariumque radiis fasciculatis, simplicissime thyrsoideo-racemosis, inferne masculis, superne pauci-femineis; Glumis masculis acutissimis femineisque subcaudato-acuminatis glabris; Perianthio femineo elliptico-lineari, glabro, punctulato; Foliis ovatis, acuminatis, basi plerumque hinc subtrapezoideo-rotundatis.

V. spp. Bahiens.

4-pedalis? *Culmi* abscissi ad nodos glabros subaequi. *Vaginae* glabrae, lamina breviores. *Ligula* membranacea, brevis, apice truncato brevissime fimbriato-denticulata. *Folia* ovata, acuminata, basi aut subaequali cuneato-rotundata, aut hinc subtrapezoideo-latiori, in petiolum brevem attenuata, undique glabra, pagina inferiori glaucescentia: inferiora dodrantalia et pollices

3 lata. E vagina suprema et ex foliorum superiorum axillis prodeunt aut radii paniculae adhuc latentis, aut pedunculus nudus in radios pl. min. fasciculatos discedens. *Radii* pl. min. palmares, simplicissime thyrsigeri, inde ab ipsa basi *spiculas* exserentes *masculas*, brevissime pedicellatas, plurimas, subadpressas, lanceolato-lineares, acutas, lineas 3 longas. *Spiculae femineae* aliquot terminales, distantiores, ovato-lanceolatae, 6 — 8-lineales. *Glumae* 7-nerves, caudato-acuminatae: inferior paulo longior. *Perianthium* 4-lineale, lineari-ellipticum, obtusiusculum, glabrum, tenuissime punctulatum.

Olyra capillata. Paniculae terminalis radiis inferioribus totis masculis, extremis axillaribusque totis femineis; Glumis masculis capillaceo-caudatis femineisque subulatis glabris; Perianthio femineo elliptico-lineari, glabro laevique; Foliorum, sursum majorum, superioribus ovatis l. lanceolato-ovatis, acuminatis, basi subaequali-rotundatis; inferioribus cordatis.

Olyra floribunda Trin. Diss. II. p. 250. (non *Raddi*).

V. spp. Bras.

Culmus sesquipedalis, plurinodis, ad nodos pubescentes aequus l. parum geniculatus. *Vaginae* glabrae, marginem versus hirtulae. *Ligula* membranacea, brevis, subrepando-truncata. *Folia* sursum sensim majora; inferiora cordata, pollicaria et breviora (interdum brevissima et angustissima), superiora 3 — 4-pollicaria, lanceolato-oblonga l. lanceolato-ovata, sesquipollicem lata, in petiolum brevissimum hirtum attenuata, basi subaequali-rotundata: omnia acuminata, undique glabra, glaucescentia. *Juba* terminalis 3-pollicaris. *Radii* solitarii l. aliquot in pseudo-verticillum collecti, satis conferti, racemiformes, adpresso-radiolosi: inferiores toti masculi; supremus totus et masculorum superiorum unus alterve apice feminiferus. *Spiculae masculae* plurimae, brevipedicellatae, angusto-lineari-lanceolatae, circiter 3-lineales, rubentes. *Glumae* 3-nerves: inferior in subulam capillaceam excurrens; superior acuminata. *Perianthium* nullum. — *Spiculae femineae* aliquot in jubae radiolo supremo praetereaque in racemis foliorum axillaribus breviusculis simplicissimis, pedi-

cellatae, lineari-ovatae, semipollicares aut paulo longiores. *Glumae* parum inaequali- subcaudato-subulatae: inferior, paulo longior, sub-7-, superior sub-5-nervis. *Perianthium* lineari-ellipticum, obtusum, glabrum, laeve, glumis quintam partem brevius.

Olyra filiformis. Paniculae terminalis (pauciflorae, angustae) interdum et axillarium (filiformi- et elongato-pedunculatarum) radiis inferne masculis; Spicula feminea terminali subsolitaria; Glumis masculis acutis femineisque subulatis glabris; Perianthio femineo elliptico-lineari, glabro, punctulato; Foliis sublinearibus, acuminatis, basi inaequali hinc trapezoideo-angulatis.

V. spp. Bahiens.

2 — 3-pedalis? — *Culmi* graciles, plurinodes, ad nodos annuliformes glabros aequi. *Vaginae* arctiusculae, glabrae, lamina breviores. *Ligula* chartacea, brevis. *Folia* fere linearia, lineas 5 — 8 lata, pollices fere 6 longa, acuminata, basi in petiolum brevissimum attenuata et altero latere latiori trapezoideo-angulata, marginibus hispidula, in pagina inferiori viridi scabra, in superiori glauca. *Pedunculi* e vagina suprema, interdum etiam ex axilla folii secundi, 1 — 2, filiformes, elongati, paniculam ferentes angustam, paucifloram, circiter palmarem, e radiis aliquot subadpresso-erectis et subsimplicibus compositam. *Spiculae masculae* in radiis inferiores, plures, subadpressae, brevissime pedicellatae, plerumque binatae: altera subsessili: lanceolatae, acutae, lineas 2 et quod excedit longae, sub lente scabriusculae. *Gluma* inferior 3-, superior 2-nervis. — *Spicula feminea* in apice radiorum terminalis, ovata, circiter lineas 8 longa. *Glumae* caudato-subulatae, non multum inaequales, glabrae: inferior 5 — 7-, superior 5-nervis. *Perianthium* elliptico-lineare, acutiusculum, glumis dimidio brevius, glabrum, punctulis apiatum.

Olyra ventricosa N. ab Es. Paniculae terminalis radiis inferioribus masculis, superioribus pluri-femineis; Glumis caudato-subulatis: masculis glabris, femineis hirsutis; Perianthio femineo ovato, scrobiculato-aspero; Foliis lanceolatis l. ovato-lanceolatis, acuminatis, basi subaequalibus.

Olyra ventricosa. N. ab Es. Agr. bras. p. 303. — *O. micrantha Hb. Kth.* n. gen. et sp. 1. p. 199. Rev. gram. tab. 12. Agr. syn. p. 69 et 70. (Var. ligula elongata). — *O. hirsuta Trin.* Diss. II. p. 250.

V. spp. Bras.

Memorabilis ob ligulam interdum ad pollicis longitudinem elongatam, subcoriaceam, culmum obvolventem; in *ventricosa N. Es.* quidem subnullam dictam: quam tamen per Varietatem foliis angustioribus sensim accrescere videre est.

Olyra ramosissima. Paniculis ramorum terminalibus, numerosis, inferne masculis, superne plurifemineis; Glumis utriusque sexus acutiusculis: masculis hirsutis, femineis glabris; Perianthio femineo ovato, glabro laevique; Foliis lineari-lanceolatis, acutiusculis, basi parum inaequalibus.

V. spp. Bahiens.

2-pedalis? *Rami* plurimi, conferti, patuli, strictiusculi, glaberrimi, fasciculato et strictiusculo-ramulosi, plurinodes, ad nodos annuliformes glabros aequi. *Vaginae* glabrae. *Ligula* fere nil nisi margo transversalis angustissimus. *Folia* patula et patentia, lineari-lanceolata, acutiuscula (ex apice obtuso breviacutata), strictiuscula, superne magis, inferne et ad margines minus scabra, sesqui — 3-pollicaria, lineas 4 — 6 lata (ramorum juniorum angustiora). *Paniculae* (*Jubae*) in apicibus radiorum, e vaginis saepe conferte fasciculatorum, numerosae, circiter 2-pollicares. *Radii* sparsi, solitarii vel aliquot conferti, parum compositi: inferiores toti masculi, supremi toti feminei. *Spiculae masculae* in quovis radiolo plures, inaequali-pedicellatae, lineari-ovatae, acutiusculae, sesquilineales. *Glumae* tenero- herbaceo-membranaceae: inferior 3-nervis, hirsuta; superior subenervis, glabra l. superne pilis aliquot adspersa. — *Spiculae femineae* in radiolis supremis plures, oblongae, acutiusculae, marium longitudine sed iisdem latiores, glabrae. *Gluma* inferior 7-, superior 5-nervis. *Perianthium* glumis tertiam partem brevius, oblongum, obtusiusculum, glabrum et laeve.

b) *Spiculae femineae in racemis propriis, inferis vel paniculae masculae subjectis* (*Lithachne PB.*).

Olyra floribunda Raddi. Pedunculis terminalibus axillaribusque fasciculatis: aliis subpaniculiferis mere masculis, productioribus, aliis racemosis mere femineis, brevioribus; Glumis caudato-subulatis: masculis ciliatulis, femineis hirsutiusculis; Perianthio femineo lanceolato; Foliis lineari-ovatis, obtusis, basi aequalibus.

Olyra floribunda. N. ab Es. Agr. bras. p. 309. Kunth Agr. syn. p. 69.

Raddia brasiliensis Bertol.

V. spp. Bahiens.

Spiculae tam masculae quam femineae 3-lineales: illae angusto- lineari-lanceolatae, hae ovatae.

Olyra polypodioides. Pedunculis axillaribus: foliorum superiorum subpaniculiferis, mere masculis, folii infimi racemoso, mere femineo; Glumis masculis acutis femineisque subcaudato-acuminatis glabris; Perianthio femineo ovato-lanceolato; Foliis lineari-ovatis, obtusis, basi subaequalibus, distichis.

an *Strephium distichophyllum Schrad.* N. ab Es. Agr. bras. p. 298.

V. spp. Bahiens.

Culmi e radice sublignosa plures, simplices, tenues, fruticulum referunt erectum, circiter spithamaeum. *Nodi* plures, pubescentes. A basi ad medium culmum usque *Vaginae* aliquot distantes, internodio multo breviores, brachyphyllae; a medio ad apicem culmi plures, confertae, subimbricatae, praesertim marginem versus hirtae, lamina breviores. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* a medio ad apicem culmi conferta, disticha, patentia, subsessilia (ita ut culmus quilibet frondem Filicis quodammodo aemulet), lineari-ovata, obtusa cum mucronulo, basi subaequalia, glabra, viridia, sursum sensim paulo minora: inferiora lineas 8 longa, lineas 2 cum dimidia lata. *Pedunculi* e foliorum axillis breves: superiores subcompositi, mere *masculi*: Spiculis lanceolato-linearibus, bilinealibus, acutis. *Racemus femineus* non nisi e folii infimi axilla: Spiculis

ultra-bilinealibus, ovatis: gluma inferiori subcaudato-acuminata, 5-, superiori 3-nervi. *Perianthium* obtusiusculum, glumis paulo brevius.

Olyra pauciflora Sw! Pedunculis racemosis: terminalibus masculis, axillaribus femineis; Glumis masculis acutis femineisque caudato-subulatis glabris; Perianthio femineo obovato, truncato; Foliis oblongo-lanceolatis, acutissimis, basi hinc trapezoideo-angulatis.

Olyra pauciflora. Schlechtend. l. l. — *O. axillaris LaM.*

Lithachne axillaris PB. Agrostogr. Tab. XXIV. f. 2.

V. sp. Jam.

Luziola *Juss.*

Paniculae: terminalis Spiculae *masculae*, majores, sub- 10-andrae: Perianthium 0; axillarium Spiculae *femineae:* Perianthium 0. *Semen* pericarpio (solubili?) coriaceo inclusum.

Gramen Americae tropicum, aquaticum, repens, pl. min. pedale.

Folia linearia, plana.

Ligula membranacea, producta, acuta, lacera.

Paniculae terminalis, 2 — 3-pollicaris, contractae, radii tenues, simpliciusculi, cum radiolis (pedicellis) glabri. *Spiculae* omnes *masculae*, ovato-oblongae, 2-lineales, glabrae, muticae. *Glumae* parum inaequales, membranaceae: inferior 9-, superior 7-nervis. *Perianthium* nullum. *Lodicula* nulla. *Stamina* plerumque 10, filamentis brevissimis; Antheris angusto-linearibus, luteis.

Paniculae axillares s. inferiores ejusdem magnitudinis. *Spiculae* omnes *femineae*, lineam longae, masculis angustiores, ovato-lanceolatae, acutae. *Glumae* 2, subaequales: inferior 5-, superior 3-nervis. *Perianthium* nullum. *Lodicula* nulla. *Ovarium* ovato-oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa. *Fructus* (immaturus) akenium? obovato-oblongum, depressiusculum, liberum, eberbe, scutello suo paulo longius. Pericarpium coriaceum.

Luziola peruviana Juss. Kunth Agr. syn. p. 10. — *L. mexicana Hb. Kth.* *Milium natans Sprgl. S. V.* I. p. 120.

V. spp. Bras.

CARYOCHLOA *Trin.* Diss. II. p. 54.*)

Panicula. Spiculae masculae majores, 6-andrae, cum *femineis*, paulo minoribus, mixtae. *Perianthium* in utrisque nullum. *Fructus* akenium.

Genus (*Luziolae* fortasse nimis affine) Americae tropicum, paludosum; Culmo erecto, ultrapedali.

Folia linearia l. lanceolato-linearia, praelonga, vaginis in basi culmi confertis, longis, carinatis.

Ligula membranacea, producta, acuta, lacera.

Panicula circiter dodrantalis. *Radii* fasciculati, compositi. *Spiculae* utriusque sexus in panicula mixtae: *masculae* deciduae, lineam cum dimidia longae, oblongae, compressae, acutiusculae. *Glumae* tenui-membranaceae, subaequales: inferior 7-, superior angustior 5-nervis. *Perianthium* nullum. *Lodicula* nulla. *Stamina* 6. — *Spiculae femineae* lineam longae, ovato-orbiculatae, basi breviattenuatae, mucronulato-acutae. *Glumae* 2, subaequales, demum inflato-concavae: aut utraque 5-nervis, aut inferior 5-, superior 3-nervis. *Perianthium* nullum. *Lodicula* nulla. *Ovarium* subglobosum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa. *Semen* orbiculari-oblongum, compressiusculum, liberum, scutello suo $\frac{2}{3}$ longius, pericarpio coriaceo, solubili, nitido inclusum.

Caryochloa brasiliensis Trin. Diss. II. p. 248. N. ab Es. Agr. bras. p. 299. *Arrozia micrantha Schrad.* ined. Kunth. Agr. syn. p. 11.

V. spp. Bras.

*) OBS. Sprengelii *Caryochloa* ad Urachnem referenda.

Milium *L.*

Panicula. Spiculae hermaphroditae, elliptico-oblongae. *Perianthium* subcoriaceum, muticum.

Gramina utriusque orbis, a zona tropica (Americae) ad gradus boreales 60 et ultra descendentia, alia sylvas humidas, alia sicca et aprica amantia, erecta, 1 — 4-pedalia.

Folia linearia l. lanceolato-linearia; interdum involuta.

Ligula nunc membranacea, producta l. brevissima, nunc nil nisi margo fimbriatus angustissimus.

Panicula, rarius Juba panicularis, radiis verticillatis solitariisve pl. min. compositis.

Spiculae elliptico-oblongae, acutiusculae, 1 — 2-lineales, clausae, 1-florae. *Glumae* herbaceo-membranaceae vel membranaceae tantum, flosculum aequantes l. eodem parum longiores, aequales: nunc aequali- (3 — 5-) nerves, nunc inferior pluribus (5 — 7) quam superior (3 — 5) nervis praedita.

Perianthium hermaphroditum, sessile, elliptico- l. lanceolato-oblongum, chartaceo-subcoriaceum, plerumque deciduum, muticum: valvula inferiori superiorem obvolvente.

Lodiculae squamae aut ovatae, acutae vel inaequaliter denticulatae, aut cuneiformes, emarginatae.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* ramoso-plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis oblonga, compressiuscula, libera, eberbis, exsulca, scutello suo $\frac{2}{3}$ longior.

Obs. Nec lodicularum forma (cuneata in *Mil. amphicarpo* et *lanato*, saepe dentibus aliquot excisa in *Mil. effuso*) nec margo hyalinus perianthii *Milii lanati* sufficiunt ad divellendum genus satis naturale.

Milium effusum L. sp. pl. ed. 1. Paniculae radiis semiverticillatis, horizontali-patentibus; Glumis foliisque planis glabris; Radice perenni.

Milium effusum. R. et S. II. p. 319.

Miliarium effusum Mönch.

Agrostis effusa LaM.

V. spp. Germ. Petrop. Lapp. Cauc. or. Alt. Kamtsch. Canad.

Milium vernale MB! Paniculae radiis semiverticillatis, erecto-patulis; Glumis asperiusculis; Foliis planis, scabris; Radice annua.

M. vernale. R. et S. II. p. 319. — *M. scabrum Mirlet.*

Agrostis vernalis Poir.

V. spp. Taur. Iber. Armen.

† *Milium minutiflorum.* Paniculae radiis (simplicissimis) verticillatis, erecto-patulis; Glumis pilosis; Foliis planis, glabris; Radice annua.

Panicum Perrottetii Kunth rev. gr. p. 395. tab. 111. Agr. syn. p. 96.

Senegal.

1 — 2-pedale. *Folia* 3 lineas lata, sub- 3-pollicaria. *Panicula* 5 — 6-pollicaris, radiis pollicaribus. *Spiculae* solitariae, pusillae. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* acutum.

Milium amphicarpon Pursh. Paniculae radiis subsolitariis, erectis; Glumis glabris; Foliis planis, pilosis; Radice (Rhizomate) vivipara.

Milium amphicarpon. R. et S. II. p. 320. — *M. ciliatum Mühlenb.*

Amphicarpum Purshii Kunth Agr. syn. p. 67.

V. spp. Am. bor.

Obs. De florum structura v. *Sprgl. n. Entd.* II. p. 50. Spiculae paniculae non masculae, sed hermaphroditae; rhizomatis majores mere femineae? Tam his quam illis glumae 2: in prioribus 5-, in radicalibus multi- (15-) nerves.

Milium lanatum R. et S. Jubae panicularis radiis pseudoverticillatis, contractiusculo-erectis; Glumis villosis; Foliis subinvolutis, glabris; Radice annua.

Milium lanatum. R. et S. II. p. 322. Kunth rev. gram. p. 497. tab. 163. (var. grandiflora).

Paspalum lanatum Hb. Kth. n. gen.

Leptocoryphium lanatum N. ab Es. Agr. bras. p. 84.

V. spp. Bras. Ind. occ.

Glumae 5-nerves, aut inferior 7-, superior 5 — 7-nervis. Perianthium membranaceo-marginatum.

URACHNE *Trin.* Fund. Agr. p. 109.

Panicula (interdum lineari- s. racemiformi-restricta). *Spiculae* hermaphroditae, elliptico-oblongae. *Perianthium* coriaceum, apice obtuso aristatum: arista caduca.

Gramina partim tropica Americana (*Nassella*), partim utriusque hemisphaerii borealis (intra gradus circiter 40 — 50), sylvas, graminosa, saxosa habitantia, erecta, majora pedes aliquot alta.

Folia linearia aut lineari-lanceolata, interdum angustissima et involuta.

Ligula plerumque membranacea, nunc pl. min. producta, nunc brevissima; interdum ciliaris.

Paniculae radii 2 — 8 in semiverticillis, superne floriferi, (interdum breves, simplices et sub- 1-flori, racemiformi-contracti).

Spiculae hermaphroditae, elliptico-oblongae vel, ob glumas acuminatas, ovato-lanceolatae, erectae, 1-florae. *Glumae* membranaceae, subaequales (inferiori tamen paulo majori), perianthio longiores vel ipsum aequantes, acuminatae vel, rarius, acutiusculae tantum, nunc aequali- (3 — 5-) nerves, nunc inferior pluribus (5 — 7 — 9 — 11) quam superior nervis notata: nervo medio saepe solo percurrente, lateralibus tum abbreviatis, interdum brevissimis.

Perianthium callo brevi, nudo vel pilis barbato insidens, suborbiculare vel pl. min. ellipticum, coriaceum, demum induratum et deciduum, nunc verrucosum, nunc glabrum, nunc pubescens, imo quandoque lanatum, valvulis aequalibus: inferiore (in *Nassella* ventricosa) superiorem angustiorem plerumque late obvol-

vente, apice obtusiusculo aristata: arista recta, pl. min. aequa, e glumis longe plerumque pl. min. exserta, caduca (in *Nassella* ob perianthium hinc gibbum laterali).

Lodiculae squamae 3 — 5: tribus (interioribus) lanceolatis, quarum 2 collaterali-anteriores, tertia dorsalis; binis exterioribus, si adsunt, interiores basi tubo brevi cingentibus, multo brevioribus, rotundatis, interiorum duabus anterioribus antepositis*).

Ovarium oblongum vel obovatum, glabrum vel superne pilosulum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares: apice nudae l. barbatae.

Fructus caryopsis oblonga, teres l. depressiuscula, libera (arcte inclusa), eberbis vel apice obsolete barbulata, dorso linea l. sulco angustissimo notata, scutello suo $\frac{3}{4}$ longior.

a) *Perianthium hinc gibbum, Arista lateralis: NASSELLA.* (*Caryochloa Sprgl.*).

Urachne chilensis. Glumis acuminato-caudulatis, perianthio linea minori, laevi et undique glabro fere dimidio longioribus; Arista aequa, incurva, hispidula, glumis bis terve longiori.

Caryochloa chilensis Sprgl. ms.

V. spp. Chil.

Culmus erectus, satis longe supra basin fasciculato- s. verticillato-ramosus: ramis subfiliformibus, floriferis. *Ligula* brevissima, membranacea, pilis tenuibus brevibusque stipata. *Folia* angustissima, siccitate setiformi-involuta, in-

---

*) Haec lodiculae, ubi squamis 5 composita est, organisatio, in gramine vivo ulterius investiganda, distincta in *Ur. caerulescente*, *grandiflora*, *virescente* et *lanata*; in *parviflora* tres interiores tantum, basi vero in tubum manifestum confluentes vidi. In *Nassellis* ut in *Ur. racemosa* et *asperifolia* squamae 2 exteriores nullae. *Ur. brevicaudatae* lodiculam status spicularum nimis juvenilis rite examinare non concessit: in hac squamas non nisi 2 collaterales vidisse mihi videor. — Squamae 3 interiores, cum staminum filamentis alternantes, staminum trium aliorum rudimenta, exteriores 2 vero, rotundato-cuneatae, vera, Paniceis sub hac forma solennis, lodicula censendae videntur.

feriora sesquipalmaria, culmea breviora (2 — 1 — semi-pollicaria), interdum refracta (quam var. b. SPRENGEL ms. s. n. *Caryochloae refractae*). *Panicula* sesquipollicaris et brevior, plerumque angusta. *Glumae* 3-nerves, aut inferior 5-nervis.

Urachne trichotoma. Glumis subacuminatis, perianthio linea minori, verrucoso-aspero, basi villis medium ipsius attingentibus cincto, fere triplo longioribus; Arista subaequa, tortili, hispida, glumis quinquies longiori.

Stipa trichotoma N. ab Es. Agr. bras. p. 375. Kth. rev. gr. tab. 121. Agr. syn. p. 182. Trin. in Mém. Ac. Petr. Ser. VI. I. p. 73.

V. spp. Bras. merid.

Culmus sesquipedalis et longior, subfiliformis. *Folia* setacea, spithamaea et breviora. *Ligula* chartacea, brevis, rotundata. *Panicula* dodrantalis, laxa. *Glumae* 3-nerves, vel inferior nervo laterali adventitio.

Urachne panicoides. Glumis caudatis, perianthio linea minori, verrucoso, basi villis brevissimis cincto, paulo longioribus; Arista flexuosula, demum parum tortili, glumis sesquilongiori.

Stipa panicoides (vix *LaM.*) R. et S. II. p. 341. N. ab Es. Agr. bras. p. 376. Kth. rev. gr. tab. 122. (var. parvula); Agr. syn. p. 182 (excl. syn. LaM? et Rich.).

Piptochaetium setifolium Presl. rel. Haenk. I. p. 222. tab. 37. f. 1. (panicula angusta, minori). *Stipa setifolia Kth.* Agr. syn. p. 182.

V. spp. Chil. Bras. merid.

Culmus sesquipedalis et minor, tenuis. *Folia* filiformi-setacea. *Panicula* bipollicaris, lineari-oblonga. *Gluma* utraque 5-nervis, aut inferior 5-, superior 3-nervis.

Urachne setosa. Glumis caudatis, perianthio ultra- (subsesqui-) lineali, striato, basi villis fere medium ipsius attingentibus cincto, tertiam partem vel subduplo longioribus; Arista tortili, flexuosula, inferne pubescente, glumis subtriplo longiori.

Stipa panicoides **LaM.** (omnino videtur!) — *St. ovata Trin.* l. l. — *St. bicolor*, *β*, 1. *N. ab Es.* Agr. bras. p. 373.

Oryzopsis setacea Rich. in Dict. class. T. XII. p. 445, cum tab. (planta pumila).

V. spp. Chil. Montevid.

Culmus 1 — 2-pedalis (aut minor). *Folia* setacea. *Panicula* sesqui — 4-pollicaris, contracta: plantae Chilensis atropurpurea, Brasilianae pallide virens aut e flavente et purpureo varia. *Glumae* 5-nerves, aut inferior 5-, superior 3 — 5-nervis.

b) *Perianthium ellipticum, aristam medio apice ferens.*

Urachne parviflora. Paniculae radiis in verticillo pluribus, multifloris; Perianthii, glumis acuminatis tertiam partem brevioris, glabri, arista glumis duplo longiori; Antheris barbatis.

Agrostis miliacea **L.** sp. pl. ed. 2. — *A. oseroensis Seen!* — *A. montis aurei Delarb.* — *A. Milium comosum Poir.* — *A. monandra ht. Hafn.!*

Milium multiflorum Cav. — *M. arundinaceum Sibth.* — *M. frutescens Sieb.* — *M. pauciflorum ht. Madr.* (macrum). — *M. geditanum ht. Gor.*

Achnatherum miliaceum **PB.**

Piptatherum multiflorum **PB.** R. et S. II. p. 329. Kunth Agr. syn. p. 177. — *P. frutescens Lk.* En. — *P. comosum R. et S.* II. p. 330. mant. 2. p. 184.

Urachne parviflora Trin. Diss. I. p. 173. — *U. multiflora* et *frutescens* **LK.** ht. Berol.

V. spp. Hisp. Gall. Ital. Graec.

Urachne caerulescens. Paniculae radiis binis solitariisque, multifloris; Perianthii, glumis acuminatis subduplo brevioris, glabri, arista intra glumas occulta; Antheris nudis.

Urachne caerulescens Trin. Diss. I. p. 174.

Milium caerulescens Schousb. — *M. purpureum LaPeyr.*

Agrostis caerulescens Poir.

Piptatherum caerulescens PB. R. et S. II. p. 328. Kunth. Agr. syn. p. 176.

V. spp. Hisp. Gall. Cret.

Urachne grandiflora. Paniculae radiis binis, multifloris; Perianthii, glumis acuminatis tertiam partem l. subduplo brevioris, pubescentis, arista glumis tertiam quartamve partem longiori; Antheris barbatis.

Urachne grandiflora Trin. Diss. I. p. 174. Ledeb. Fl. alt. I. p. 78. Ic. tab. 221.

Agrostis holciformis MB!

Piptatherum holciforme R. et S. II. p. 328. Kunth Agr. syn. p. 177.

V. spp. Taur. Alt.

Urachne virescens. Paniculae radiis 2 — pluribus, multifloris; Perianthii, glumis acuminatis tertiam partem brevioris, pubescentis, arista glumis quadruplo longiori; Antheris nudis.

Agrostis paradoxa L. sp. pl. ed. 1.

Milium paradoxum Scop.

Piptatherum paradoxum PB. R. et S. II. p. 328. Kunth. Agr. syn. p. 177.

Oryzopsis paradoxa Nutt. Journ. of the Acad. of Philad. III. p. 125.

Urachne virescens Trin. Diss. I. p. 173.

V. spp. Monsp. Carinth. Iber. Armen.

Urachne lanata. Paniculae radiis binis, plurifloris; Perianthii, glumis caudato-acuminatis tertiam partem brevioris, sericeo-lanati, arista glumis paulo longiori; Antheris barbatis.

Stipa membranacea Pursh. Kunth Agr. syn. p. 186. — *St. hymenodes R. et S.* II. p. 339. Mant. II. p. 188. — *St. villosa Walt?*

Eriocoma cuspidata Nutt.

Milium cuspidatum Sprgl. S. V. I. p. 251.

V. sp. Am. bor.

Glumae 5-nerves, obsolete pubescentes. Valvula inferior undique, praesertim inferne apiceque erecto-villosa. Valvula superior, apice brevi-cuspidata, medio dorso longitudinaliter villosa.

Urachne racemosa. Paniculae radiis binis, plurifloris; Perianthii, glumis acuminatis paulo brevioris, pubescentis, arista glumis fere triplo longiori; Antheris nudis.

Milium racemosum Sm. Schult. Mant. II. p. 178.

Oryzopsis melanocarpa Mühlenb. — sub *O. asperifolia* Kunth. Agr. syn. p. 176.

Piptatherum nigrum Torr!

Urachne racemosa Trin. Diss. I. p. 174. — *U. melanosperma Lk.*

V. spp. Pennsylv.

Gluma inferior 9-, superior 5-nervis. Lodiculae squamae lanceolato-lineares, ovarium pilosum aequantes: anteriores 2, obtusiusculae; tertia dorsalis ovarii basi adhaerens, anterioribus sublongior, acuta.

Urachne brevicaudata. Paniculae radiis binis, plurifloris; Perianthii, glumas nunc acutiusculas nunc obtusas aequantis, pubescentis, arista glumis paulo longiori; Antheris nudis.

Stipa canadensis Poir. R. et S. II. p. 338. Kunth. Agr. syn. p. 180.

Stipa juncea Mchx.

Milium pungens Torr! Schult. Mant. II. p. 178.

Oryzopsis parviflora Nutt. Journ. of the Acad. of Philad. III. p. 125.

V. spp. Am. bor. (ad lacum Winipeg ll.).

Culmus circiter sesquipedalis, tenuis, subfiliformis, ad nodos 2, glabros, aequus l. leviter geniculatus, simplex, scabriusculus, superne longe nudus. *Vaginae* laxiusculae, superiores lamina longiores, superne scabriusculae, cum foliis pallide glaucae. *Ligula* chartacea, exserta, acutiuscula, decurrens. *Folia* erecta, perangusta, fasciculorum filiformia, culmea subsetaceo-involuta corumve unum vel alterum planiusculum, lineam dimidiam latum, asperiuscula: fasciculorum dodrantalia — ultrapedalia; culmea strictiuscula: inferiora palmaria — bipollicaria, suprema breviora. *Panicula* 2 — 3-pollicaris, contractiuscula. *Radii* plerumque bini, altero latere scabri, superne (vel unus alterve non longe supra basin) di-vel trichotomi. *Pedicelli* apice subclavati. *Spiculae*,

maturae partim totae (cum glumis) deciduae, oblongae, bilineales, e viridi albentes vel amethystinae. *Glumae* plerumque persistentes, membranaceae, subaequales (inferior tamen nonnihil longior), acutiusculae, maturitate plerumque obtusae, glabrae, perianthium aequantes: inferior obsolete sub-9-, superior 3 — 5 — 7-nervis: nervo medio in plerisque solo subpercurrente, reliquis pl. min. abbreviatis. *Perianthium* caducum, callo brevi barbulato insidens, coriaceo-chartaceum, ellipticum, praesertim inferne et superne pubescens: Valvula inferior ex apice obtuso emittit aristulam brevem, rectam, scabram, deciduam, glumas paulo superantem. Valvula superior aequilonga. *Ovarium* oblongum, glabrum.

Urachne asperifolia. Paniculae (simplicissimae, racemiformi-linearis) radiis binis, subunifloris; Perianthii, glumas mucronato-acutas aequantis l. subexcedentis, pubescentis, arista glumis subsesquilongiori; Antheris barbatis.

Oryzopsis asperifolia Mchx. R. et S. II. p. 264.

Urachne asperifolia Trin. Diss. I. p. 174. — *U. leucosperma Lk.*

V. spp. Amer. bor.

Gluma inferior 9 — 11-, superior 7 — 9-nervis. *Perianthium* basi dense barbatum. *Lodiculae* squamae 3, lineari-lanceolatae, hyalinae: anteriores 2 praelongae (ovario glabro multo longiores), acutae; dorsalis, ovarii basi adhaerens, brevior, paulo angustior, obtusiuscula.

Paspalum *L.*

Racemi simplicissimi, nunc solitarii, nunc digitati l. jubato-paniculati. *Spiculae* hermaphroditae, clausae, 2 — 3 — 4-serialiter imbricatae. *Perianthium* pl. min. oblongum, coriaceum, muticum l. (rarissime) aciculatum.

Gramina utrique quidem orbi indigena, in recentiori tamen numero longe praevalentia, in antiquiori orientalia; potissimum tropica: in illo, septentrionem

versus, ad 40 (- 46), in hoc, meridiem versus, ad 35 et quod excedit, gradus descendentia, diversissimo solo familiaria, erecta l. repentia, magnitudine varia.

Folia linearia, saepe involuta; haud raro lanceolata.

Ligula membranacea, plerumque brevis et brevissima; saepe ciliaris.

Spiculae in racemis simplicibus, aut solitariis, aut digitatis, aut alternis vel jubato-paniculatis, ad axin partialem plerumque complanatum interdum foliaceum unilaterales, regulariter 2 — 3 — 4-seriales, pl. min. imbricatae, sessiles l. brevipedicellatae, axin dorso convexo spectantes, fronte planiores, orbiculatae, oblongae l. ellipticae, obtusae l. pl. min. acutae, clausae, hermaphroditae, (rarissime hemiologamae).

Glumae membranaceae, flosculum aequantes vel superantes, aequilongae, 3 — 5-nerves, aut inferior rarius brevior, concava, 5-nervis, superior planior 3-nervis. — Ob nervos, praesertim medios, saepe obsoletos, gluma inferior interdum non nisi 3 — 5-nervis invenitur, dum superior (flosculus neuter) nervis pluribus (5 — 7) gaudet. — Rarissime glumae superiori subjecta glumula pusilla, ut in Panico).

Perianthium subsessile, pl. min. coriaceum (rarius chartaceum), orbiculatum, oblongum l. ellipticum, muticum aut aristulato-mucronatum l. apice barbulatum. Valvula inferior concava superiorem subaequilongam planiorem amplectens.

Lodiculae squamae 2, breves, collaterales, subcuneato-quadratae, emarginatae.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Filamenta* brevia. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis oblonga l. orbicularis, depressiuscula, libera (arcte inclusa), eberbis, exsulca, scutello suo dimidio l. $\frac{2}{3}$ longior.

Subdivisiones:

A. Spiculae cum pedicello claviformi mediante toro calloso articulatae; Perianthium apice aciculatum, l. barbulatum — HELOPUS.

OBS. Ut Paspalum non nisi defectu glumae inferioris (paleae quintae — in speciebus nonnullis nihilominus vage adventitiae) a Panico distinguitur, ita gluma s. d. superior (flosculus neuter) in Helopode nonnunquam reapse bivalvis invenitur.

B. Spiculae cum pedicello absque toro junctae; Perianthio mutico, l. rarius apice barbulato — PASPALA *genuina* (exclusa Cabrera quae Panici subdivisio).

A. HELOPUS *Trin.* Fund. Agr.

(Gramina plerumque ramosa, racemis alternis, rarius subconjugatis; Spiculis lanceolato-ellipticis, acutis l. acuminatis, semper villosulis et depressis; Perianthii elliptici, obtusissimi, glumis pl. min. brevioris, aristula l. coma inclusa).

Paspalum annulatum Flügg. Sesquipedale, decumbens. Racemis 10 — 15, alternis, pedunculatis sessilibusve; Axi communi partialibusque glabris (illove leviter pubescente); Spiculis ultralinealibus, acuminatis, 4 — 2-serialibus, laxis; Perianthio aristulato; Foliis linearibus, glabris.

Paspalum annulatum. R. et S. II. p. 303. Trin. ic. gr. XII. tab. 133.
Milium ramosum Retz.
Agrostis ramosa Poir.
Helopus laevis Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 49.
Eriochloa? annulata Kth. Agr. syn. p. 73.
V. spp. Ind. or. Philipp. Bras.

Ramosum. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* plana aut compresso-involuta, lineas 1 — 3 lata, spithamaea — palmaria. *Axis communis* 3 — 4-pollicaris, teretiusculus. *Racemi* interdum radiolosi (spiculae loco radiolus 3 — 4-florus). *Pedicelli* superne pilos exserentes aliquot, satis longos, apice clavulatos. *Glumae* 5-nervés. *Perianthium* punctato-striatum, pallidum, aristula brevissima. — In speciminibus Brasilianis racemi sessiles, quorum inferiores in gram. orientali pedunculati; axis communis puberulus; pedicelli nudi.

Paspalum punctatum Flügg. 1 — 3-pedale, erectum. Racemis 5 — 12, sparsis, sessilibus; Axi communi partialibusque dense pubescentibus; Spiculis subbilinealibus, acuminatis, 4 — 2-serialibus, laxiuscule imbricatis; Perianthio aristulato; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Paspalum punctatum. Trin. ic. gr. XIII. tab. 153.

Piptatherum punctatum PB. R. et S. II. p. 329. — *P. annulatum Radd.* Agr. bras. p. 30.

Milium punctatum L.

Agrostis punctata LaM.

Helopus pilosus Trin. Fund. Agr. p. 104.

Oedipachne punctata Lk.

Eriochloa punctata Hamilt. Kth. Agr. syn. p. 72.

V. spp. Ind. occ. Guian. Bras.

Nodi pubescentes. *Vaginae*, excepta fauce, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* 3 — 5 lineas lata, inferiora pedalia. *Axis communis* 3 — 6-pollicaris, angulatus. *Pedicellorum* pili longi, apice clavulati. *Glumae* et *Perianthium* ut in praecedente, sed aristula longior.

Paspalum succinctum. Palmare — pedale, adscendendo-prostratum. Racemis sub-6, alternis, sessilibus; Axi communi partialibusque puberulis; Spiculis ultralinealibus, acutissimis, 4 — 2-serialibus, laxiusculis; Perianthio aristulato; Foliis sublanceolato-linearibus, pubescentibus.

Paspalum succinctum Trin. Diss. II. p. 119. ic. gr. XIII. tab. 156.

Eriochloa succinta Kunth Agr. syn. p. 73.

V. spp. Astrachan.

Culmi ramosi. *Vaginae* pubescentes. *Ligula* ciliaris. *Folia* linea latiora, 1 — 2-pollicaria. *Axis communis* sequi — tri-pollicaris, triqueter. *Racemi* (pl. min. pollicares) subadpressi, cum tota planta glaucescentes. *Pedicelli* pubescentes, pilis apicis brevissimis, attenuatis. Rel. ut in priori. *Aristula* brevis.

Paspalum tridentatum. Spithamaeum, adscendens. Racemis sub-3, alternis, sessilibus; Axi communi partialibusque hirsuto-pubescentibus; Spiculis bilinealibus, tridentato-mucronatis, biserialibus, subimbricatis; Perianthio aristulato; Foliis lanceolatis, glabris.

Paspalum tridentatum Trin. Diss. II. p. 119.

V. spp. Am. aequin.

Ramosissimum. *Vaginae* pubescentes. *Ligula* ciliaris. *Folia* e basi cordata lanceolata, sesqui — 3-lineas lata, pollice breviora — fere 2-pollicaria. *Racemi* pl. min. semipollicares. Pedicellorum brevissimorum pili attenuati. *Glumae* ultra medium usque pilosulae: inferior apice 3-dentata: dente medio productiori. *Perianthium* glumis dimidio brevius; aristula brevissima.

Paspalum obtusifolium Radd. Pl. min. pedale, repens l. adscendendo-erectum. Racemis 2 — 3, subconjugatis alternisve, sessilibus; Axi communi partialibusque glabris; Spiculis subultralinealibus (majoribusve), acutis, biserialibus, subimbricatis remotisve; Perianthio apice barbulato; Foliis linearibus l. oblongo-linearibus, (obtusis), ciliatulis.

Paspalum obtusifolium. Trin. ic. gram. X. tab. 115. — *P. barbatum Schult.* Mant. 3. p. 558.

Panicum ischaemoides Koen! in hbio Banks. (fide herb. ill. JACQUINI; nam longissime hoc gramen distat ab eo quod Retzius descripsit in Obs. IV. p. 17).

Helopus barbatus Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 49.

V. spp. Ind. or. Bras.

Pl. min. ramosum, interdum late repens. *Vaginae*, excepta fauce, glabrae. *Ligula* membranacea, subobsoleta. *Folia* basi rotundata, semi-amplectentia, lineas 3 — 7 lata: in gramine humiliori oblongo-linearia, 1 — 2-pollicaria, in altiori linearia, interdum spithama longiora. *Racemi* 1 — 2- (rarissime 4-) pollicares. *Pedicelli* brevissimi, glabri. *Spiculae* interdum ad nervos pilosulae, in majoribus remotiores. *Glumae* 5 — 7-nerves. *Perianthium* punctulato-striatum, albens.

Paspalum brachystachyum. Pl. min. 2-pedale, erectum. Racemis 2—4, alternis, sessilibus; Axi communi partialibusque hirsuto-pubescentibus; Spiculis subsesquilinealibus, acutissimis, biserialibus, imbricatis; Perianthio barbulato; Foliis linearibus, pubescentibus l., ut vaginae, glabris.

Helopus brachystachys Trin. ic. gr. XXIV. tab. 277.

? *Eriochloa distachya Kth.* n. gen. p. 95. tab. 30. (ubi vero perianthium glumis duplo brevius dicitur).

V. spp. Bras.

Culmus ad nodos barbulatos et infra racemos pubescens, interdum squarroso-ramosus. *Vaginae* glabrae aut pilis rarissimis adspersae. *Ligula* ciliaris. *Folia* fasciculorum angustissima, pl. min. involuta, pubescentia; culmea plana, lineas 2 lata, glabra vel pubescentia: inferiora spithamaea et longiora. *Axis communis* tenuis, sesqui — bi-pollicaris. *Racemi* pollice breviores, distantes. *Pedicellorum* brevium villi extimi spiculam fere aequant. *Glumae* 3 — 5-nerves: superior (flosculus neuter l. incompletus) plerumque bivalvis cum rudimentis staminum: valvula interiori subaequilonga, tenera, dissite binervi. *Perianthium* pallidum, tenuissime transversim rugulosum, glumis paulo brevius.

Paspalum ctenostachyum. 4 — 5-pedale, erectum. Racemis 3 — 6, alternis, subsessilibus; Axi communi partialibusque hirsuto-pubescentibus; Spiculis bilinealibus, acutis, biserialibus, (pectinato-) imbricatis; Perianthio barbulato; Foliis linearibus vaginisque pubescentibus.

Helopus grandiflorus Trin. ic. gr. XXIV. tab. 278.

V. spp. Bras.

Culmus totus, praesertim infra nodos et racemos, molliter pubescens, simplex l. basin versus ramos erectos emittens. *Vaginae* totae pubescentes. *Ligula* membranacea, brevissima, dorso pilis brevibus stipata. *Axis communis* fere spithamaeus. *Racemi* erecti, distantes, gilvescentes, 2-pollicares. *Pedicellorum* brevissimorum villi supremi spicula non multum breviores. *Glumae*

obsolete 5-nerves: superior (flosculus incompletus) plerumque bivalvis, mascula: valvula interiori tenui-membranacea, paulo breviori. *Perianthium* glumis fere tertiam partem brevius, pallidum, punctulatum.

B. Paspala genuina *).

a. *Spiculis pusillis vel minimis* **).

α. *Axi partiali spicula singula angustiori* ($\overline{-}$) *vel ejusdem latitudinis* ($=$).

Paspalum granulare. Pedale, decumbens? Racemis conjugatis (sesquipollicaribus): Axi $\overline{-}$, glabro; Spiculis pusillis, 2 — 3-serialibus, pedicellatis, oblongis, acutiusculis, pilosulis; Foliis linearibus vaginisque glabris.

Milium setaceum Koen! in hbio Banks.

Paspalum granulare Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 47.

V. sp. Ind. or.

Culmus filiformis, inferne ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* oblonga, truncata. *Folia* lineam lata, plana, inferiora sesquipollicaria. *Racemi* tenues, brevipedunculati. *Axis partialis* angustissimus. *Glumae* obtusiusculae: inferior 5 — 7-, superior 3 — 5-nervis. *Perianthium* acutiusculum.

Paspalum papillosum Sprgl. Digitale — dodrantale, erectum. Racemis conjugatis (pollicaribus); Axi $\overline{-}$, glabro; Spiculis minimis, biserialibus, subsessilibus, orbiculatis, papillosis; Foliis linearibus, villosis.

---

*) *Spiculae* in hac et sequente tribu dicuntur:

pusillae i. e. linea dimidia breviores.	*pedicellatae* i. e. pedicello spicularum longitudine.
minimae i. e. lineae dimidiae.	*brevipedicellatae* i. e. ped. spicula circiter dimidio breviori.
parvae i. e. linea breviores.	*brevissime pedicellatae* i. e. ped. spicula multo breviori.
lineales i. e. lineam longae.	
magnae, *maximae* } i. e. linearum 2 — 3.	

**) Species hujus subdivisionis, recensitae secundum racemorum numerum, incipiendo a racemis conjugatis progrediuntur per digitatos et alternos ad jubato-paniculatos.

Paspalum papillosum. Schult. Mant. II. p. 166. N. ab Es. Agr. bras. p. 51.

V. spp. Bras.

Erecto-ramosum. *Ligula* brevissima. *Folia* conferta, 1 — 3-pollicaria, lineam lata, acuminata. *Racemi* furcati. *Glumae* 3-nerves.

Paspalum Swartzianum Flügg. Sub-bipedale, erectum. Racemo solitario vel 2 — 3 subdigitatis (2 — 3-pollicaribus); Axi sub =, glabro; Spiculis subminimis, biserialibus, brevipedicellatis, ellipticis, obtusiusculis, cum Foliis angustissimo-linearibus vaginisque glabris.

Paspalum Swartzianum. R. et S. II. p. 297. — *P. lineare Sw.* ms. — *P. filiforme Sw.* Fl. Ind. occ.

V. sp. Ind. occ.

Gramen tenue. *Folia* subfiliformi-linearia, tertiam lineae partem lata, dodrantalia — sensim breviora. *Racemus* (in exemplo a me viso solitarius) falcatus, pertenuis, glaucescendo-viridis. *Spiculae* linea dimidia paulo longiores. *Gluma* inferior 5-nervis, nervis lateralibus marginalibus; superior 3-nervis. *Hermaphroditus* junior viridis.

Paspalum capillare LaM. Semipedale, pedale, adscendens. Racemis 2 — 7, subdigitatis (pollice brevioribus); Axi =, glabro; Spiculis minimis, biserialibus, sessilibus, ellipticis Foliisque lanceolatis glabris.

Paspalum capillare. R. et S. II. p. 301. Trin. ic. gram. IX. tab. 100. Kth. rev. gr. p. 199. tab. 11.

V. spp. Bras.

Ramosum. *Vaginae* carinato-compressae. *Ligula* brevissima. *Folia* 1 — 2-pollicaria, lineas 1 — 2 lata. *Racemi* tenuissimi. *Glumae* 5-nerves. *Perianthium* fuscescens. — Lineolae pilosae spicularum, a cl. Kunth descriptae et delineatae, in nostris speciminibus nullae aut obsoletissimae.

Paspalum abstrusum. Pedale, decumbens. Racemis 2, alternis (4 — 5-linealibus); Axi =, glabro; Spiculis minimis, laxiuscule 2-serialibus, brevipedicellatis,

ellipticis, obtusis, glabris; Foliis angustissimo-linearibus vaginisque laxe longoque villosis.

V. sp. Bras. (Specimen unicum, cum gramine quodam alio complicatum).

Culmus filiformis, superne longe nudus. *Nodi* glabri. *Vaginae* laxe villosae: villis subpatentibus, e glandulis pusillis enatis. *Ligula* membranacea, brevissima, villis longis occulta. *Folia* circiter lineam dimidiam lata, eodem modo ac vaginae undique villosa: inferius spithamaeum. *Racemi* 2, dissite alterni, contracti, tenuissimi. *Axes partiales* basi fasciculo villorum satis longobarbati. *Spiculae* laxe et alterno-solitariae, pedicello ipsis dimidio breviori et pilosulo. *Gluma* inferior 5-, superior 3-nervis. *Perianthium* ellipticum, obtusissimum, saturate viride.

***Paspalum serpens* N. ab Es.** Spithamaeum, adscendens. Racemis 3 — 4, alternis (semipollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis pusillis, biserialibus, subsessilibus, oblongis, glabris; Foliis lineari-lanceolatis, junioribus pilis adspersis.

Paspalum serpens N. ab Es! Agr. bras. p. 50.

V. spp. Bras.

Vaginae ad oras barbatae. *Ligula* nil nisi margo transversalis. *Folia* 1 — sesqui-pollicaria, acuminata: majora sesquilineam lata, juniora vix linea dimidia latiora. *Racemus* inferior pl. min. vaginatus, reliqui basi barbati. *Glumae* perianthio parum longiores, binerves.

***Paspalum pusillum* Vent.** Digitale — dodrantale, repens. Racemis subternis, alternis (semipollicaribus et ultra); Axi =, glabro; Spiculis minimis, biserialibus, perbrevi-pedicellatis, obovato-orbiculatis Foliisque lineari-lanceolatis glabris.

Paspalum pusillum. R. et S. II. p. 298. Trin. ic. gr. XXIII. tab. 273. — *P. orbiculare Poir.*

V. spp. Guian. Bras.

Ramosum. *Nodi* pilosi. *Vaginae* compressae. *Ligula* brevissima. *Folia* pl. min. pollicaria, sesquilineam lata. *Racemi* basi barbati. *Spiculae* vix acutiusculae. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* demum castaneum.

Paspalum parviflorum Rhode. Digitale — spithamaeum, erectum. Racemis 2 — 4, alternis (semipollicaribus): Axi =, scabro; Spiculis pusillis, biserialibus, pedicellatis, elliptico-orbiculatis, glabris; Foliis angustissimo-linearibus vaginisque hirsutissimis.

Paspalum parviflorum. R. et S. II. p. 298. Trin. ic. gr. X. tab. 116.

V. spp. Bras. Ind. occ.

Dense et arctissime caespitosum, erecto-ramosum. *Ligula* brevissima. *Folia* erecta, 1 — 2-pollicaria. *Racemi* demum patentissimi, basi barbati. *Glumae* 2-nerves. *Perianthium* viride.

Paspalum arenarium Schrad. Spithamaeum — sesquipedale, adscendens. Racemis 1 — 2, alternis (sesquipollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis minimis, biserialibus, pedicellatis, obovato-subrotundis, glabriusculis; Foliis subovato-lanceolatis, hirtis.

Paspalum arenarium. Schult. Mant. II. p. 172. N. ab Es. Agr. bras. p. 54. Trin. ic. gr. X. tab. 109. — *P. longepedunculatum Lecont.* — *P. debile Mühlenb.* Schult. Mant. II. p. 172.

V. spp. Bras.

Gramen siccum fuscum. *Nodi* glabri. *Vaginae* ciliatae. *Ligula* subciliaris. *Folia* inferiora pl. min. pollicaria, lineas 4 lata, subamplexicaulia. *Pedunculi* communes elongati, tenues. *Glumae* obsolete 3-nerves. *Perianthium* viridipallens.

Paspalum caespitosum Flügge! Pedale, erectum. Racemis 3 — 4, alternis (pl. min. pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis subminimis, 3 — 4-serialibus, inaequaliter longepedicellatis, obovato-ellipticis, obtusis, glabris l. subpubescentibus; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Paspalum caespitosum. R. et S. II. p. 308. Trin. ic. gr. XI. tab. 121.

V. spp. Ind. occ. Guian.

Nodi pubescentes. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevis, membranacea, pilosula. *Folia* palmaria — spithamaea, 1½ — 2 lineas lata. *Glumae* 3 — 5-nerves. *Perianthium* virescens, demum stramineum.

Paspalum hyalinum N. ab Es. Ultrapedale, erectum. Racemis 2 — 3, alternis (subpollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis minimis, biserialibus, brevissime pedicellatis, oblongis, obtusis, glabris; Foliis subinvolutis, subdistichis, glabris l. basin versus tuberculato-ciliatis.

Paspalum hyalinum N. ab Es! Agr. bras. p. 49.

V. sp. Bras.

Culmus totus vaginatus. *Vaginae* compressae, glabrae. *Ligula* brevissima. *Folia* 3-, sensim semi-pollicaria, lineam lata. *Glumae* 3-nerves: nervo medio obsoleto. *Perianthium* pallidum.

Paspalum scalare. Pedale, obliquum? Racemis 1 — 4, conferto-alternis (1 — 1½-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis subminimis, 4-serialibus, subbrevipedicellatis, elliptico-oblongis, villoso-pubescentibus; Foliis sublanceolato-linearibus, patentissimo-distichis, glabris.

Paspalum scalare Trin. ic. gram. XXIII. tab. 274.

V. spp. Bras.

Totum pallidum. *Culmus* subfiliformis, distiche foliosissimus, superne adpresso-ramosus. *Vaginae* ad oras villosulae. *Ligula* brevissima, pilis coronata. *Folia* acuminata, 1 — 2-pollicaria, lineam lata. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* albens.

Paspalum paniculatum L. sp. pl. ed. 2. 2 — 3-pedale, erectum. Racemis 4 — 50, jubatis (3 — 1-pollicaribus); Axi ⚌, glabro (l. setoso-ciliato); Spiculis minimis l. subparvis, 3 — 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, obovato-orbiculatis, pubescentibus; Foliis lanceolato-linearibus, glabris pilosulisve.

Paspalum paniculatum. R. et S. II. p. 312 et 880. Trin. ic. gr. XI. tab. 127. — *P. strictum Pers.* R. et S. II. p. 313. — *P. hemisphaericum Poir.* — *P. compressicaule Radd.* Agr. bras. p. 29.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Nodi plerumque barbati. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* semi — ultra-pedalia, medio pl. min. pollicem dimidium lata. *Juba* palmaris — spithamaea, stricta. *Spiculae* obsolete acutiusculae. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* viridulum.

Paspalum malacophyllum. Tripedale et ultra, erectum. Racemis plurimis, jubatis (2 — 3-pollicaribus); Axi =, subglabro; Spiculis subminimis, 2 — 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, obovato-ellipticis, glabris; Foliis lanceolatis, molliter sericeo-pubescentibus.

Paspalum malacophyllum Trin. ic. gram. XXIII. tab. 271.

V. spp. Bras.

Nodi glabri. *Vaginae* inferiores glandulosae, marginem versus pilis mollibus hirsutae. *Ligula* brevissima. *Folia* acuminata, inferiora dodrantalia, pollicem lata, in pagina superiori subfuscescentia. *Jubae* pedalis axis pubescens. *Racemi* (30) basi barbati, margine hinc inde pilis adspersi. *Gluma* inferior 5-, superior 3-nervis. *Perianthium* chartaceum, fuscescendo-albens.

β. *Axi spicula latiori* (=).

Paspalum fluitans Kunth. Pedale, repens. Racemis plurimis, jubatis (pollicaribus); Axi =, foliaceo, glabro; Spiculis minimis, 2-serialibus, brevissime pedicellatis, lanceolato-ellipticis, acutis, pubescentibus; Foliis lineari-lanceolatis glabris.

Paspalum fluitans Kth. rev. gr. p. 24. Agr. syn. p. 41. — *P. mucronatum Mühlenb.* Schult. Mant. II. p. 167.

Ceresia fluitans Ell.

V. sp. Am. bor.

Decumbens, multinode, ramosum, totum vaginatum. *Vaginae* compressae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* pl. min. digitalia (inferiora breviora), latiora lineas 3 lata. *Jubae* e vaginis emergunt solitariae, 2 — 3-pollicares. *Racemi* subverticillati sparsique, tenues. *Spiculae* pallidae. *Glumarum*, perianthium excedentium, nervi obsoleti.

b. *Spiculis pl. min. linealibus (parvis — magnis maximisque).*

α. *Axi partiali spicula singula angustiori (=) vel ejusdem latitudinis (=)* *).

Paspalum aspidiotes. 2 — 3-pedale, erectum. Racemis 2, conjugatis (2 — 3-pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis maximis, biserialibus, sessilibus, cordatis, acutis Foliisque sublanceolato-linearibus glabris.

Paspalum aspidiotes Trin. ic. gram. XXIII. tab. 269.

V. spp. Bras.

Vaginae teretes, glabrae. *Ligula* membranacea brevissima. *Folia* linearia l. fere lanceolato-linearia, attenuata, lineas 3 — 4 lata, plana l. siccitate involuta, subcoriacea, pl. min. dodrantalia. *Racemi* crassi, gilvi. *Axis partialis* apice attenuato flores excedens. *Spiculae* depresso-complanatae, 3-lineales. *Glumae* inferior 7-nervis, cordata, superior angustior, 3-nervis, leviter scrobiculata. *Perianthium* chartaceum, glumis multo angustius et brevius, pallens, ad latera pubescens, apice barbulatum.

Paspalum pectinatum N. ab Es. Sesqui — 3-pedale, erectum. Racemis conjugatis l. cum tertia inferiori (ultrabipollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis maximis, biserialibus, subsessilibus, elliptico-cordatis, obtusiusculis, pectinato-ciliatis; Foliis linearibus, hirsutis.

Paspalum pectinatum N. ab Es. Agr. bras. p. 34. Trin. ic. gr. X. tab. 110.

V. spp. Bras.

---

*) Species hujus subdivisionis, recensitae secundum racemorum situm, a racemis conjugatis l. subconjugatis progrediuntur per digitatos — approximato-jubatos ad dissite alternos.

Culmus tenuis. *Vaginae* teretes, glabrae aut apicem versus hirsutae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* subcoriacea, radicalia perangusta, culmea lineas 3 et qu. exc. lata: inferiora spithamaea l. digitalia. *Spiculae* 3-lineales. *Glumae* 3-nerves: inferior basi cordata, superior, angustior et paulo brevior, e margine glanduloso pilis longis pectinata; (sub hac interdum glumula pusilla). *Perianthium* glumis angustius, albens, inferne apiceque pilosulum.

Paspalum notatum Flügg. 1 — 2-pedale, erectum. Racemis conjugatis l. 1 — 2 approximatis (1 — 3-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis 1 — 2-linealibus, biserialibus, brevi-brevissimeque pedicellatis, ovato- (obovato-) oblongis l. ellipticis, pl. min. obtusis, nudis; Foliis linearibus, glabris pilosisve.

Paspalum notatum. R. et S. II. p. 299. Trin. ic. gr. X. tab. 114. — *P. distichum Sw.*

* Racemis gracilioribus, spiculis maculatis:

Paspalum maculosum Trin. Diss. II. p. 98. ic. gr. X. tab. 113.

V. spp. Bras.

Ligula brevissima. *Folia* linearia l. sublanceolato-linearia, acuta, lineas 1 — 2 lata, inferiora in planta majori fere pedalia, in minori brevia. *Axes partiales* basi quandoque nigro-notati. *Gluma* inferior 5-, superior 3-nervis. *Perianthium* viridi-albens l. stramineum. — Varietatis *maculosae* culmus altior, folia angustiora, magis acuminata, racemi graciliores, basi barbatae, glumae fusco-maculatae.

Paspalum vaginatum Sw.! Pl. min. pedale, repens. Racemis conjugatis l. tertio quartove approximato (1 — 2-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis linealibus majusculisve, biserialibus, brevissime pedicellatis, ovato-oblongis, acutis, glabris l. subpubescentibus; Foliis linearibus, planis l. subinvolutis.

Paspalum vaginatum. R. et S. II. p. 299. Trin. ic. gram. X. tab. 120.

* Foliis longioribus, involutis:

Paspalum littorale Br! R. et S. II. p. 316. Trin. ic. gram. X. tab. 112. — *P. longiflorum Pal. Beauv.* Fl. d'Ow. p. 46. tab. 85. f. 2. (omnino videtur! non *P. vaginatum* tab. 92. f. 1.)

V. spp. Am. bor. Ind. occ. Chil. Bras. Radak (Inss. Mulgr.) N. Holl. Mascar.

Pl. min. ramosum. *Vaginae* carinato-compressae. *Ligula* membranacea, exserta. *Folia* palmaria — pollicaria, lineam lata, in * involuta. *Glumae* 3-nerves l. inferior 5-nervis. *Perianthium* glumis plerumque nonnihil brevius, apice obtusiusculo barbulatum vel, rarius, nudum et acutiusculum.

Paspalum distachyon Poit. Ultra-pedale, assurgens. Racemis 2, conjugato-digitatis (pedunculatis, subpollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, sublanceolato-ovatis, acutis Foliisque subuliformi-linearibus glabris.

Paspalum distachyon Poit! ined. in hbio Mertensii patr.

V. sp. Doming.

Totum pallescens assurgit ex ima basi contracto-ramosum: ramis floriferis, subaequalibus. *Vaginae* teretes, superne carinato-compressiusculae, glabrae. *Ligula* brevissima, subciliaris. *Folia* stricto-erecta, inferne compressa, medium versus planiuscula, subulato-attenuata, latiora lineam lata, fere sesquipalmaria, superiora sensim minora. *Racemi* pollicares vel vix pollicares, erecti, arcte contracti, pedunculis 2 — 3-linealibus insidentes, subaequales, angusti, pallidi. *Axis partialis* flexuosus. *Spiculae* alternae, appressae. *Glumae* 3-nerves, aequales (glumulae exterioris tertiae in pluribus rudimentulum truncatum). Hermaphroditus glumas aequans, acutiusculus, laevissimus, albens.

Paspalum conjugatum Berg. Pedale et ultra, repens l. assurgens. Racemis conjugatis l. ternis approximatis (sesqui — 4-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis parvis l. sublinealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, orbiculato-ovatis, acutis, margine pl. min. villosulis; Foliis lineari-lanceolatis, glabris ciliatulisve.

Paspalum conjugatum. R. et S. II. p. 298. Trin. ic. gr. IX. tab. 102. P. Beauv. Fl. d'Ow. tab. 92. f. 2. — *P. tenue Gaertn.* — *P. ciliatum LaM.*

V. spp. Ind. occ. Bras.

Vaginae compressae, fauce interdum pilosulae. *Ligula* margo angustissimus, barbulatus. *Folia* majora medio lineas 6 lata, bipollicaria — spithamaea. *Racemi* graciles. *Spiculae* lenticulari-depressae. *Glumae* 3-nerves, nervo medio obsoleto. *Perianthium* albo-virescens.

Paspalum eucomum N. ab Es. 1 — 2-pedale, erectum. Racemis conjugatis (sesqui — ultra-3-pollicaribus); Axi =, glabro villosulove; Spiculis linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, ovatis, acutiusculis, villosissimis; Foliis linearibus involutisve, hirsutis.

Paspalum eucomum N. ab Es! Agr. bras. p. 37. Trin. ic. gram. X. tab. 110.

V. spp. Bras.

Nodi 5 — 6, glabri. *Vaginae* teretes, exceptis supremis pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* superne subulata: inferiora plana, lineas 2 lata, spithamaea. *Racemi* plerumque contracti et horizontales. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* pallide viride.

Paspalum fastigiatum N. ab Es. Pedale, fastigiato- et conferto-ramosissimum. Racemis 2 conjugatis l. 1 — 3 approximatis (pl. min. sesquipollicaribus); Axi =, glabriusculo; Spiculis bilinealibus, biserialibus, sessilibus, lineari-lanceolatis, margine hirsutis; Foliis angusto-linearibus, pubescendo-pilosis.

Paspalum fastigiatum N. ab Es! Agr. bras. p. 33. Trin. Diss. II. p. 100.

V. sp. Bras.

Culmus in ramos multos erecto-adpressos divisus. *Vaginae* teretiusculae. *Ligula* brevissima, ciliatula. *Folia* lineam lata, pollices 2 longa. *Racemi* contracti. *Spiculae* acutae. *Gluma* inferior 5-nervis: nervo dorsali obsoleto, lateralibus longe ciliatis; superior obsolete 2-nervis. *Perianthium* pallidum.

Paspalum guttatum. Pl. min. bipedale, erectum. Racemis 2 conjugatis vel 3 digitato-approximatis (3 — 4-pollicaribus); Axi =, pilosulo; Spiculis

sesqui — bi-linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, elliptico-oblongis, acutiusculis, sericeo-villosissimis; Foliis involutis, glabris pilosisve.

Paspalum guttatum Trin. Diss. II. p. 91. Ic. gr. IX. tab. 104. N. ab Es. Agr. bras. p. 37.

V. spp. Bras.

Culmus gracilis. *Nodi* 4, glabri. *Vaginae* teretes, glabrae, aut apicem versus pilosae. *Ligula* margo angustissimus, pilis brevibus coronatus. *Folia* infima ultrapedalia. *Racemi* contractiusculi, nutantes. *Glumae* 3-nerves, maculis atrosanguineis conspersae. *Perianthium* e viridi albens.

Paspalum campestre. Pedale, erectum. Racemis 2, approximatissimo-alternis (1 — 2-pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis linea brevioribus, biserialibus, brevissime pedicellatis, oblongis, obtusiusculis, glabris; Foliis lanceolato-linearibus, pubescendo-pilosis.

V. spp. Bras.

Culmus simplex, non nisi ex ima basi caespitoso-subramosus, compressus, spithamaeus — ultrapedalis. *Nodi* 2 — 3, glabri. *Vaginae* compressae, pilosae. *Ligula* brevissima, membranacea, ciliis brevissimis stipata. *Folia* circa basin conferta, erecto-patula, pl. min. bipollicaria, acuta, sesquilineam et qu. exc. lata, cum rel. partibus fuscescendo-canescentia: culmea compressa, pauca, breviora, supremum vix ullum. *Racemi* patuli. *Glumae* subobsolete 3-nerves: (subinde tertia pusilla adventitia). *Perianthium* virescens, tenuissime punctulato-striatulum.

Obs. Non nisi cum *Pasp. setaceo* confundi posset, cui vero racemi (si uno plures) distantes, longiores, spiculae longius pedicellatae. — Varietas? minor, racemis vix pollicaribus, Spiculis magis obovatis, Foliis iisdem, sed glabris (in graminosis humidiusculis prope Rio Jan.)

Paspalum scrobiculatum L. Mant. 1 — 2-pedale, ramoso-erectum. Racemis 2 — 3, approximato-alternis (pl. min. bipollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis linea paulo majoribus, biserialibus, brevipedicellatis, oblongo-subrotundis, acutiusculis Foliisque linearibus glabris.

Paspalum scrobiculatum α *et* β, R. et S. II. p. 296. (excl. syn. Willd. sp. plant.). N. ab Es. Agr. bras. p. 58. Trin. Diss. II. p. 122, α. Ic. gr. XII. tab. 143. (ubi culmus perperam repens depictus est). — *P. Commersonii LaM.* — *P. frumentaceum Rottl.* — *P. Kora W.* ht. Berol.

V. spp. Ind. or.

Pedunculi floriferi terminales et axillares. *Vaginae* glabrae (basi hirsutae, ciliatae, *L. Mant.* I. p. 29). *Ligula* linea brevior, rotundata. *Folia* subacuminata, spithamaea — palmaria, linea latiora. *Racemi* plerumque 2, approximati, crassiusculi. *Axis partialis*, marginibus deflexus, spicula singula látior vix dici potest. *Glumae* (5 —) 7-nerves: nervis inter laterales mediumque abbreviatis; superior ad latera scrobiculato-plicatula. *Perianthium* fuscum.

Paspalum distichophyllum Hb. Kth. Ultrapedale, stolonifero-adscendens. Racemis 2 — 3, approximatis (pl. min. sesquipollicaribus); Axi ⚌, ciliatulo; Spiculis linealibus, 3 — 4-serialibus, brevi-pedicellatis, lanceolato-ellipticis, acutiusculis, longo-pilosissimis; Foliis lineari-lanceolatis, glabris, distichis.

Paspalum distichophyllum. R. et S. II. p. 291. Kunth Agr. syn. p. 41. — *P. polyphyllum N. ab Es!* Agr. bras. p. 41. Trin. Diss. II. p. 114. Ic. gr. XII. tab. 141.

V. spp. Bras.

Culmus tenuis, multinodis, foliosissimus. *Vaginae* teretiusculae, glabrae. *Ligula* membranacea, brevis, dorso pilis stipata. *Folia* acuminata: juniora et fasciculorum angusta, molliter pubescentia, culmea disticho-patentia, lineas 2 lata, glabra: inferiora pl. min. bipollicaria. *Axis communis* circiter semipollicaris. *Racemi* basi barbati, demum patentes. *Glumae* 3 — 5-nerves: inferior marginibus villosissima. *Perianthium* albens, apice barbulatum.

Paspalum angustifolium N. ab Es. Bipedale, erectum. Racemis 2 — 3, approximatis (pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis 1 — 2-linealibus, biserialibus, brevi-pedicellatis, oblongis ellipticisve, obtusiusculis, glabris; Foliis subfiliformi-angustis, aut totis aut inferne hirsutulis.

Paspalum angustifolium N. ab Es! Agr. bras. p. 64. Trin. Diss. II. p. 99. Ic. gr. X. tab. 111. — *P. lineare Trin.* Diss. ibid. (varietas grandiflora). — *P. Neesii Kunth* Agr. syn. p. 48.

V. spp. Bras.

Nodi barbati. *Ligula* brevis. *Folia* radicalia bipedalia, culmeum inferius circiter semipedale. *Racemi* crassiusculi. *Glumae* 5-nerves: superior interdum transversim undulata. *Perianthium* pallidum, punctulatum.

Paspalum flaccidum N. ab Es. Bipedale, erectum. Racemis 1 — 2 — 6, approximatis, subfastigiatis (sesqui — bi-pollicaribus); Axi ⩧, glabro; Spiculis linealibus, 2 — 3-serialibus, brevi- l. brevissime pedicellatis, obovato-oblongis, obtusis; Foliis angustissimo-linearibus, villoso-pubescentibus.

Paspalum flaccidum N. ab Es! Agr. bras. p. 48.

V. sp. Bras.

Culmus 3-nodis, superne longe nudus. *Vaginae* apicem versus villosae. *Ligula* brevis. *Folia* subdodrantalia, subfiliformi-linearia. *Axes partiales* basi barbatae. *Glumae* 3-nerves: inferior perianthio pallido, punctulato-striato brevior. — Habitus praecedentis.

Paspalum platycaule Poir. Pedale et longius, decumbendo-adscendens. Racemis 2 — 5 subdigitatis, l. cum inferiori solitario remoto (1 — 2-pollicaribus); Axi ⩧, glabro; Spiculis subparvis linealibusve, biserialibus, subsessilibus, ellipticis, obtusis acutiusculisve, glabris ciliatulisve; Foliis latiusculo-linearibus l. e basi ovata sublanceolatis, glabris l. ciliatulis.

Paspalum platycaule. R. et S. II. p. 300. Trin. Diss. II. p. 95. Ic. gr. X. tab. 118. fig. B. — *P. tristachyum LaM.* — *P. laticulmum Sprgl.* — *P. compressum N. ab Es!* Agr. bras. p. 23.

? *Milium compressum Sw!*

* Spiculis acutiusculis, foliis e basi ovata lanceolatis, ciliatulis, pedunculis tenuioribus (Trin. ic. l. l. fig. A.)

Paspalum complanatum N. ab Es! l. l. p. 22.

V. spp. Peruv. Bras.

Culmus 1 — 2-nodis. *Vaginae* carinato-compressae. *Ligula* brevissima. *Folia* obtusiuscula, spithamaea — palmaria, in humilioribus 2-pollicaria et breviora, lineas 2 — 4 lata. *Pedunculi* e vagina 1 — 2 — 5, elongati, filiformes, compressi, plerumque tenuissimi. *Racemi* subfastigiati, tenues. *Glumae* 3-nerves, aut superior 5-nervis, nervo medio saepe obsoleto. *Perianthium* albens l. spadiceum, tenerrime punctulatum. — Specimen a Swartzio missum *Milii compressi* sui spiculas habet subparvas, ciliatulas, acutiusculas; hermaphroditum glumis paulo breviorem, apice pilo uno alterove subbarbulatum. Axis spicula paulo angustior. Folia linearia acuta. Digitariam refert! an reapse synonymon *Pasp. platycaulis?*

Paspalum dissitiflorum. Pedale, erectum. Racemis 2 — 3, subdigitatis (2 — 4-pollicaribus); Axi sub =, longe ciliato; Spiculis linealibus magnisve, laxe biserialibus, subsessilibus, lineari-ellipticis, acutis, villoso-hirsutis; Foliis angustissimis, canaliculatis, pilosis.

Paspalum dissitiflorum Trin. Diss. II. p. 92. Ic. gr. IX. tab. 103. N. ab Es. Agr. bras. p. 32.

V. spp. Bras.

Culmus tenuis. *Vaginae* teretiusculae, glabrae. *Ligula* margo angustissimus, ciliaris. *Folia* mucronata, canaliculato-compressa, e glandulis minimis pilosa: infima spithamaea. *Racemi* contractiusculi, erecti, albo-flaventes. *Glumae* 3 — 5-nerves. *Perianthium* acutum, fuscescens.

Paspalum marginatum. Pedale, erectum. Racemis 4 — 5, subdigitatis (subsesquipollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis linealibus, biserialibus, subsessilibus, lineari-ellipticis, obtusiusculis, margine hirtis; Foliis angusto-linearibus, hirsutis.

Paspalum marginatum Trin. Diss. II. p. 90. Ic. gr. IX. tab. 105. N. ab Es. Agr. bras. p. 28.

V. spp. Bras.

Culmus subfiliformis, nodis 2 — 3, glabris. *Vaginae* carinato-compressae, pl. min. pilosae. *Ligula* brevissima, dense barbata. *Folia* acutiuscula, compressa, pl. min. palmaria, undique hirsuta. *Glumae* 5-nerves: inferioris nervo medio obsoleto. *Perianthium* apice barbulatum, albens.

Paspalum maritimum. 1 — 3-pedale, basi late repens. Racemis 2 — 10, approximato-alternis, superioribus fastigiatis (2 — 3-pollicaribus); Axi sub $=$, glabro; Spiculis parvis, 4-serialibus, brevi-brevissimeque pedicellatis, obovatis, obtusiusculis, pubescentibus; Foliis e basi cordata lanceolatis l. sublanceolato-linearibus, glabris basive pilis aut ciliis adspersis.

V. spp. Bahiens.

Culmus stolones praelongos emittens, ad nodos tomentosos, foliis brevissimis cordatis l. cordato-lanceolatis dissite vestitos. *Rami* e stolonum nodis enati erecti vel obliqui, compressi. *Vaginae* compressae, tumidiusculae, glabrae, in colli dorso carinato-compresso barbatae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* ramorum florentium brevia (pl. min. pollicaria): inferiora lineas 4 lata, superiora et juniora compressa, magis linearia: illa interdum subnulla, haec fere spithamaea. E vagina suprema tumidiuscula *pedunculi* 2: alter poly-, alter oligostachyus, elongati. *Glumae*, excepto ipso margine, enerves. *Perianthium* oblongo-subrotundum, obtusum, brevissimum.

Obs. Refert quodammodo *Pasp. platycaule* robustius l. vegetum. Totum gramen siccum fuscum.

Paspalum laxiflorum. Bipedale et ultra, erectum. Racemis 8 — 10, approximato-alternis, subfastigiatis (3 — 2-pollicaribus); Axi $=$, glabro; Spiculis linealibus, laxe biserialibus, pedicellatis l. subbrevi-pedicellatis, lineari-ellipticis, obtusiusculis Foliisque subcylindraceo-involutis glabris.

V. spp. Bras.

Culmus compressus, strictiusculus, *nodis* 1 — 2, puberulis. *Vaginae* ad basin culmi confertae, inferne sericeo-pubescentes, carinato-compressae, subcoriaceae, culmeae 2 glabrae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* coriacea, strictissima, basi compressa et hirsuta, dehinc cylindraceo-involuta, glabra:

inferiora sesquipedalia. E vagina suprema pedunculi 2, satis longi, inaequales, compressiusculi. *Axis communis* sesquipollicaris, tenuis. *Racemi* valde laxeflori, axi pertenui. *Spiculae* pallidae. *Glumae* 5-nerves, — (Spiculam in hoc aliquam bifloram vidi, flosculis prorsus homogeneis).

Paspalum saccharoides N. ab Es. Orgyale, erectum. Racemis plurimis, approximatissimis, fastigiatis (inferioribus dodrantalibus); Axi =, glabro; Spiculis linealibus, biserialibus, brevipedicellatis, lanceolatis, acutissimis, sericeo-villosis; Foliis linearibus, glabris.

Paspalum saccharoides N. ab Es. in Sieb. Agrostoth. no. 137. Trin. ic. gr. IX. tab. 107.

Saccharum polystachyum Sw. R. et S. II. p. 287.

Panicum saccharoides Kth. rev. gr. p. 237. tab. 30. Agr. syn. p. 125.

V. spp. Ind. occ.

Vaginae teretiusculae, glabrae aut superne hirsutae. *Ligula* margo angustissimus, villis longis ciliatus. *Folia* acuminatissima, lineas 4 — 6 lata, pl. min. pedalia. *Axis communis* circiter palmaris. *Racemi* graciles: inferiores semiverticillati, pl. min. pedunculati, superiores sparsi. *Glumae* 2-nerves: inferior ad latera longo- sericeo-villosa, superiori interdum subjecta glumula brevissima. *Perianthium* chartaceum, pallide prasinum.

Paspalum suffultum Mik. 1 — 3-pedale, erectum. Racemis 3 — 30, approximatis, subfastigiato-jubatis (digitalibus — spithamaeis); Axi =, glabro l. sub spiculis pilifero; Spiculis linealibus parvisve, biserialibus, lineari-ellipticis, subsessilibus l. brevissime pedicellatis (binervibus), cum Foliis compresso-linearibus glabris, hisve basi ciliatis.

Paspalum suffultum Mik! in Sprgl. n. Entd. II. p. 46. N. ab Es. Agr. bras. p. 26. Trin. Diss. II. p. 90. Ic. gr. IX. tab. 108.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-nodis. *Vaginae* compressae. *Ligula* brevissima, ciliaris l. membranacea. *Folia* subcoriaceo-firma: fasciculorum palmaria — spithamaea,

culmea inferiora dodrantalia — pedalia. *Pedunculi* e vagina suprema 2, satis longi. *Axis communis* 1 — 2 — 3-pollicaris. *Racemi* tenues. *Spiculae* obtusae aut acutiusculae, subimbricato-biseriales, basi plerumque pilis stipatae. *Glumae* binerves (nervo medio evanido). *Perianthium* castaneum, basi album, tenuissime punctulatum.

Paspalum barbatum N. ab Es. 1 — 6-pedale, erectum. Racemis pluribus plurimisve approximatis, subfastigiatis — (vel jubato-sparsis, patentibus) — (5 — 7-pollicaribus); Axi = vel sub =, glabro; Spiculis pl. min. linealibus, biserialibus, lineari-ellipticis, brevissime pedicellatis, glabris ciliolatisve (5-nervibus); Foliis subfiliformi-involutis (l. planis), glabris hirsutisve.

a) Racemis erectis, subfastigiatis, basi tomentoso-barbulatis; culmo humiliori; nodis pubescentibus, vaginis apice pilosis:

Paspalum barbatum N. ab Es! Agr. bras. p. 27. Trin. ic. gr. IX. tab. 98. — *P. barbigerum Kth.* Agr. synopt. p. 43.

Idem, foliis inferioribus dense hirsutis.

b) Racemis adultioribus patenti et dissitiusculo-jubatis (juba ultrapedali), basi nudis; culmo elato; nodis vaginisque apice obsoletius barbatis glabrisve; foliis saepe planis.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-nodis. *Vaginae* aut subcompresso-teretiusculae aut teretes. *Ligula* brevissima. *Folia* angustissima, in *a* subfiliformi-involuta, in *b* superne saepe explanata: inferiora pro statura plantae pedalia — bipedalia. *Racemi* satis graciles, in gramine humiliori circiter 10, contracto-erecti; in altiori (8) 30 — 40, ad axin communem tenuem, dodrantalem jubato-sparsi, subhorizontali-patentes. *Spiculae* in hac varietate minus arcte quam in genuino Neesii gramine imbricatae, ceterum ex toto eaedem. *Glumae* 5- (7-) nerves. — Gramen, quod var. *b* diximus, aperte nil nisi Neesianum, vegetatione uberiori magis explicatum.

Paspalum fasciculatum Willd. 3 — 6-pedale, erectum l. procumbens. Racemis 6 — plurimis, approximatis, subfastigiatis (2 — 4-pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis sub- 2-linealibus, 2 — 3-serialibus, brevissime pedicellatis, ellipticis, acutissimis, subpubescentibus; Foliis lanceolato-linearibus, glabris l. inferne pilosulis.

Paspalum fasciculatum. R. et S. II. p. 292. Trin. ic. gr. XXIII. tab. 270. Kth. Agr. syn. p. 44.

V. spp. Bras.

Culmus compressus: procumbens inferne valde ramosus, erectus pl. min. simplex. *Vaginae* compressae, dorso superne pilosulae, interdum fauce ciliatae. *Ligula* brevissima: in planta glabra membranacea, in pilosula ciliaris. *Folia* acuminata, glabra aut inferne ad nervum carinalem pilosula, pro statura graminis lineas 4 — 9 lata, spithamaea — pedalia. Racemi 6 — 30, plerumque basi barbati, jubam constituunt communiter lato-ovatam, palmarem — dodrantalem. *Spiculae* plerumque, praesertim marginem versus, villis adspersae. *Glumae* 3 — 5-nerves. *Perianthium* albens.

Paspalum pellitum N. ab Es. 4 — 5-pedale, erectum. Racemis plurimis, approximatis, contracto-jubatis (inferioribus dodrantalibus); Axi =, glabro; Spiculis subparvis (vix linealibus), biserialibus, brevissime pedicellatis, lanceolato-ellipticis, pubescentibus glabriusculisve; Foliis involuto-linearibus vaginisque molliter sericeo-tomentosis.

Paspalum pellitum N. ab Es! Agr. bras. p. 29. Trin. ic. gram. IX. tab. 106.

V. spp. Bras.

Culmus, totus vaginis vestitus, crassus. *Vaginae* teretes, tomento mollissimo fulvescente l. griseo vestitae. *Ligula* brevissima, villis sericeis dense coronata. *Racemi* graciles, contracti (nec fastigiati) jubam constituunt dense angustatam, ultrapedalem, basi vaginatam. *Spiculae* longe plerumque pubescentes. *Glumae* 5- (7-) nerves. *Perianthium* glauco-canescens.

Paspalum stoloniferum Bosc. Subbipedale, decumbens. Racemis plurimis, approximatis, jubatis (1 — semi-pollicaribus); Axi = (foliaceo), ciliatulo; Spiculis linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, lanceolato-oblongis, acutis, undulatis, apice penicillatis; Foliis (oblongo-) lanceolatis, glabris.

Paspalum stoloniferum. R. et S. II. p. 295. — *P. racemosum Jacq.* — *P. purpureum Rz. et Pav.*

Milium latifolium Cav.

V. spp. Chil.

Ligula membranacea, brevissima. *Juba* circiter palmaris, densiuscula, angusta. *Axes partiales* undulati. *Glumae* perianthio duplo longiores, 5-nerves: nervis lateralibus submarginalibus, inferioris intermedio obsoleto.

Paspalum cristatum. Pedale et longius, decumbens. Racemis plurimis, approximatis, jubatis (pollice brevioribus); Axi =, glabriusculo; Spiculis linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, ovato-ellipticis, obtusiusculis, aequis, nudis. Foliis (lineari-) lanceolatis, pubescentibus.

V. spp. Chil.

Simillimum *stolonifero*, differt glumis aequis, apice pl. min. obtuso nudis, aequali- 3-nervibus, perianthio paulo tantum longioribus.

Paspalum densum Poir. 4 — 5-pedale, erectum. Racemis plurimis, approximatis, jubatis (5 — 2-pollicaribus); Axi =, margine pilifero l. nudo; Spiculis linealibus, 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, subrotundo-obovatis Foliisque lato-linearibus glabris.

Paspalum densum. R. et S. II. p. 313. Trin. Diss. II. p. 104. Ic. gr. XI. tab. 122.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Vaginae compressiusculae, superne carinatae. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* acuminata, lineas 6 — 7 lata, inferiora 2-pedalia. *Juba* spithamaea l. dodrantalis e racemis saepe 60. *Spiculae* magis rotundae quam in specie sequente. *Glumae* 3-nerves.

Paspalum virgatum L. sp. pl. ed. 2. 3 — 4-pedale, erectum. Racemis 6 — 30, subapproximatis, jubatis (5 — 4 — 1-pollicaribus); Axi =, glabro l. margine pilifero; Spiculis linealibus majusculisve, 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, oblongo-obovatis, pubescentibus (glabrisve); Foliis sublanceolato-linearibus, glabris.

Paspalum virgatum. R. et S. II, p. 314. Trin. ic. gram. XI. tab. 131. 132. Kth. Agr. syn. p. 61.

V. spp. Bras.

Nodi 3 — 5, glabri. *Vaginae* teretiusculae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* acuminata, lineas 6 — 10 lata, 1 — 2-pedalia. *Racemi* crassiusculi, pl. min. approximati, jubam formant dodrantalem — pedalem. *Spiculae* obsolete acutiusculae, superne longe plerumque pubescentes. *Glumae* 5-nerves. *Perianthium* fuscescens.

Paspalum Lagascae R. et S. II. p. 317. 3 — 5-pedale, erectum. Racemis 3 — 30, subapproximatis distantibusve, jubatis (2 — sesqui-pollicaribus); Axi =, glabro l. margine pilifero; Spiculis 1- l. fere 2-linealibus, 4-serialibus, subaequali-brevipedicellatis, ellipticis, hirtis; Foliis linearibus (totis vel inferne triquetro-involutis, rarius inferioribus latiusculo-latis) glabris.

Paspalum Lagascae. N. ab Es. Agr. bras. p. 65. — *P. pubescens Lag.* — *P. ferrugineum Trin.* ic. gr. XII. tab. 136. — *P. quadrifarium ht. Berol.* teste *Kth.* Agr. syn. p. 60.

V. spp. Bras. Chil.

Vaginae radicales basi sericeo-pubescentes, culmeae teretiusculae. *Ligula* brevis, obtusa l. (in var. oligostachya et grandiflora) lineam longa, acutiuscula. *Folia* superne pl. min. complanata ibique lineas 1 — 2 lata, satis firma, inferiora ultrapedalia. *Juba* pro numero racemorum palma longior — pedalis, griseo l. ferrugineo-spadicescens. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* viridi-albens.

Paspalum umbrosum. Sesqui — bi-pedale, basi subadscendens. Racemis 9 — 13, pl. min. dissite jubatis (sesqui — fere 3-pollicaribus); Axi sub =, pilis

adsperso; Spiculis parvis, 4-serialibus, inaequaliter brevi-pedicellatis, elliptico-obovatis, pubescentibus; Foliis lineari-lanceolatis, pubescendo-hirsutis.

V. spp. Bras.

Culmus simplex. *Nodi* glabri. *Vaginae* subcompressae, praesertim superiores e tuberculis minimis pilosae. *Ligula* membranacea, brevissima, ciliis longis dorso stipata. *Folia* subacuminata, pl. min. spithamaea, lineas 5 — 6 lata, utrinque satis dense hirsuta, superiora basi pl. min. amplectentia. *Racemi* inferiores longiores, basi pl. min. barbati, ad marginem axis partialis pilis rariusculis adspersi, jubam constituunt circiter spithamaeam. *Spiculae* satis parvae, sub lente e tuberculis pusillis pilosae. *Glumae* 3-nerves. — Gramen siccum totum fuscum.

Paspalum coryphaeum. 4 — 6-pedale, erectum. Racemis 7 — 50, pl. min. dissite paniculato-jubatis (3 — 5-pollicaribus); Axi =, glabriusculo; Spiculis sublinealibus, 4-serialibus, inaequali- l. brevi-pedicellatis, (obovato-) ellipticis, villosulo- (interdum subobsolete) pubescentibus; Foliis linearibus, l. lineari-lanceolatis, glabris vel obsolete puberulis.

Paspalum coryphaeum Trin. Diss. II. p. 114. N. ab Es. Agr. bras. p. 70. — *P. pruinosum Trin.* ic. gram. XXIII. tab. 272. (var. nodis barbatis).

V. spp. Bras.

Nodi nunc glabri nunc barbati. *Vaginae* teretiusculae, saepe villosae. *Ligula* membranacea, linea paulo brevior, truncata, dorso pilis stipata. *Folia* acuminata, inferiora sesquipedalia, lineas fere 6 lata, rubendo-fuscescentia, infra saepe albentia. *Juba* dodrantalis — ultrapedalis. *Axis communis* nudus l. pubescens. *Racemi* sparsi vel semi-verticillati, basi barbati, ex albo-viridi fuscoque varii. *Glumae* sub- 5-nerves. *Perianthium* virescens.

Paspalum pubescens hortul. 2 — 4-pedale, erectum. Racemis 6 — 20, pl. min. dissite jubatis (2 — 1-pollicaribus); Axi (sub-) =, glabro; Spiculis linealibus, 4-serialibus, inaequaliter brevi-pedicellatis, obovatis l. subrotundo-oblongis, pubescendo-hirtulis; Foliis lineari-lanceolatis, pl. min. pubescentibus.

Paspalum tenellum Ht. Paris. R. et S. II. p. 313. — *P. elegans Flüg.* Kth. Agr. syn. p. 59.

V. cc.

Vaginae teretiusculae, superne carinatae. *Ligula* membranacea, brevis, pilis stipata. *Folia* acuta potius quam acuminata, laete viridia, rariuscule pubescentia, margine brevi-ciliata, dodrantalia — pedalia et breviora. *Racemi* basi barbati, inferiores saepissime pl. min. longe pedunculati. *Axis partialis* spiculam latitudine fere aequat, tamen eadem et manifestius angustior occurrit. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* viridulum.

Paspalum corcovadense Radd. 1 — 2-pedale, erectum. Racemis 2 — 5 — 15, pl. min. dissite jubatis (3 — sesqui-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis (sub-) linealibus, 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, ovato-ellipticis, glabriusculis; Foliis lanceolatis, pl. min. glabris.

Paspalum corcovadense. Trin. Diss. II. p. 115. Ic. gr. XIII. tab. 153. — *P. lanceolatum Mik.!* in Sprgl. n. Entd. II. p. 48. — *P. plantagineum N. ab Es.* Agr. bras. p. 69.

V. spp. Bras.

Nodi 3 — 4, glabri. *Vaginae* carinato-compressae, oras versus ciliatae, extus circa Ligulam membranaceam et brevem tomentosae. *Folia* interdum lineari-lanceolata tantum, acuminata, medio lineas 3 — 6 lata, pollices 4 — 7 longa, interdum dorso pubescentia. *Racemi* basi barbati jubam constituunt pl. min. palmarem, patulam. *Spiculae* nunc acutiusculae tantum, nunc acutae l. acutissimae. *Glumae* 5-nerves. *Perianthium* viridulum.

Paspalum setaceum Mchx. 1 — sesquipedale, obliquum l. decumbens. Racemis 1 — 2 — 3, pl. min. dissite alternis (4 — sesqui-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis linealibus parvisve, 2 — 4-serialibus, pedicellatis l. brevipedicellatis, ovatis l. oblongo s. obovato-orbiculatis, glabris (interdum pubescentibus); Foliis lanceolato-linearibus lanceolatisve, pl. min. pilosis.

Paspalum setaceum. R. et S. II. p. 306. Trin. ic. gr. XI. tab. 129. — *P. hirsutum Poir.* — *P. pubescens Mühlenb.*

V. spp. Am. bor. Ind. occ.

* Culmo decumbente, racemis (3) paulo minoribus, minus gracilibus, foliis brevioribus, lanceolatis, hirsutis:

Paspalum supinum Bosc! N. ab Es. Agr. bras. p. 53. Trin. ic. gr. XI. tab. 130.

V. spp. Am. bor.

** Decumbens, racemis gracilibus, foliis longioribus, lanceolatis, glabris l. margine pilis adspersis:

Paspalum protensum Trin. Diss. II. p. 108.

V. spp. Mascar. (Sieb. hb. Maur. II. no. 29.)

Paspalum denticulatum. Bipedale, erectum. Racemis circiter 10, pl. min. dissite alternis (sesqui — 1-pollicaribus); Axi sub =, glabro vel margine longe pilifero; Spiculis linealibus parvisve, 4-serialibus, inaequaliter subbrevi-pedicellatis, oblongo-obovatis, margine denticulatis; Foliis linearibus, glabris.

Paspalum denticulatum Trin. Diss. II. p. 111. Ic. gr. XI. tab. 123. Kth. Agr. syn. p. 61.

V. spp. Am. aequin.

Nodi glabri. *Vaginae* compressiusculae, glabrae. *Ligula* breviuscula, membranacea. *Folia* acuminata, lineas circiter 2 lata, spithamaea, sensim breviora, glabra l. basi in pagina superiori villosula. *Racemi* basi nudi, in var. ciliata barbati. *Axis partialis* in eadem var. margine pilis tenuissimis, 3 — 4-linealibus, patentibus, rariuscule ciliatus. *Spiculae* (in var. ciliata minores) lenticulari-depressae, arcte imbricatae, circumcirca, praesertim apicem versus, ad glumae inferioris nervos laterales denticulatae. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* pallens, punctulato-striatum.

Paspalum mandioccanum. Sesquipedale, adscendens. Racemis 4 — 10, pl. min. dissite alternis (sesqui — 1-pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis lineali-

bus, 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, ellipticis, glabris; Foliis lanceolatis, ciliatis.

Paspalum mandioccanum *Trin.* Diss. II. p. 113. Ic. gr. XIII. tab. 154. N. ab Es. Agr. bras. p. 68. (an synn.?)

V. spp. Bras.

Vaginae compressiusculae, fauce margineque pubescentes. *Ligula* brevissima, dorso pilis dense stipata. *Folia* lanceolata l. lineari-lanceolata, acuta, 5 — 6 lineas lata, culmea inferiora spithamaea. *Racemi* basi barbulati, ad axin communem 2 — 3-pollicarem. *Spiculae* acutiusculae, interdum linea subbreviores. *Glumae* 5-nerves aut superior 3-nervis. *Perianthium* pallide virescens, punctulato-striatum.

Paspalum dissectum *L. sp. pl. ed.* 2. Pedale, basi repens, fasciculato-ramosum. Racemis 2 — 3, dissite alternis (1 — 2-pollicaribus, demum subfalcato-cernuis); Axi ═, glabro; Spiculis subparvis, biserialibus, brevipedicellatis, subrotundo-obovatis (dorso gibbis) Foliisque linearibus glabris.

Paspalum dissectum. R. et S. II. p. 294. N. ab Es. Agr. bras. p. 56. Kth. Agr. syn. p. 54. (excl. syn. Trinii).

Panicum dissectum *L.* sp. pl. ed. 1.

V. sp. Am. calidioris?

Rami e culmo basi prostrato plures fasciculati, iterum in fasciculos foliiramiferosque, erectos, basi vaginis aliquot lineari-lanceolatis et aphyllis (spathaceis L.) stipatos divisi. *Nodi* glabri. *Vaginae* fasciculorum solutae, foliiferae compressae, glabrae; culmeae s. ramorum teretiusculae. *Ligula* brevis, membranacea, utrinque auriculata. *Folia* acuminata, lineam vel cum dimidia lata, inferiora pl. min. palmaria. *Axis communis* 1 — 2-pollicaris. *Spiculae* vix lineam longae. *Glumae* 5-nerves, nervis lateralibus fere in unum confluentibus. *Perianthium* fuscum.

Paspalum orbiculare *Forst.* Sesqui — bi-pedale, adscendendo-erectum. Racemis 2 — 5, dissite alternis (sesqui — 4-pollicaribus); Spiculis linealibus l. pl.

min. parvis, 2 — 3 — 4-serialibus, brevissime pedicellatis, subrotundis oblongisve (pl. min. depressis) Foliisque sublanceolato-linearibus glabris.

Paspalum orbiculare. Willd. En. R. et S. II. p. 296. (sub *P. scrobiculato*). — *P. Kora Willd.* Sp. pl. Pal. Beauv. Fl. d'Ow. II. tab. 85. f. 1.

V. spp. Inss. cap. virid. Societ. Marian. — N. Holl.

A *dissecto*, cui valde affine, distinguitur culmo adscendente, saepe erecto, nec nisi ramum unum alterumve subdecumbentem basi emittente; Racemis plerumque pluribus, semper patulo-erectis; Spiculis brevissime pedicellatis, lenticulari-depressis, saltem dorso minus gibbis; Foliis longioribus, magis lanceolato-linearibus (lineas 3 latis); Ligula breviori, non auriculata. — Gramen novae Hollandiae spiculis oblongis, acutioribus, glumis perianthium paulo superantibus, an hujus loci?

Paspalum ammodes. Ultrapedale, erectum. Racemis 2 — 4, alternis (2 — 1-pollicaribus); Axi =, glabro; Spiculis subultralinealibus, 2 — 3 — 4-serialibus, brevipedicellatis, obovato-ellipticis, obtusiusculis, pilosis; Foliis compresso-linearibus involutisve, glabriusculis hirtisve.

Paspalum ammodes Trin. Diss. II. p. 120. Ic. gr. XIII. tab. 152. N. ab Es. Agr. bras. p. 40.

V. spp. Bras.

Culmus tenuis. *Vaginae* teretiusculae. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* firma, compressa linea angustiora, radicalia spithamaea — sesquipedalia. *Axis communis* nunc semipollicaris, nunc palmaris. *Racemi* basi pl. min. barbati, canescentes. *Glumae* 5-nerves. *Perianthium* viridulum, tenuissime punctulato-striatum.

Paspalum blepharophorum R. et S. Ultrapedale, erectum. Racemis 3 — 4, alternis (sesqui — bi-pollicaribus); Axi =, ciliatulo; Spiculis subultralinealibus, 4-serialibus, inaequaliter sub-brevipedicellatis, lanceolato-ellipticis, acutis, margine villosissimis; Foliis lineari-lanceolatis, ciliatis.

Paspalum blepharophorum R. et S. II. p. 292. N. ab Es. Agr. bras. p. 42. Trin. ic. gr. XII. tab. 134. — *P. ciliatum Hb. Kth.* Agr. syn. p. 42.

V. spp. Bras.

Nodi 5 — 6, glabri. *Vaginae* teretiusculae: inferiores plerumque ad marginem ciliatae. *Folia* acuminata, rigidiuscula, lineas 2 lata, pl. min. digitalia. *Axis communis* circiter sesquipollicaris. *Racemi* subpedunculati, basi barbati. *Glumae* 3 — 5-nerves: inferior margine canescendo-hirsuta. *Perianthium* pallidum, apice barbulatum.

Paspalum sanguinolentum. Bipedale, erectum. Racemis 4, alternis (2 — sesquipollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis fere 2-linealibus, 2 — 3-serialibus, brevissime pedicellatis, lineari- ovato-ellipticis, acutiusculis, villosulis; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Paspalum sanguinolentum Trin. Diss. II. p. 116. Ic. gr. XII. tab. 142. N. ab Es. Agr. bras. p. 39.

V. spp. Bras.

Culmus cum reliquis partibus e sanguineo fuscescens. *Vaginae* compressiusculae, glabrae, radicales basi albo-tomentosae. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* acuminata, coriacea, lineas 3 lata, ultrapalmaria. *Racemi* basi barbati. *Spiculae* virides. *Glumae* 5-nerves, tenero- et brevi-villosae. *Perianthium* albo-virens.

Paspalum erianthum N. ab Es. 2 — 4-pedale, erectum. Racemis 3 — 9, alternis (sesqui- 2-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis 2-linealibus, 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, ovato-ellipticis, obtusiusculis, villosis; Foliis sublanceolato-linearibus, sericeo-hirtis.

Paspalum erianthum N. ab Es! Agr. bras. p. 38. Trin. Diss. II. p. 121. Ic. gr. XII. tab. 135.

V. spp. Bras.

Culmus satis tenuis, basi bulbosus. *Vaginae* compressiusculae, sericeo-hirtae, superiores pubescentes tantum. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia*

acuta, in majoribus lineas 3 — 4 lata; inferiora spithamaea. *Axis communis* pl. min. palmaris. *Racemi* grisei. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* viridulum.

Paspalum laeve Mchx. Sesqui — bi-pedale, obliquum? Racemis (plerumque) 3, alternis (2 — 3-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis subultralinealibus, biserialibus, brevi-pedicellatis, oblongo-orbiculatis Foliisque linearibus glabris (hisve basi pilis adspersis).

Paspalum laeve. R. et S. II. p. 296. an Lecont.? Schult. Mant. 2. p. 167.

V. spp. Am. bor.

Vaginae compressae, omnes glabrae. *Ligula* membranacea, productiuscula. *Folia* subacuminata, compressa vel superne plana, lineas 2 — 3 lata, inferiora interdum pedalia, culmea palmaria — spithamaea (LECONTEO brevia dicuntur). *Glumae* 3-nerves: nervis lateralibus adeo marginalibus, ut illae uninerves videantur. *Perianthium* tenuissime punctulatum. — Simillimum sequenti differt potissimum spiculis hinc convexis, foliis latioribus.

Paspalum lentiferum LaM. Bipedale et ultra, erectum. Racemis 4 — 6, dissite alternis (sesqui — 2-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis subultralinealibus, 3 — 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, oblongo-orbiculatis, utrinque depressis Foliisque linearibus glabris.

Paspalum lentiferum. R. et S. II. p. 312. Trin. ic. gram. XII. tab. 137. — *P. praecox Walt.*

V. spp. Am. bor.

Vaginae compressiusculae: radicales et fasciculorum sericeo-villosae, culmeae glabrae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* acuta, superne plana et sesquilineam lata, inferiora spithamaea. *Racemi*, ad axin 2 — 4-pollicarem, basi barbati. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* laete viride, punctulato-striatum.

Paspalum tenax. Bi — tri-pedale? erectum. Racemis sub-4, dissite alternis (3-pollicaribus); Axi ═, glabro; Spiculis subultralinealibus, 4-serialibus, subaequaliter brevi-pedicellatis, ovato-ellipticis, acutiusculis Foliisque linearibus glabris.

Paspalum tenax Trin. Diss. II. p. 122.

V. sp. Nov. Zeel.

Culmus totus vaginatus. *Vaginae* glabrae, (superiores) teretiusculae: suprema elongata. *Ligula* membranacea, lineam longa, obtusa. *Folia* compressa, firma, acuminata, culmi abscissi inferius ultraquadripollicare, explanatum lineas 2 et qu. exc. latum. *Axis communis* 3-pollicaris. *Racemi* basi nudi. *Glumae* 5-nerves: nervo utrinque intermedio subobsoleto. *Perianthium* virescens.

Paspalum scutatum N. ab Es. Sub-bipedale, erectum. Racemis 4 — 6, dissite alternis (3 — 1-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis linealibus, 3 — 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, obovato-subrotundis, inferne margine utrinque retusis, apice mucronatis, glabris; Foliis lineari-lanceolatis, villosis.

Paspalum scutatum N. ab Es! Agr. bras. p. 45. Trin. Diss. II. p. 105.

V. sp. Bras.

Vaginae compressiusculae, inferiores villosae. *Ligula* margo angustissimus. *Folia* acuminata, lineas circiter 4 lata, inferiora semipedalia, villosa. *Axis communis* 4-pollicaris. *Racemi* basi barbati. *Spiculae* e miniaceo et ochraceo variae. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* pallidum.

Paspalum plicatulum Mchx. Tripedale, erectum. Racemis 3 — 5 — 12, dissite alternis (sesqui — 3-pollicaribus); Axi ⚌, glabro l. tenuissime pubescente; Spiculis linealibus paulove majoribus, 3 — 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, ovato- l. obovato-oblongis, glabris dorsove puberulis; Foliis linearibus, glabris l. pubescentibus (villosisve).

Paspalum plicatulum. Trin. Diss. II. p. 112. Ic. gr. XII. tab. 140. — *P. undulatum Poir.* R. et S. II. p. 309. Kth. Agr. syn. p. 62. — *P. plicatum Pers.* — *P. virgatum Walt.*

V. spp. Am. bor. Guian. Bras.

Vaginae radicales magis, culmeae minus compressae, glabrae l. inferiores pl. min. pubescentes, fauce nudae l. villosae. *Ligula* membranacea, plerumque

lineam longa. *Folia* acuminata, lineas 1 — 3 lata, inferiora saepe sesquipedalia. *Racemi* plerumque 5, ad axin 3 — 5-pollicarem solitarii, basi nudi l. barbati. *Spiculae* obtusiusculae. *Glumae* 5-nerves: nervis lateralibus sibi approximatis; gluma superior tantum non semper plicatula! *Perianthium* atrofuscum, basi albidum. — *Var.* foliis molliter denseque villosis, racemis 2, longis, e Bras.

Paspalum dilatatum Poir. 2 — 3-pedale, erectum. Racemis 2 — 10, dissite alternis (4 — sesqui-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis pl. min. ultralinealibus, 4-serialibus, inaequaliter pedicellatis, ovatis, acutis, (depressis), margine villosulis; Foliis (sublanceolato-) linearibus, glabris.

Paspalum dilatatum. R. et S. II. p. 315. Kunth rev. gr. p. 197. tab. 10. Agr. syn. p. 60. — *P. ovatum N. ab Es!* Agr. bras. p. 43. Trin. ic. gr. XII. tab. 139. — *P. platense Sprgl!*

V. spp. Bras.

Vaginae compressae: radicales pl. min. villosae, culmeae glabrae. *Ligula* membranacea, nunc brevis, obtusa et pilis stipata, nunc 2-linealis, acuta, nuda. *Folia* fere e lanceolato linearia, acuminata, lineas fere 3 lata, inferiora ultrapedalia. *Axis communis* pollicaris — dodrantalis. *Racemi* crassiusculi, saepe nutantes. *Spiculae* depressae, longius breviusve acutae. *Glumae* 5-nerves: inferior margine tenui- et longiuscule villosa. *Perianthium* lenticulare, e viridi albens, tenuissime punctulatum.

Paspalum glabrum Poir. Tripedale, erectum. Racemis sub-5, dissite alternis (3 — 4-pollicaribus); Axi ⚌, glabro; Spiculis parvis, 3 — 4-serialibus, brevipedicellatis, obovatis, pubescentibus; Foliis linearibus, glabris.

Paspalum glabrum. R. et S. II. p. 309. Kth. Agr. syn. p. 58. — *P. ischnocaulon Trin.* ic. gr. XI. tab. 126. Kth. Agr. syn. p. 45.

V. spp. Ind. occ. Mascar.

Culmus gracilis. *Vaginae* compressiusculae, glabrae. *Ligula* membranacea, brevis, dorso pilis stipata. *Folia* lineas 2 — 3-lata, acuminata, fasci-

culorum sublanceolata, culmi inferiora ultrapedalia. *Racemi* graciles, basi brevissime barbati. *Axis communis* 4 — 5-pollicaris. *Glumae* 3-nerves. *Perianthium* spadicescens.

β. *Axi partiali spicula singula (spiculisve) latiori* (=).

1) *Spiculis lanato-villosis.*

Paspalum carinatum Flügg. Sesqui — 2-pedale, erectum. Racemis 1 — 2, subapproximato-alternis; Axi spiculis paulo latiori; Spiculis bilinealibus, biserialibus, subsessilibus, lineari-ellipticis, obtusis, sericeo-villosis; Foliis linearibus, plerumque involutis, hirsutis pilisve tantum adspersis.

Paspalum carinatum. R. et S. II. p. 191. Kth. Agr. syn. p. 41. — *P. stellatum Trin.* Diss. II. p. 100. Ic. gr. X. tab. 119. (ubi in descriptione *P. carinatum* et *stellatum* confusa sunt, in icone racemi axis partialis nimis latus depictus est).

V. spp. Bras.

Nodi in variet. foliis hirsutis barbati, in var. foliis glabriusculis glabri. *Vaginae* teretiusculae, glabrae aut pl. min. hirsutae. *Ligula* brevissima, membranacea, subciliari-lacera. *Folia* subuliformi-angusta, rarius explanata et fere lineam lata, plerumque canaliculato-involuta, nunc e tuberculis hirsutissima, nunc pilis raris tantum adspersa, imo glabra. *Axis communis* semipollicaris; *partialis* planus l. marginibus tantum deflexus, spicula singula duplo, utraque paulo latior. *Spiculae* depressiusculae. *Glumae* 3-nerves, nervis lateralibus prorsus marginalibus. *Perianthium* glumis paulo brevius, obtusum, superne apiceque barbulatum, interdum basi quoque adpresso-villosulum.

Obs. Varietas foliis hirsutis *Paspalo eucomo* habitu adeo similis est, ut, nisi consideraveris hujus racemos conjugatos, axin partialem minus latum spiculasque minores et acutas, illam facile cum hoc confunderes.

Paspalum lanciflorum. Bipedale et ultra, erectum. Racemis 2, conjugatis; Axi praelato, marginibus deplicato; Spiculis maximis, biserialibus, sessilibus, ovato-lanceolatis, acuminatis, basi barbatis; Foliis linearibus, hirsutis.

Paspalum lanciflorum Trin. ic. gr. XXIV. tab. 286.

V. spp. Bras.

Nodi pl. min. pubescentes. *Vaginae* teretes: inferiores superne e glandulis hirsutae. *Ligula* membranacea, brevis, dorso pilis stipata. *Folia* rigida, acuminata, lineam et qu. exc. lata, antice et praesertim margine papilloso-hirsuta: inferiora dodrantalia. *Racemi* (rarius 3 digitati) basi villoso-barbati, pollices 2 — 3 et ultra longi. *Axis partialis* expansus lineas 2 latus. *Spiculae* depressae, apicibus axis marginem excedentes, laete virides, lineas 2 cum dimidia longae. *Glumae* 3-nerves: inferior basi pilis brevibus et squarrosis-, superior, brevior, obtusa, ibidem villis erectis et longioribus barbata, marginibus ciliata. *Perianthium* ellipticum, acutiusculum, minute pedicellatum, glumis dimidio brevius, glabrum.

Paspalum stellatum Flügg. Sub- 2-pedale, erectum. Racemis 1, l. 2 subconjugatis; Axi latissimo, compresso; Spiculis linealibus, biserialibus, subsessilibus, ovatis, acutis, sericeo-villosis; Foliis linearibus, planis involutisve, hirsutis glabrisve.

Paspalum stellatum. R. et S. II. p. 290. Kth. Agr. syn. p. 41. — *P. cujabense Trin.* ic. gr. XXIV. tab. 284. (var. monostachya, nudifolia).

V. spp. Bras.

Nodi glabri. *Vaginae* teretes, glabrae l. pl. min. hirsutae. *Ligula* ciliaris. *Folia* inferiora (praesertim varietatis nudifoliae) plerumque plana, lineam lata, superiora et fasciculorum pl. min. involuta vel subsetacea. (Inter numerosissima e Brasilia missa specimina ne unum quidem distachyum). *Axis compressus* spiculas totas obvolvit, expansus latitudine lineas 3 excedens. Denticuli, *pedicellorum* loco spiculas sustentantes, stellatim barbati. *Spiculae* de-

pressiusculae, cum lana sua linea longiores. *Glumae* 2-nerves. *Perianthium* glumis brevius, pl. min. acutiusculum, nudum.

***Paspalum membranaceum* LaM.** 2 — 3-pedale, adscendens. Racemis 2 — 10, alternis. Axi latissimo, compresso; Spiculis ultralinealibus, biserialibus, subsesilibus, ovato-oblongis, acutiusculis, sericeo-villosis; Foliis lineari-lanceolatis, glabris pilisve rarissimis adspersis.

Paspalum membranaceum. R. et S. II. p. 290. — *P. Commersonii Zucc.* *Ceresia elegans Pers.*

V. cc.

Nodi glabri. *Vaginae* teretiusculae, glabrae. *Ligula* membranacea, brevis l. fere linealis. *Folia* plana, acuminata, interdum linearia tantum, lineas 2 — 5 lata, inferiora dodrantalia. *Axis communis* 2 — 4-pollicaris. *Glumae* 2-nerves. *Perianthium* glumas aequans, acutiusculum, apice subpubescente pilo uno alterove comatum.

Paspalum heterotrichon. Bipedale et altius, erectum. Racemis 3 — 7, alternis; Axi latissimo, compresso; Spiculis linealibus, biserialibus, brevissime pedicellatis, elliptico-oblongis, dorso sericeo-villosis; Foliis angusto-linearibus, glabris.

Paspalum heterotrichon Trin. ic. gram. XXIV. tab. 285.

V. spp. Bras.

Culmi gracilis nodi barbulati. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* brevissima, membranacea, barbata. *Folia* attenuato-acuminata, linea plerumque angustiora, culmea inferiora breviora (1 — 2-pollicaria), versus medium culmum longiora (palmaria — spithamaea). *Axis communis* pl. min. pollicaris. *Racemi* 2-pollicares, paulo nutantes. *Axis partialis* compressus, villorum, spiculas vestientium, non nisi apices emergere sinit. *Spiculae* cum ipsis villis lineam longae. *Glumae* 3-nerves: inferior ad flexurae angulum villosa basique medio barbata. *Perianthium* chartaceum, lanceolato-ellipticum, acutiusculum, glumis fere tertiam partem brevius.

2) *Spiculis glabris l. pubescentibus tantum.*

Paspalum gracile Rudge. 1 — 6-pedale, erectum l. repens. Racemis pluribus plurimisve, confertim jubato-paniculatis (1 — 3-pollicaribus); Axi spiculis latiori, glabro; Spiculis parvis, 2-serialibus, brevissime pedicellatis, sublanceolato-ellipticis, acutis, glabris vel cum Foliis lato- l. lanceolato-linearibus pubescentibus.

a) Juba majori, densiori, Racemis plurimis, longioribus, Spiculis pubescentibus.

V. spp. Bras.

Idem, spiculis glabris.

Paspalum pyramidale N. ab Es. Agr. bras. p. 77.

b) Juba breviori, lucidiori, Racemis paucioribus, brevioribus, Spiculis pubescentibus:

Paspalum gracile Rudge Guian. p. 20. tab. 26. R. et S. II. p. 316.

Idem, humile, flaccidulum, repens (in aquis fluitans).

V. spp. Bras.

Gramen siccum canescendo-fuscescens. *Culmus* totus vaginatus. *Nodi* glabri. *Vaginae* laxae et praesertim inferne ampliatae, glabrae, apice utrinque setaceo- l. subulato-appendiculatae: laciniis in gramine humili linealibus, in majori erecto fere semipollicaribus. *Ligula* membranacea, breviuscula, truncata l. obtusa. *Folia* acuminata, praecipue in humioliori planta magis lanceolata, in altiori lato-linearia, (lineas 6 — 8 lata): in illa 2 — 3-pollicaria, in hac pedalia et longiora (omnia pl. min. aequilonga); utrinque minutissime tuberculata, praesertim in pagina superiori pilis minutis pubescentia, margine in majoribus hispida. *Juba panicularis* in humili gramine 2-pollicaris, in majori spithamaea — pedalis, stricto-erecta. *Racemi* tenues: in illa 15 — 20, in hac innumeri. *Axis partialis* vix lineam latus, subfoliaceus, apice acuto spicularum series excedens. *Spiculae* depressae. *Glumae* pertenues, binerves

aut inferior 3-nervis: nervo marginali prominulo; in nostris speciminibus omnibus pubescentes. *Perianthium* pallidum, glumis paulo brevius.

Obs. An ad var. humiliorem, spiculis glabris: *Paspalum pallidum Hb. Kth.* R. et S. II. 294. Kth. Agr. syn. p. 43?

Paspalum firmum. 2-pedale, erectum. Racemis 4 — 6, alternis (superioribus confertis), subfastigiatis (4 — 3-pollicaribus); Axi spicula singula latiori, glabro; Spiculis linealibus, biserialibus, subbrevissime pedicellatis, obovato-subrotundis Foliisque lanceolato-linearibus glabris.

Paspalum firmum Trin. Diss. II. p. 105. Ic. gram. XI. tab. 125. Kth. Agr. syn. p. 60.

V. spp. Mascaren.

Culmi simplicis, toti vaginati, nodi glabri. *Vaginae* carinato-compressae, glabrae. *Ligula* membranacea, fere lineam longa, obtusa. *Axis communis* sesqui — bi-pollicaris. *Racemi* crassi. *Axis partialis* complanatus, marginibus angustis deflexus, spicula singula duplo latior, spiculas ambas latitudine aequans. *Glumae* 5-nerves, vel inferior sub- 7-nervis. *Perianthium* castaneum, basi albens, tenerrime punctulato-striatum.

Paspalum quadrifarium LaM. 2 — 3-pedale, erectum. Racemis 5 — 12, alternis (pl. min. ultrapollicaribus); Axi spicula singula latiori, dense ciliato; Spiculis parvis, 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, ellipticis Foliisque linearibus glabris.

Paspalum quadrifarium. R. et S. II. p. 314 (sub *virgato*). N. ab Es. Agr. bras. p. 71. (ubi vero axis partialis spiculis angustior dicitur). Trin. ic. gr. XI. tab. 128.

V. spp. Bras.

Nodi pl. min. barbati. *Vaginae* compressiusculae, glabrae. *Ligula* membranacea, linea brevior, obtusa. *Folia* attenuato-acuminata, firma et rigida, lineas 2 lata: culmea inferiora sesquipalmaria. *Axis communis* 3 — 4-pollicaris; *partiales* spicula singula plus duplo latiores, quaternas latitudine aequantes,

margine glandulosi et dense ciliati pilis circiter sesquilinealibus, deflexis. *Glumae* 3-nerves.

Paspalum commutatum N. ab Es. Sesquipedale, (adscendendo-) erectum. Racemis 2 — 4, alternis ($2\frac{1}{2}$ pollicaribus); Axi spiculis latiori, glabro; Spiculis parvis, biserialibus, brevipedicellatis, obovato-subrotundis, glabris; Foliis linearibus vaginisque (inferioribus) hirsutis.

Paspalum commutatum N. ab Es. Agr. bras. p. 59. — *P. dissectum Trin.* Diss. II. p. 106. Ic. gr. XI. tab. 124.

V. spp. Bras.

Nodi glabri. *Vaginae* compressae, inferiores undique aut superne hirsutae, superiores glabrae. *Ligula* membranacea, breviuscula, rotundata. *Folia* attenuato-acuminata, lineam vel cum dimidia lata, inferiora dodrantalia hirsuta, superiora basin versus ciliata tantum. *Axis communis* 1 — 2-pollicaris, *partialis* spiculis margine deflexo latior. *Glumae* 3 — 5-nerves. *Perianthium* fuscum, punctato-striatum.

Paspalum longifolium Roxb. 3-pedale, erectum. Racemis 7 — 20, alternis (3 — 2-pollicaribus); Axi spicula singula (omnibusque sub-) latiori, glabro; Spiculis linealibus l. subparvis, 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, oblongis, pl. min. mucronulatis, pubescentibus; Foliis compresso-linearibus, glabris.

Paspalum longifolium. Schult. Mant. II. p. 175. Trin. ic. gr. XII. tab. 138.

V. spp. Molucc. Jav.

Nodi glabri. *Vaginae* superne carinatae, glabrae. *Ligula* membranacea, breviuscula, pilis aliquot stipata. *Folia* subacuminata, compressa et lineas 2 lata, apicem versus pl. min. complanata, 1 — 3-pedalia (suprema brevia). *Axis communis* spithamaeus — pedalis. *Racemi* inferiores remotiores. *Axis partialis* sesquilineam latus, margine hispidulo et angusto-deflexo spiculis quaternis sublatior. *Spiculae* sublenticulari-depressae, interdum obsolete puberuli tantum. *Glumae* 3-nerves, aut superior 5-nervis. *Perianthium* dilute viride, sub lente tenuissime punctulato-striatum.

R e i m a r i a *Flügg.*

Racemi simplices, conferto-alterni. *Spiculae* subsessiles, angusto-lanceolatae, acuminatae, e paleis (glumis et valvulis) herbaceo-membranaceis 3 compositae.

Gramina tropica Americae, repentia l. adscendendo-erecta, ramosa, pedalia vel minora.

Folia angusta, linearia l. lanceolato-linearia, breviuscula.

Ligulae loco barba pilorum.

Racemi simplicissimi, conferti, sparso-alterni, pl. min. pollicares, tenues.

Spiculae in axis partialis linearis excavationibus laxiuscule alternae, adpressae, subsessiles, angusto-lanceolatae, acuminatae, parvae. Paleae, quibus compositae sunt, tres, parum inaequales et ejusdem substantiae: inferior, axi opposita, et secunda, axis dorso adjacens, 3-nerves; tertia, cum secunda flosculum hermaphroditum constituens, binervis. (Inferior itaque aut gluma inferior est, superiori supressa, tumque perianthium inversum; aut, gluma utraque suppressa, flosculus neuter univalvis, quod, ob substantiam flosculorum aequalem, probabilius).

Lodiculae squamae 2, collaterales, cuneatae, apice emarginatae.

Ovarium lineari-oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* pennato-plumosula.

Stamina 2, 3? *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis obovato-elliptica, libera, eberbis, exsulca, depressiuscula, brevipedicellata, scutello suo duplo et qu. exc. longior.

Reimaria acuta Flügg. Spiculis linea longioribus, subulato-acuminatis, infra pilosis; Culmo repente.

Reimaria acuta. R. et S. I. p. 289. Trin. Diss. II. p. 59. Ic. gram. XXIII. t. 273. V. spp. Bras.

Prostrata, pedalis. Racemi 4 — 6, demum patentissimi et reflexi, basi ananthi.

Reimaria conferta N. ab Es. Spiculis linea brevioribus, acutissimis, nudiusculis (basi minute ciliatis); Culmo adscendente.

Reimaria conferta N. ab Es. Agr. bras. p. 15. Trin. Diss. II. p. 59. Ic. gram. XXIII. t. 276.

V. spp. Bras.

Adscendens, semipedalis. Racemi quam in praecedente plures, pl. min. contracti, a basi floriferi.

LAPPAGO *Schreb.*

Thyrsus simpliciusculus (subcompositus). *Spiculae* 2 — 5 in thyrsulis capituliformibus partialibus. *Gluma* inferior nulla, superior minima. *Flosculus neuter* ad costas glochideo-echinatus.

Gramen utriusque orbis regiones tropicas ad grad. bor. circ. 45 usque transgrediens, arenosa et inculta amans, pedale, ramosum, plerumque prostratum.

Folia lanceolato-linearia, brevia, firmula.

Ligula brevis, membranacea, ciliata.

Thyrsus cylindraceus, subcompositus, formatus e fasciculis s. thyrsulis subcapituliformibus, 2 — 5-floris: axi partiali brevissimo, radiolos emittente approximatissimo-alternos, brevissimos, inferiores binato-spiculiferos.

Spiculae specie uniflorae, sed ex omni analogia hemiologamae censendae: *Gluma* inferiore suppressa, superiore minima, membranacea, enervi. *Flosculus neuter* 1-valvis, magnus, ovalis, acutus, 7-nervis, ad nervos coriaceos dense glochideo-echinatus. *Hermaphroditus* chartaceus, neutro vix brevior, lanceolatus, acutus: valv. inferior 3-nervis superiorem teneriorem obvolvens. — *Spicula* in radiolis superior s. extima angustior, sterilis.

Lodiculae squamae 2, oblique truncatae et hinc in denticulum productae.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosula.

Stamina 3. *Antherae* oblongae.

Fructus caryopsis subfusiformi-ovalis, antice depressiuscula, libera, eberbis, scutello suo plus dimidio longior.

Lappago racemosa Willd. Kth. rev. gr. tab. 120. Agr. syn. p. 170. — *L. biflora Roxb.* — *L. aliena Sprgl.*

Cenchrus racemosus L. Schreb. gr. tab. 4. — *C. linearis LaM.*

Tragus racemosus Hall. R. et S. II. p. 378. — *Tr. muricatus Mönch.* — *Tr. Berteronianus Schult.* Mant. 2. p. 205. — *Tr. alienus* et *biflorus Schult.* ibid. — *Tr. occidentalis N. ab Es.* Agr. bras. p. 286.

Phalaris muricata Forsk.

V. spp. Monsp. Dalm. Iber. Afr. oriental. Chin. Dom. Bras.

Spiculae in planta extra-europaea plerumque minores.*)

CENCHRUS *L.*

Thyrsus simplex. *Spiculae* (1 — 5) intra *Involucrum* capituliforme setoso- l. spinoso- rarius lingulato-laciniosum, coriaceum, basi integrum, cum ipsis deciduum. *Lodicula* nulla.

Gramina utriusque orbis regiones tropicas, in antiquo ad gr. bor. 35-, in America fere ad gr. 50 usque transgredientia, 1 — 3 (— 6-) pedalia, erecta l. decumbentia, plerumque ramosa.

Folia linearia l. sublanceolato-linearia.

Ligula ciliaris, rarius membranacea.

Thyrsus cylindraceus, simplex, formatus e capitulis spinoso-setosis, subsessilibus.

---

*) OBS. Huic generi proximus et fortasse associandus *Latipes Kth.* rev. gr. tab. 42. Agr. syn. p. 171., gluma superiore una cum inferiore suppressa.

Spiculae intra involucrum 1 — 5, sessiles, lanceolato-ovatae, hemiologamae. *Glumae* 2 vel, inferiore supressa, 1, membranaceae, acutae: inferior pl. min. parva, 1-, superior flosculis paulo magisve brevior, 3 — 5-nervis. *Flosculus inferior* neuter vel masculus, membranaceus, 1 — 2-valvis: valvula inferiore acuta l. acuminata, 5 — 7-nervi. *Flosc. superior* hermaphroditus, subchartaceus, lanceolato-ovatus, acutus l. acuminatus: valvula inferior superiorem arcte obvolvens. — *Involucrum* spiculam l. spiculas cingens, constans e laciniis coriaceis, rarius simplicibus, plerumque setoso-aut spinoso-partitis, basi in discum turbinatum solidum connatis: lacinulis deorsum aculeolatis: extimis multo brevioribus, setiformibus, plerumque patentissimis; interioribus sensim crassioribus, spiculas non nimis superantibus, plerumque inferne villosis (unica vel aliquot interdum paulo protractioribus).

Lodicula nulla.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* inferne connati, 2. *Stigmata* plumosula.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis oblonga, depressiuscula, intra valvulas clausas libera, eberbis, scutello suo duplo vel tertiam quartamve partem longior.

a) *Involucelli laciniis partitis, deorsum aculeolatis; gluma inferiore manifesta; Ligula ciliari.*

Cenchrus myosuroides Hb. et Kth. Capitulis thyrsi erectis; Involucelli 1-flori laciniis omnibus setaceis, fere ad basin usque liberis, erectis, eberbibus.

Cenchrus myosuroides Hb. et Kth. Gen. et sp. I. tab. 35. R. et S. II. p. 257. — An huc *C. alopecuroides Presl.* rel. Haenk. I. p. 317?

Pennisetum myosuroides Sprgl. S. V. 1. p. 305.

V. sp. Chil.

Culmus dicitur erectus et orgyalis. *Vaginae* cum *Foliis* angusto-linearibus, subinvoluto-compressis, scabris, glabrae. *Thyrsus* cylindricus, satis angustus, densus, 5-pollicaris. *Gluma* inferior flosculis triplo brevior, 1-, superior iis-

dem paulo brevior, 5-nervis. *Flosc. neut.* in nostro specimine 2-valvis: valvula inferior 7-nervis. *Hermaphroditus* neutrum aequans, scabriusculus.

Cenchrus echinatus L. sp. pl. ed. 1. Capitulis patulis; Involucelli 1 — 4-flori laciniis fere ad basin usque liberis, erectis inferioribusve squarrosis; exterioribus setaceis nudis, interioribus subuli- (vel spini-) formibus pl. min. villosis.

α. Spiculis 2 — 4 intra involucellum:

Cenchrus echinatus. R. et S. II. p. 253. — *C. pungens Hb. et Kth.* N. ab Es. Agr. bras. p. 288. — (In horto Erfurt. distinguuntur *C. macrocarpus* et *microcarpus*).

Elymus caput medusae Forsk.

V. spp. Am. bor. Ind. occ. Bras. Cap. vir. Manill.

β. Spicula solitaria:

Cenchrus australis Br!

V. spp. N. Holl. O-Tait. — Chil.

Culmus 1 — 2-pedalis, procumbens, ramosus. *Folia* interdum longitudinem ultrapedalem et latitudinem sesquipollicarem acquirunt. *Thyrsus* pollices 2 — 3, rarius 4 — 5 longus. *Axis* glaber l. pl. min. pubescens. *Gluma* inferior saepe minima tumque enervis, superior flosculis tertiam partem l. paulo tantum brevior, 3 — 5-nervis. *Flosc. neut.* 1-valvis, 7-nervis, *Hermaphroditum* scabriusculum aequans.

Obs. Specimen Chilense (var. *β.*) differt involucelli laciniis (exceptis aliquot extimis brevibus) omnibus densius villosis, basi distinctius turbinato-connatis.

Cenchrus echinatus interdum non nisi aegre a sequente distinguitur; cujus generis est *Cenchrus echinatus Torr!*

Cenchrus tribuloides L. sp. pl. ed. 1. Capitulis patulis; Involucelli 1 — 3-flori laciniis basi subturbinato-connatis, squarrosis (inferne tomentosis), omnibus (vel exceptis aliquot extimis setaceis) spiniformibus, omnibus l. interioribus pl. min. villosis.

Cenchrus tribuloides. R. et S. II. p. 253. — *C. carolinianus Walt.* — *C. spinifex Cav.*

V. spp. Canad. Bras.

Similis praecedenti. *Capitula* plerumque majora magisque globosa; laciniae *involucelli* latiora. *Flosc. masc.* vel *neut.* bivalvis.

Cenchrus agrimonioides. Capitulis (conoideis) reflexis; Involucelli 1-flori laciniis inferne turbinato connatis, exterioribus setaceis, brevissimis, squarrosis, interioribus subuliformibus, conniventibus, villosulis.

Cenchrus agrimonioides Trin. Diss. II. p. 72.

V. spp. ex O-Waahu.

Culmus 2-pedalis et ultra, satis validus, strictus, decumbens, ramosus. *Vaginae* cum foliis glabrae. *Folia* stricta, supra scabriuscula, marginibus hispida, lineas 5 — 7 lata, dodrantalia — pedalia. *Thyrsus* laxus, 3 — 5-pollicaris. *Axis* glaber. *Capitula* acuto-conoidea, brevi-pedicellata: pedicello basique turbinata pubescentibus. *Gluma* inferior parva, 1-, superior flosculis tertiam partem brevior, 5-nervis. *Flosc. masc.* 2-valvis: valvula inferior 7-nervis, *Hermaphroditum* aequans.

b) *Involucelli laciniis simplicibus, margine sursum hispidulis; Gluma inferiore nulla; Ligula membranacea* (ANTHEPHORA).

Cenchrus laevigatus. Capitulis erectis; Involucelli 1 — 5-flori laciniis (4 — 5) aequalibus, lingulatis, basi in discum claviformem connatis.

! *Cenchrus laevigatus Trin.* Diss. II. p. 74.

Tripsacum hermaphroditum L. sp. pl. ed. 2.

Colladoa monostachya Pers.

Anthephora elegans Schreb. Gram. tab. 44. R. et S. II. p. 497.

* Vaginis foliisque pl. min. villosis, involucellis pubescentibus:

Cenchrus villosus Sprgl. S. V.

Anthephora villosa Sprgl. N. Entd.

V. spp. Ind. occ.

PENNISETUM *Rich.*

Thyrsus simplex. *Spiculae* (lanceolatae, acutae) setis arcte *involucratae*, aut ipsarum basin, aut, ubi pedicellatae, pedicelli basin coronantibus: *involucro* cum spiculis deciduo. *Hermaphroditus* ovato-lanceolatus, demum glumis firmior. *Lodicula* nulla aut extra valvulam superiorem sita.

Gramina utriusque orbis maximam partem tropica, pauca ad grad. 37. lat. bor. descendentia, decumbentia l. erecta, 1 — 5-pedalia.

Folia plerumque linearia, interdum involuta, rarius lanceolata, saepissime circa ligulam extus cingulo pilorum brevium notata.

Ligula ciliaris aut, si membranacea, brevissima, ciliatula.

Thyrsus simplex, cylindraceus, pl. min. densus.

Spiculae intra involucellum solitariae l. 2 — 4 sessiles aut pedicellatae, lanceolatae, hemiologamae. *Glumae* 2 vel, inferiore suppressa, 1, membranaceae, variae longitudinis, enerves ubi minimae, ubi majores, inferior 1-, superior 3 — 5 — 7-nervis, integrae vel apice denticulatae. *Flosc. inferior* neuter vel masculus, 1 — 2 valvis, membranaceus l. subchartaceus, muticus, interdum caudulatus. *Flosc. superior* hermaphroditus, ovato-lanceolatus, acutus l. acuminatus, membranaceus l. chartaceus, demum glumis firmior: valvula inferior superiorem arcte obvolvens. — *Involucrum*, spiculam vel spiculas cingens, constans e setis plurimis, plerumque valde inaequalibus, in plerisque spiculam superantibus, aut omnibus hispidis tantum, aut inferioribus (raro omnibus) inferne plumosis; sessile vel pedicellatum, spiculae, si haec sessilis, basi ipsi circumcirca enatum, si spicula pedicellata, pedicelli basin arcte cingens.

Lodicula plerumque nulla, in iis autem, quibus styli ad basin usque liberi, supemanifesta: squamae 2, fere ut in Panico, sed teneriores et *extra* valvulam superiorem sitae.

Ovarium ovale, glabrum. *Styli* plerumque inferne connati, liberi in lodiculatis tantum? *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis oblonga, depressa, intra valvulas clausas libera, eberbis, exsulca, scutello suo duplo (duplove magis) vel tertiam partem longior.

Obs. Genus *Cenchro* nimis fortasse affine, cujus involucella magis tantum indurata eandem ad *Pennisetum* habent rationem, quam v. gr. *Echinaria* ad *Sesleriam* aut *Sclerochloa* ad *Poam*.

D i v i d i t u r:

a) Ipsa spiculae basi (setis, rarissime villis) involucrata (*Pennisetum* et *Gymnothrix*).

b) Spiculae pedicello basi involucrato, basi spiculae ipsa nuda (*Penicillaria*).

a. *Spiculae basis ipsa involucrata*:

α. *Involucellis hispidis*,

* *pedicellatis.*

Pennisetum compressum Br. Thyrso solitario, densiusculo (palmari l. breviori); Involucellis (1 — 2-floris) pedicellatis: setis hispidis, inaequalibus, spicula solitaria sensim subtriplo longioribus; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculis duplo breviori; Hermaphrodito acutissimo, neutrum 1-valvem acuminatum aequante; Foliis angusto-linearibus, glabris.

Pennisetum compressum. R. et S. II. p. 261.

Setaria compressa Kth. Agr. syn. p. 150.

α. Involucellis purpureis:

Cenchrus purpurascens Thbg! in Linn. trans.

Panicum hordeiforme γ, *Thbg.* Fl. jap. — *P. alopecuroides L.* sp. pl. (nec Mant. 2.) excl. syn. Plucken.

Gymnothrix purpurascens Sw. ms. — *G. japonica Kth.* Agr. syn. p. 158.

Pennisetum japonicum Trin. in Spr. n. Entd. II. 76. Diss. II. p. 63. Ic. gr. II. tab. 19.

V. spp. Jap. et e sem. Cbsp. cult.

β. Involucellis pallide flaventibus:

Alopecurus hordeiformis L. sp. pl. ed. 1.

Cenchrus hordeiformis Thbg. prodr. R. et S. II. p. 256. excl. syn. Desf.

Panicum hordeiforme Thbg. Fl. jap.

Gymnothrix cenchroides R. et S. II. p. 499. (excl. syn. PB.) Kth. Agr. syn. p. 158. (excll. synn. N. ab Es. Steud. et Eckl.)

Pennisetum hordeiforme Sprgl. S. V.

V. spp. Cbsp.

Culmus 1 — 2-pedalis, simplex, compressus, infra thyrsum pubescens. *Folia* lineam lata, saepe involuta, praelonga. *Setae* longiores subaequales. *Spiculae*, demtis setis, ultrabilineales. *Ligula* nulla. *Styli* inferne connati.

** *Involucellis sessilibus.*

Pennisetum nervosum. Thyrso solitario, denso (palmari — spithamaeo); Involucellis sessilibus: setis hispidis, inaequalibus, spicula sensim quartam tertiamve partem longioribus; Gluma inferiore flosculis $\frac{3}{4}$ — $\frac{2}{3}$ breviori, superiore Hermaphroditoque caudato-acuminato neutrum univalvem caudulatum aequantibus; Foliis lato-linearibus, glabris.

Gymnothrix nervosa N. ab Es. Agr. bras. p. 277.

V. spp. Bras.

Culmus sesqui — bi-pedalis et ultra, nodis glabris. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* scabra, lineas 4 — 6 lata, dodrantalia — ultrapedalia. *Thyrsus* gilvescens vel purpurascens. *Spiculae*, demto involucello, 3-lineales. *Gluma* inferior acuta, 1-nervis, superior crasse 7 — 9-nervis. *Flosc. neut.* crasse 7-nervis. *Herm.* valv. inferior tenui-5-nervis, superior apice subcaudato brevi-bifida. *Lodiculae* squamae tenerae, cuneato-subquadratae, basi cruciatae, apice truncato emarginatae. *Styli* liberi.

† **Pennisetum macrostachyum.** Thyrso denso (dodrantali): Involucellis sessilibus: setis hispidulis, aequalibus, spicula quadruplo longioribus; Gluma inferiore mi-

nima, superiore flosculis duplo breviori; Hermaphrodito acuminato neutrum univalvem parum superante; Foliis lineari-lanceolatis.

Gymnothrix macrostachys Brongn. it. Duperr. bot. p. 104. tab. XI.

Inss. Molucc.

Culmus geniculato-adscendens, 2 — 3-pedalis. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, truncata. *Folia* subpedalia, lineas 6 — 8 lata, glabra, acuminata. *Thyrsus* 6 — 8-pollicaris, fulvescens, apice nutans. *Gluma inferior* enervis, obtusa, *superior* 1-nervis, acuta. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connexi.

Pennisetum macrourum. Thyrso solitario, denso (6 — 10-pollicari); Involucellis sessilibus: setis hispidis spiculam parum (in junioribus magis) superantibus: unica subduplo magisve longiori; Gluma inferiore minutissima vel obsoleta, superiore brevissima; Hermaphrodito acuto neutrum univalvem acutum aequante; Foliis angusto-linearibus, glabris.

Pennisetum macrourum Trin. Diss. II. p. 64.

Gymnothrix caudata Schrad. Schult. Mant. 2. p. 284. Kth. rev. gr. tab. 38. Agr. syn. p. 159. — *G. hordeiformis N. ab Es.* in Linn. 1832. p. 276. excl. syn. Thbg. (Inter plantas Ecklonianas nomine *Perotis latifoliae* prostat).

V. spp. Cbsp.

Culmus 3-pedalis, simplex. *Vaginae* glabrae l. pilis brevissimis adspersae. *Ligula* ciliaris. *Folia* rigidiuscula, lineas 2 — 3 lata, pedalia, sicca involuta. *Thyrsus* flavescens. *Spiculae* sine involucello 2-lineales. *Lodiculae* squamae subcuneatae l. subquadratae, non emarginatae, tenerae. *Styli* liberi.

Pennisetum alopecuroides Steud. Thyrso solitario, denso (sesqui — sub-3-pollicari); Involucellis sessilibus: setis hispidis, inaequalibus, spicula sensim duplo longioribus; Gluma inferiore nulla, superiore minima; Hermaphrodito rostrato-acuminato neutro univalvi caudato-setigero longiori; Foliis linearibus glabris.

Gymnothrix purpurascens Schrad. Schult. Mant. 2. p. 283. N. ab Es. in Linn. 1832. p. 277.

An *Panicum geniculatum* et *Cenchrus geniculatus Thbg?* R. et S. II. p. 255.

V. spp. Cbsp.

Culmus 1 — 2-pedalis, nodis glabris. *Vaginae* glabrae, faucem versus ciliatulae. *Folia* compressa, carinata, expansa linea latiora, palmaria — dodrantalia. *Thyrsus* saepe purpurascens. *Spiculae*, demto involucello, sesquilineales. *Gluma* superior eroso-truncata, enervis. *Flosc. neut.* 1 — 3-nervis, hermaphroditum non nisi seta sua aequans. *Herm.* valv. inferior 5 — 7-nervis. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connati.

Pennisetum articulare. Thyrso solitario, densiusculo (2 — 3-pollicari); Involucellis sessilibus: setis hispidis, inaequalibus, spicula sensim duplo triplove longioribus; Glumis flosculis subduplo brevioribus: superiore paulo longiori; Hermaphrodito acuminato, neutrum vel masculum bivalvem subaequante; Foliis (numerosissimis) angusto-linearibus, inferne hinc inde pilis adspersis.

Pennisetum articulare Trin. Diss. II. p. 65. Ic. gr. XXIV. tab. 287. Kth. Agr. syn. p. 163.

V. spp. Nucahiv. (Inss. Marchion.)

Culmus decumbendo ramosissimus et foliosissimus, ramis ramosis, 1 — 2-pedalibus, nodis glabris. *Vaginae* glabrae l. pilis tenuissimis adspersae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 1 — 2 lata, fere fastigiata, culmum floriferum subaequantia, scabriuscula. *Thyrsus* flavescens l. purpurascens. *Spiculae*, demto involucello, 2 — 3-lineales. *Glumae* acutissimae: inferior 1-, superior 3-nervis. *Flosc. incompleti* valv. inf. 5-nervis. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connati.

Pennisetum parviflorum. Thyrso solitario l. e vaginis superioribus aliquot fasciculato-pedunculatis, densis (palmaribus — spithamaeis, angustis); Involucellis sessilibus: setis (parcis) hispidis, inaequalibus, spicula sensim paulo longioribus: unica longissima; Gluma inferiore nulla, superiore flosculis lon-

giori; Hermaphrodito obtusiusculo, neutro masculove bivalvi minori; Foliis linearibus, sub lente pilis brevissimis adpressis adspersis.

Pennisetum parviflorum Trin. Diss. II. p. 65. (excl. syn. Poir.). Ic. gr. XXIV. tab. 288.

V. spp. e Sierra Leone.

Culmus sesqui — 2-pedalis, decumbens, ramosus, nodis glabris. *Vaginae* glabrae vel faucem versus ciliatae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 1 — $2\frac{1}{2}$ lata, inferiora spithamaea, sub lente glandulis minimis adpresso-piliferis adspersa. *Thyrsus* circiter sesquilineam crassus, demum fuscescens. *Spiculae*, demto involucello, vix lineam longae. *Involucelli* setae circiter 9, unica spicula 3 — 4-plo longior. *Gluma* superior brevi-aciculata, 5-nervis. *Flosc. inferior* gluma circ. quartam partem brevior: valv. inf. subcuspidata, 5-nervi. *Herm.* demum subcoriaceus, flosculo inferiore fere tertiam partem brevior. *Lodicula* nulla. *Styli*...

Pennisetum latifolium Sprgl. Thyrsis aliquot e vaginis superioribus fasciculato-pedunculatis, densis (sesqui — bi-pollicaribus); Involucris sessilibus: setis hispidis, inaequalibus, spiculam sensim aequantibus: unica plus duplo longiori; Gluma inferiore minima, superiore flosculis pl. min. triplo breviori; Hermaphrodito acuto, neutro acuminato univalvi breviori; Foliis lato-lanceolatis, glabris.

Gymnothrix latifolia Schult. Mant. 3. p. 601. N. ab Es. Agr. bras. p. 278.

V. spp. Montevid.

Culmus fere orgyalis, simplex, nodis strigiloso-barbatis. *Vaginae* superiores glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* in petiolum attenuata, majora medio pollice latiora, fere bipedalia. E vaginis superioribus rami aliquot versus medium vaginati: hac vagina pedunculos emittente tenues, curvatos, inaequales, thyrsiferos. *Thyrsi* virescentes. *Setae* superne saepe purpurascentes. *Spiculae*, demto involucello, sub- 3-lineales. *Lodiculae* squamae cuneato-quadratae, emarginatae, basi cruciatae. *Styli* liberi.

β. *Involucellis plumosis,*

* *pedicellatis.*

Pennisetum fasciculatum. Thyrso solitario, laxo (2 — 3-pollicari); Involucellis pedicellatis, 1-vel fasciculato- 2 — 3-floris: setis inaequalibus, spicula sensim subduplo longioribus: interioribus plumosis: intima elongata; Gluma inferiore flosculis fere triplo, superiore iisdem paulo breviori; Hermaphrodito caudato-cuspidato masculum bivalvem acutissimum aequante; Foliis linearibus, glabris.

V. spp. Pers. et e monte Sinai.

Culmus vix pedalis, inferne fasciculato-ramosissimus, ramis adscendentibus, floriferis. *Nodi* barbati. *Vaginae* glabrae, superne ciliatae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* compressa, explanata vix lineam lata, 4 — 5-pollicaria (superiora breviora). *Thyrsus* pallidus l. purpurascens. *Axis* pubescens. *Pedicelli involucrorum* brevi-lanati. *Spiculae*, demto involucello, 3-lineales. *Gluma* inferior obtusa, superior aciculata, 3-nervis. *Flosc. masc.* valv. inf. 5-nervis. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connati.

** *Involucellis sessilibus.*

Pennisetum cenchroides Rich. Thyrso solitario, densiusculo (1 — 2-pollicari); Involucellis (sub-) sessilibus, 2 — 3-floris: setis inaequalibus, spicula sensim duplo longioribus: interioribus plumosis: intima longiori, crassiori; Gluma inferiore flosculis duplo-, superiore iisdem tertiam quartamve partem breviori; Hermaphrodito acutissimo masculum bivalvem aequante; Foliis linearibus, excepta basi glabris.

Pennisetum cenchroides. R. et S. II. p. 259. N. ab Es. in Linn. 1832. p. 277. excl. syn. Thbg. — *P. ciliare Lk.* ht. Berol.

Panicum vulpinum W. En.

Cenchrus ciliaris L.

V. spp. Mader. Canar. Cap. vir.

Culmus (plantae spontaneae) dodrantalis, ramosus. *Vaginae* glabrae l. superne e glandulis piliferae. *Folia* lineam lata, palmaria et ultra. *Thyrsus* purpurascens. *Spiculae*, demto involucro, 2-lineales. *Lodicula* nulla. *Styli* inferne connati.

Pennisetum dichotomum Delile. Thyrso solitario, densiusculo (sesqui — ultra- bipollicari); Involucellis sessilibus, 1-floris: setis parum inaequalibus, spicula paulo longioribus: interioribus aliquot plumosulis; Gluma inferiore flosculis paulo breviori, superiore Hermaphroditoque acutissimo masculum bivalvem aequantibus; Foliis involutis, glabris (breviusculis, rigidulis).

Pennisetum dichotomum. Schult. Mant. 2. p. 148. — *P. phalaroides Schult.* l. l. p. 147. sub *P. polystachyo.*

Phalaris setacea Forsk.

(an *Panicum dichotomum Forsk.?*)

V. spp. Aeg. et Ind. or.

Culmus 1 — sesquipedalis, decumbens, basi ramosus, ut totum gramen viridulo- vel stramineo-pallens. *Vaginae* glabrae, sulcatae, inferiores solutae emarcidae. *Ligula* ciliaris. *Folia* 1 — ultra- bi-pollicaria, infima breviora. *Spiculae*, demto involucello, 3-lineales. *Setae* interiores parce et tenui-pilosae. *Gluma* inf. 1-, superior 7-nervis. *Flosc. masc.* valv. inf. 5-nervis. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connati.

Pennisetum setosum Rich. Thyrso (rarius) solitario, (plerumque) e vagina una alterave (interdum e pluribus simul) aliquot fasciculato-pedunculatis, densis (palmaribus — spithamaeis); Involucellis sessilibus, 1-floris: setis inaequalibus, spicula sensim duplo longioribus: interioribus plumosis: intima elongata; Gluma inferiore flosculis duplo — triplo breviori — minima l. nulla, superiore iisdem paulo longiori; Hermaphrodito apice barbulato masculo l. neutro 1 — 2-valvi tertiam partem minori; Foliis (lanceolato-) linearibus, glabris.

α. Gluma inf. flosculis circiter triplo breviori, Flosc. masc. l. neutr. bivalvi, Setarum plurimis spicula duplo longioribus:

Pennisetum setosum. R. et S. II. p. 259. (excll. synn. praeter LaM). Trin. Diss. II. p. 66. Ic. gr. II. tab. 20. — ***P.*** *purpurascens* Hb. et Kth. — ***P.*** *breve N. ab Es!* (setis atropurpureis). — ***P.*** *Richardi* Kth. rev. gr. tab. 39. Agr. syn. p. 161. (an synn. Rich. et Poir. priora, et Neesii?) — ***P.*** *triticoides R. et S.* II. p. 877.

Panicum alopecurus LaM. — *P. triticoides Poir.*

Cenchrus setosus Sw!

V. spp. Mex. Ind. occ. Bras. Cap. vir. Seneg. Jav.

β. Gluma inf. nulla, Flosc. neutr. 2-valvi; Setis ut in α, aut non nisi aliquot spicula longioribus, unde spiculae minores videntur:

Pennisetum violaceum Hort. Trin. Diss. II. p. 67. (an Rich. cum syn. LaM., quibus involucellum spiculas aequare dicitur? Nec, ut videtur, Kth. rev. gr. tab. 40. Agr. syn. p. 161). — ***P.*** *uniflorum Sieb.* Hb. Mart. no. 23.

V. spp. Ind. occ. Mex. Seneg.

(Misit b. Swartz s. n. *Pennis. purpurascentis* et *Pennis. setoso proximi.* — Folia in culta planta saepe lato-lanceolata).

γ Gluma inferior minima, Flosc. neutr. univalvi:

Pennisetum uniflorum Hb.Kth. n. gen. tab. 34.

V. spp. Seneg.

Culmus circ. 2-pedalis, medio l. superne ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris et plerumque pilis longis exsertis stipata. *Folia* facie aspera, saepe compressa, expansa lineas 2 — 4 lata (in culto gramine plana, interdum satis lato-lanceolata), digitalia — spithamaea (in culto longiora). *Thyrsus* gilvescens l. pl. min. purpurascens aut purpureus. *Axis* glaber. *Spiculae*, demto involucello, ultra-sesqui — 2-lineales. *Glumae* tenero-membranaceae: inferior vaga, superior 5 — 7-nervis, apice dentato-acuta. *Flosc. incompl.* valv. inf. apice dentata, 5-nervis. *Lodicula* nulla. *Styli* basi connati.

Obs. Huc fortasse etiam *Panicum polystachyum L.* — *Pen. borbonicum Kth.* rev. gr. t. 41. (*Pan. longisetum Poir.*) differt a *setoso*, cui simillimum, gluma superiore flosculis quadruplo breviori.

Pennisetum pedicellatum. Thyrsis aliquot e vaginis superioribus fasciculato-pedunculatis, densis (ultrapalmaribus); Involucellis sessilibus, unifloris: setis inaequalibus: omnibus plumosissimis: interioribus spicula (pedicellata) plus duplo longioribus: unica (paulo) productiori; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, superiore eosdem superante; Hermaphrodito apice barbulato, masculo bivalvi paulo minori; Foliis linearibus, glabris.

V. spp. e Cap. vir.

Culmus (abscissus) videtur decumbens, 2 — 3 pedalis? (superne) ramosissimus, nodis glabris. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, membranacea, ciliatula. *Folia* compressa l. plana (superiora lineas 2 lata et palmaria). E vaginis superioribus *pedunculi* 2 — 3, superne iterum vaginati, vagina hacce thyrsum basi involucrante. *Thyrsus* sordide gilvescens. *Axis* glaber. *Setae* numerosissimae, inferne dense plumosae. *Pedicellus* spiculae lineam longus, villis tenuissimis crispis vestitus. *Spiculae*, demto involucro, 2-lineales, basi lana tenuissima involucellatae. *Gluma* inferior 1-nervis, superior acuta, 5-nervis. *Flosc. masc.* valvulae parum inaequales: inferior 5-nervis: nervis, ut glumarum, tenuibus. *Lodicula* nulla. *Styli* . . .

b. *Spiculae, intra involucrum pedicellatae, basi nudae, ad pedicelli sui basin involucellatae* (*PENICILLARIA*).

(*Axis crassior, pubescens. Involucra pedicellata spiculas subaequantia. Hermaphroditus coriaceus*).

Pennisetum typhoides Rich. Thyrso cylindraceo, densissimo (1 — 2 — 3-pollicari); Involucri 2 — 3-flori setis interioribus pl. min. plumosis; Gluma utraque obsoleta vel pusilla (aut superiore perparva); Hermaphrodito acuto, masculum l. neutrum bivalvem excedente; Foliis lanceolato-linearibus, (in spontan.) tuberculato-pilosis.

Panicum americanum L. sp. pl. ed. 1.

Holcus spicatus L. sp. pl. ed. 2.

Pennisetum typhoides. Delile Aeg. tab. 8. f. 3.

Penicillaria spicata Willd. R. et S. II. p. 498. — *P. Plukeneti Lk.* ht. Berol. (fol. vaginisque glabris).

V. spp. Aeg. et cc.

Culmus spontaneus 3-pedalis, erecto-ramosus, nodis nunc glabris nunc pilosis, superne infra thyrsum pubescens. *Vaginae* et *Folia* cultura scabritiem et pilos pl. min. exuunt. *Pedicellus* involucri nunc brevior nunc longior, quod etiam de pedicellis spicularum valet. *Spiculae*, demto involucro et pedicello, pl. min. 2-lineales. *Lodicula* nulla. *Styli* inferne connati.

Pennisetum cereale. Thyrso cylindrico, densissimo (9-pollicari); Involucri 2 — 4-flori setis interioribus plumosis; Gluma inferiore minuta, superiore Hermaphroditoque obtuso (margine hyalino-membranaceo, ciliato) neutrum 1-valvem (villosum) subaequantibus; (Foliis lanceolato-linearibus? glabris?)

an *Panicum spicatum Roxb?* Schult. Mant. II. p. 282. (sub Penicillar. spicata).

V. thyrsos e China (ubi colitur).

Orgyale. (*Vaginae* et *folia* non amplius suppetunt.) *Culmus* infra thyrsum tenerrime pubescens. *Thyrsus* seminiferus lutescens, exacte cylindricus. *Involucri* (rarius subuniflori, plerumque 2-flori) pedicellus ipsius fere longitudine, villosus. Pedicelli spicularum intra involucrum ipsis breviores, glabri, clavati. *Spiculae* lineam longae. *Gluma* superior 3-nervis. *Flosculus neut.* enervis, dorso villosus. *Hermaphroditi* valv. inf. medio coriacea, superne 5-nervis. *Caryopsis* oblongo-subrotunda l. obovata, scutello suo tertiam partem longior.

X e r o c h l o a *Br.*

Panicula simplicissima, formata e vaginis spathaceis, alternis, flores includentibus. *Spiculae* hemigamae, sterilibus squamisque aridis circumdatae, intra vaginam communem: altera sessilis, altera pedicellata: utraque biflora: flosculo inferiore masc. l. neutro, superiore femineo.

Gramina tropica Novae Hollandiae, juncea, subcoriacea, erecta, pedalia, Spinifici habitu quodammodo comparanda, tenuiora tantum, culmo simplici l. ex ipsa basi erecto-ramoso.

Folia e vaginis arctiusculis, internodio multoties brevioribus, involuta, juncea, incurva.

Ligula brevissima, ciliaris.

Panicula angusta et simplicissima, formata e vaginis ad axin communem pauci-articulatum alternis, aridis, inflato-concavis, flores includentibus, quorum dispositionem et organisationem fusius descriptam v. in horum áctor. Ser. VI. Tom. II. p. 326.

Xerochloa barbata Br! R. et S. II. 788.

V. sp. Nov. Holl.

Differt a *Xer. inberbi* non nisi squama spiculam inferiorem stipante barbata, quae glabra in illa.

T h o u a r e a *Pet. Thouars.*

Racemus simplex, solitarius, intra vaginam *spathaceam*, aphyllam. *Spiculae* alterno-solitariae binaeve in axi coriaceo, compresso. *Gluma* inf. (in spiculis inferioribus) nulla; superior et flosc. masculus membranacei.

Gramina orbis antiqui orientalis tropica, longe lateque repentia, foliosissima, breviramosa.

Folia lanceolata l. lanceolato-linearia, breviuscula.

Ligula ciliaris.

Racemus simplicissimus, intra vaginam ramorum extimam spathaceam diu absconditus, nil nisi spicularum apicibus exstantibus, circiter semipollicaris, 5-florus. *Axis* coriaceus, e basi dilatata et compressa sensim attenuatus, inferne obsolete articulatus (nec solubilis). *Spiculae* intra axis cavum solitariae vel binae, hemiologamae. *Gluma* inferior in spiculis inferioribus nulla (vel ejus loco squamula minutissima), non nisi in spicula extima sterili saepe manifesta, tumque linearis, flosculis circiter tertiam partem brevior; superior membranacea, flosculos aequans, acuta, 7 — 9-nervis. *Flosculus inferior* masculus, bivalvis: valv. inferiore glumae superiori simillima. *Hermaphroditus* chartaceus, masculum aequans, ovato-lanceolatus, acutus, valvula inferiore 3-nervi superiorem obvolvens.

Lodiculae squamae 2, truncatae, hinc in denticulum productae.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis ovalis, subdepresso-teretiuscula, eberbis, incluso-libera, scutello suo dimidio longior.

Obs. Spatha racemum involvens, in ramis terram versus refractis, medio in se ita replicata est, ut, apice basi adglunitato, saccum formet induratum, caryopsin includentem.

Thouarea sarmentosa Pers. Culmo glabro; Spiculis solitariis.

Variat foliis latioribus (lanceolatis, lineas 4 — 5 latis) et angustioribus (sesquilin. l. lin. 2- et qu. exc. latis), glabris et pl. min. pubescentibus.

Thouarea sarmentosa. R. et S. II. p. 807. Kth. Agr. syn. p. 174. rev. gr. tab. 35. — *Th. media Br!* (non diversa). — *Th. involucrata Eschscholz!* in Mém. de l'Ac. de St. Pét. Tom. X. p. 291.

An *Ischaemum involutum Forst.*

V. spp. N. Holl. Inss. Mulgr. Soc. et Carol.

Culmos vidi 6-pedales, nodis plurimis radicantes, ramis palmaribus, erectis. *Folia* sesqui- 3-pollicaria, indumento maxime variabilia, interdum glabra et glaberrima. Non omnes rami *Racemo* terminantur. *Spiculae* cum axi suo pl. min. pubescentes, interdum laevigatae, bilineales.

Trachys *Pers.*

Racemi simplices 1 — 2. *Axis partialis* complanatus, articulatus. Ad articulum quemvis extus *Spiculae* (plerumque 4) subfasciculatae, subsessiles: *Gluma* flosculique sterilis *Valvula inferioribus* coriaceis.

Gramen Indiae orientalis, pl. min. pedale, decumbens, ramosum.

Folia lineari-lanceolata, breviuscula.

Ligula breviuscula, membranacea.

Racemi plerumque 2, approximato-alterni. *Axis partialis* ex articulis circ. 6 compositus: articulis 3 — 4-linealibus, demum solubilibus, formatis e nervo crasso, utrinque (altero latere paulo latius) herbaceo-alato: ala lineari, plurinervi. Ad basin cujusvis articuli extus Spicularum fasciculus, e stipite communi brevissimo ita partito, ut spiculae inferiores (3) subfastigiatae sint, quarta aut, si plures, extima, paulo altius posita (sterili).

Spiculae inferiores completae: *Glumae* 3-nerves: inferior (olim pro lacinia involucelli sumta) flosculis plus duplo brevior, coriacea, lanceolata, plerumque recurva; superior paulo longior, membranacea, pugioniformis, adpressa, inferne villosula. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior maxima, coriacea, ovalis, cuspidato-acuminata, marginibus inflexis, 13-nervis; superior minutissima, oblonga, obtusa, enervis. *Hermaphroditus* neutro plus dimidio brevior, chartaceus, ovato-lanceolatus, acutissimus: valvula inferiore trinervi superiorem arcte obvolvens. — *Spicula extima* e paleis aliquot coriaceis et sterilibus pl. min. recurvis composita.

Lodiculae squamae 2, tenerae, truncatae, nervosae.

Ovarium ovale, nudum. *Styli* 2, inferne connati, elongati. *Stigmata* plumosula.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis elliptica, depressiuscula, eberbis, intra valvulas clausas libera, scutello suo duplo longior.

Trachys muricata Pers. (lapsu calami *mucronata* dicta). Kth. Agr. syn. p. 168.

Panicum squarrosum Retz!

Cenchrus muricatus L. Mant. Schreb. gr. tab. 34. R. et S. II. p. 255.

V. spp. Ind. or.

Vaginae nunc glabrae, nunc dense pubescentes. *Folia* nunc tenui-, nunc tomentoso-pubescentia. *Racemi* circiter sesquipollicares.

STENOTAPHRUM *Trin.* Fund. Agr. p. 175.

Spica torosa, aut continua aut demum articulatim solubilis, altero vel utroque latere *Spiculas* vel *Racemulos* in scrobiculis alternis fovens.

Gramina utriusque orbis pascuorum tropica, vel regiones tropicas meridiem versus paulo excedentia, ramosissima, longe lateque repentia.

Folia linearia l. lanceolata.

Ligula ciliaris.

Spicae in ramis terminales, interdum et axillares, solitariae. *Rhachis* torosa, depressa l. cylindracea, nunc articulata demumque solubilis, nunc continua: illa altero latere anantha, altero florifera; haec utroque latere alternatim flores ferens.

Spiculae hemiologamae, scrobiculis s. excavationibus rhacheos pl. min. profundis immersae, nunc solitariae, nunc in racemulis 2 — 5-floris. *Gluma inferior* (antica) minima, membranacea, enervis; *superior* (postica), non in omnibus evoluta tumque ipsa rhachi compensata, membranaceo-chartacea, flosculos

subaequans, 7-nervis. *Flosculi* 2, mutici, elliptico-ovati, subparalleli: inferior (anterior) neuter l. masculus, 1 — 2-valvis: valvulis chartaceis l. superiori teneriori, inferiori 3-nervi; superior (posterior) aequilongus, hermaphroditus: valvula inferiore subcoriaceo-chartacea, trinervi, superiorem aequilongam marginibus amplectente.

Lodiculae squamae 2, cuneato-quadratae, truncatae, nervatae.

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus . . . .

Stenotaphrum glabrum Trin. Diss. II. p. 60. Spica articulata, depressa, hinc florifera; Foliis linearibus, pl. min. obtusis.

* Scrobiculis 1 — 2-floris:

Rottbölla dimidiata Sw. R. et S. II. p. 426. — *R. tripsacoides LaM.* — *R. stolonifera Poir.* (Spicis brevioribus, depressissimis).

Stenotaphrum sarmentosum N. ab Es. Agr. bras. p. 93. — *St. americanum Schrank* Ht. Mon. tab. 98. — *St. Koenigii id.* Flora 1824. Beyl. 1. p. 28. (Spicula altera tertiave longius pedicellatis, vaginis longioribus).

V. spp. Ind. occ. Guian. Bras. Inss. Sandw. Ind. or. Cbsp.

** Scrobiculis 3 — 5-floris:

Panicum dimidiatum L. R. et S. II. p. 426.

Rottbölla dimidiata L. sppl. — *R. complanata Sw.*

Stenotaphrum complanatum Schrank Flor. l. l. — *St. dimidiatum Brongn.* in Dup. it. Bot. p. 127.

V. spp. Mascar. Cbsp.

Stenotaphrum subulatum. Spica continua, cylindraceo-subulata, utrinque florifera; Foliis lanceolatis, acuminatis.

V. spp. Guahan (Inss. Marian).

Culmus prostratus, ramosus, multo quam in praecedente tenuior, late repens. *Nodi* plurimi, glabri, pl. min. geniculati. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* plurima, lanceolata, acuminata, lineas 3 — 5 lata, pl. min. digitalia. E vagina ramorum suprema prodit *Spica* stricta, circiter 3 — 4-pollicaris, angusto-cylindrica (vix lineam crassa), subulata, non articulata, viridis. *Racemuli* hinc et illinc alterni, excavationibus rhacheos impressi: inferiores 5-, superiores 3 — 2 — 1-flori. Axis partialis brevissimus, angulatus, ad angulos brevipilosus. *Spiculae* lineam et qu. exc. longae, ellipticae, acutae, antice complanatae. *Gluma inferior* minima, rotundato-truncata; *superior* nulla. *Flosculus inferior* neuter, 1 — vel 2-valvis: Valvula inferior forma spiculae, herbaceo-chartacea, 3-nervis; superior, si adest, pusilla, hyalino-membranacea. *Flosculus superior* (posterior) forma et magnitudine anterioris, subcoriaceo-chartaceus.

PANICUM *L.*

Inflorescentia racemata, thyrsata, jubata, paniculata. *Spiculae* biflorae, hemiologamae (interdum setis, e pedicello ortis, cinctae). *Glumae* (nonnumquam setigerae) proportione varia (inferior saepe minima, interdum obsoleta). *Flosculus superior* seminiferus, muticus (l. brevissime caudatus aut aciculatus), coriaceus l. rarius chartaceus, *inferiore*, neutro l. masculo (interdum setigero). longe plerumque firmior. *Styli* 2.

Genus vastissimum, polymorphum, cujus conspectum geographicum species infra recensitae 255 ita praebent:

Species tropicae 217 { Occidentis s. Americae 144.
Orientis (computatis inss. maris pacif.) 73, (e Capite b. sp. species non nisi 4.)

Species extratropicae 38 { Americae borealis 24.
Eur. et As. australioris 5.
— — — borealis 9 (e quibus 3 [Echinochloa 1, Setaria 2] usque ad lat. bor. grad. circ. 60.)*)

Gramina solum omnis generis habitantia, a pollicum aliquot ad pedum triginta altitudinem assurgentia, erecta l. prostrata.

Folia linearia (saepe involuta), lanceolata, ovata, cordata.

Ligula ciliaris l. membranacea, plerumque brevissima, sed et pl. min. producta; interdum nulla.

Inflorescentia maxime varia (neque vero Spica, nec Caduceus): *Racemus* nunc solitarius, nunc plures, digitati vel alterni vel jubati — *Thyrsus* simplex, vel pl. min. compositus — *Juba* — rarius *Panicula* vera.

Spiculae hemiologamae, (in *Isachnes* speciebus nonnullis hemigamae) biflorae (ubi gluma inferior obsoleta, nonnumquam pseudouniflorae), minimae — 4-lineales, oblongae, (rarissime orbiculatae), ovales, ovatae, obovatae, lanceolatae; thyrsatae plerumque setis e pedicellis sparsim enatis-, racematae saepe pilis cinctae. *Gluma inferior* superiore longe plerumque minor, interdum pusilla l. obsoleta, rarius superiorem aequans, rarissime subexcedens, nervis, quam superior, paucioribus (rarissime pluribus) 1, 3, 5, (7 — 9 — 15) notata; *superior* raro flosculos superans raroque illis brevior, 3 — 5 — 7 — 9 — 11 — 15-nervis, herbaceo-membranacea, mutica l. rarius (cum inferiore) setifera. — *Flosculus inferior* sessilis, 1 — 2-valvis, masculus vel neuter (rarissime subhermaphroditus vel, in *Isachnes* speciebus nonnullis, seminiferus): valvula inferior glumae su-

---

*) Subdivisionum distributio geographica: *Cabrera*, tropica occidentalia omnia. *Digitaria*, tropica utriusque orbis 15, extratrop. 5. *Urochloa*, trop. orient. *Orthopogon*, trop. utr. 8, extratrop. 1. *Echinochloa*, trop. utr. 9, extratrop. 3. *Setaria*, trop. utr. 18, extratrop. 6. *Harpostachys*, trop. occ. omnia. *Brachiaria*, trop. utr. 31, extratrop. 4. *Virgaria*, trop. utr. 60, extratrop. 10. (Eur austr. 2.). *Miliaria*, trop. utr. 55, extratrop. 13. (Eur. austr. 1.). *Ichnanthus*, trop. occid. omnia. *Isachne*, trop. utr.

periori fere semper simillima ejusdemque substantiae herbaceo-membranaceae, 3 ad 15-nervis, mutica vel, rarius, setigera. Valvula superior, si adest, tenerior, binervis, plerumque inferiore brevior. — *Flosculus superior*, interdum brevissime pedicellatus, bivalvis, coriaceus demumque cartilagineus, vel rarius chartaceus tantum, plerumque clausus, flosculo incompleto haud raro brevior: valvula inferior convexa superiorem planiorem marginibus obvolvens, mutica, l. (rarissime) brevicaudata, aut apice, tum obtuso, brevissime aciculata.

Lodiculae squamae 2, subcuneato-quadratae, emarginatae (altero latere in paucissimis productiori).

Ovarium oblongum, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3, rarius 2. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis oblonga, libera intra valvulas induratas, eberbis, exsulca, scutello suo dimidio l. $\frac{2}{3}$ longior.

S u b d i v i s i o n e s.

A. *Flosculus inferior substantia glumae superioris; hermaphrodito, basi interiori nec scrobiculato nec appendiculato, planior.*

1. Cabrera. *Racemi* simplicissimi, digitati. *Axes* pilis aureis ciliati. *Spiculae* subsessiles, regulariter biseriales, ellipticae, minimae l. parvae. *Gluma inferior* pusilla, vaga aut nulla. *Hermaphr.* muticus. *Flosc. neut.* 1-valvis.

   Ob glumulam inferiorem frequentius manifestam quam nullam et ob inflorescentiam Panico (Digitariae) propiorem quam Paspalo, illi nec huic associanda sectio.

2. Digitaria. *Racemi* simplices (raro solitarius), subdigitato l. jubato-approximati, subfastigiati. *Spiculae* subsessiles vel pedicellatae, plerumque irregulariter (rarissime seriatim) dispositae, pl. min. lanceolatae. *Gluma inferior* pusilla, rarius nulla. *Hermaphr.* muticus. *Flosc. neut.* 1-valvis.

3. Urochloa. *Racemi* umbellato-digitati. *Spiculae* irregulariter dispositae, inaequali-pedicellatae, ovatae. *Gluma inferior* flosculis dimidio brevior.

Hermaphr. subulato-caudatus. (Squamae lodiculares hinc in dentem l. lobum acutum productae).

4. Orthopogon. *Racemi* alterni. *Spiculae* subirregulariter dispositae. *Glumae* flosculis breviores: altera vel utraque, nec non subinde flosculo incompleto ex apice setiferis.

5. Echinochloa. *Racemi* alterni l. subjubati, simplices l. compositi. *Spiculae* brevissime pedicellatae, imbricatae, 2 — 6-seriales, totae strigiloso-hirtae. *Flosculus incompletus* acuminatus vel pl. min. longe caudato-subuliferus.

6. Setaria. *Thyrsus* simplex aut compositus, l. *Racemi* (subthyrsiformi-) jubati: *a*) *Axis partialis* in setam productus lateraliter exserentem pedicellum spiculae, nunc solitariae, nunc, si harum plures, terminalis (Paractaenum *PB.*). *b*) *Spicula quaevis* setis, e pedicello pronatis, hispidis stipata.

7. Harpostachys. *Racemus* simplicissimus, solitarius, (rarissime 2, subconjugati). *Spiculae* subsessiles, imbricatae, regulariter 1 — 2 — 4-seriales, nonnumquam subdistichae.

8. Brachiaria. *Racemi* simplicissimi, alterni: axi partiali anguloso, plerumque triquetro). *Spiculae* (glabrae, pilosae vel lanatae nec totae strigilosae) sessiles l. brevissime pedicellatae, pl. min. imbricatae, 2 — 3 — 4-seriales, muticae.

9. Virgaria. *Radii* alterni, jubati vel paniculati, manifeste angulosi (plerumque 3-quetri), nunc racemiformes (racemis compositis, pedicellis brevissimis), nunc virgati aut vario modo compositi et decompositi, pedicellis brevioribus longioribusve.

Radioli, in radiis racemiformibus interdum brevissimi et biflori, hos tum simplices mentiuntur; sed in his spicula inferior non ex eadem, cum superiori, basi (ut in Brachiaria), sed manifeste ex axi partiali (brevissimo) ipso, supra ejusdem basin, prodit. Itaque, ubi in definitionibus de pedicellorum longitudine agitur, horum semper in racemulis infimi, nec terminales (quippe qui nil nisi axis ipsius extremitas) intelligendi sunt. — Radii in Virgariis semper distincte angulosi (triangulares), praesertim, in re dubia, jubae vel paniculae *superiores*. Ubi vero nihilominus de specie quaerenda dubia manent, inspiciendae erunt *Miliariae, radiis subangulosis* (nunquam triangularibus, sed non perfecte teretibus tantum).

10. Miliaria. *Radii* alterni, jubati, paniculati, teretes vel subangulosi (angulis irregularibus l. obtusis), compositi, decompositi. (De charactere Miliariae, i. e. de radiis *teretibus* dubio, radii jubae vel paniculae *superiores* prae reliquis consultandi sunt).

B. *Flosculus inferior ut in A. Hermaphroditus basi faciei utrinque canaliculato-scrobiculatus vel (plerumque) auriculato-appendiculatus* (de quibus appendicibus et scrobiculis vid. infra Obs. sub *Pan. Ichnantho*):

11. Ichnantus.

(Panicula l. juba. Spiculae longe plerumque magnae. Gluma inferior fere semper magna s. dimidia spicula longior. Folia lanceolata l. ovata).

C. *Flosculus inferior ejusdem cum hermaphrodito formae ac substantiae, saltem glumis firmior:*

12. Isachne.

(Panicula l. juba. Spiculae orbiculato-obovatae, obtusae, linea numquam longiores, plerumque minores. Flosculus superior saepe femineus tantum, brevipedicellatus, interdum (rarius una cum inferiore) pubescens. Paleae omnes subaequilongae).

I. Cabrera.

Panicum holochrysum. Sesquipalmare, erectum. Racemis 2, subconjugatis l. 3 — 5 approximatissimis (subpollicaribus); Axi spicula subangustiori; Spiculis parvis, (laxis), oblongo-obovatis, acutiusculis, hirsutis; Gluma inferiori obsoleta l. nulla; Foliis lineari-lanceolatis vaginisque hirsutissimis.

Paspalum radiatum ***Trin.*** in Cat. dupl. mus. Acad. Petrop.

V. spp. Bras.

Culmus filiformis, strictus, glaber, inferne erecto- et florifero-ramosus. *Vaginae* compressiusculae, ampliatae. *Ligula* ciliaris. *Folia* e basi latiori sensim

attenuata, lineam et qu. exc. lata, vix pollicaria. *Axis communis*, si racemi duobus plures, 3-linealis. *Racemi* tenues, patentissimo-divaricati. *Gluma* superior et flosc. neuter 5-nerves (nervo medio in hoc obsoleto), ad nervos hirsuti. *Hermaphroditus* laevis.

Panicum chrysostachyum. Pedale, erectum? Racemis 7 — 10, subdigitato-approximatissimis (sesquipollicaribus); Axi spicula subangustiori; Spiculis pusillis, obovatis, obtusis, glabris; Gluma inferiori pusilla; Foliis carinato-compressis, hirsutis.

Paspalum chrysostachyum Schrad. N. ab. Es. Agr. bras. p. 81. Trin. Diss. II. p. 88. Ic. gram. IX. tab. 101. Kunth Agr. syn. p. 64.

V. spp. Bras.

Culmus basi florifero-ramosus, inferne foliosissimus. *Vaginae* confertissimae, carinato-compressae, glabrae, faucem versus tomentoso-pilosulae. *Ligula* margo membranaceus angustissimus. *Folia* confertissima, subcoriacea, angusta, incurva, pungentia, bipollicaria. *Axis communis* circiter semipollicaris. *Racemi* erecti. *Spiculae* linea dimidia breviores. *Gluma* inferior minuta, truncata, superior 5-nervis. *Flosc. neuter* 3 — 2-nervis. *Hermaphroditus* albens, tenuissime punctulato-striatus.

Panicum aureum. Sesqui — tri-pedale, obliquum? Racemis 2 — 8, subdigitato-approximatissimis (2 — 4-pollicaribus); Axi spicula sublatiori; Spiculis minimis, obovatis, obtusiusculis, glabris (hirtulisve?); Gluma inferiori pusilla (vaga); Foliis compresso-linearibus, glabris (basi ciliatis).

Paspalum pulchrum Willd. herb. N. ab Es. Agr. bras. p. 79. Kunth Agr. syn. p. 64. — *P. aureum Trin.* Diss. II. p. 88. Ic. gram. IX. tab. 97.

Digitaria aurea Sprgl. (excll. synn. Humb. et Lag.).

Var. culmo adpresso-ramoso, nodis glabris:

Paspalum ramosissimum N. ab Es. l. l. p. 80. Kunth. rev. gr. p. 499. t. 164. Agr. syn. p. 64.

V. spp. Bras.

Culmus (inferne) plurifolius et saepe ramosus. *Vaginae* carinato-compressae, glabrae, superne ciliatae. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* acuminato-attenuata, firma, subpungentia, sesquilineam lata, inferiora palmaria — ultraspithamaea. *Axis communis* circiter semipollicaris; partialis spicula paulo latior vel eidem subaequilatus, pro spiculis recipiendis leviter scrobiculato-excavatus. *Spiculae* lineam dimidiam longae l. paulo breviores. *Gluma* inferior, si adest, minuta, truncata; superior 5-, flosculus neuter 3-nervis. *Hermaphroditus* fuscus, punctato-striatus.

Panicum immersum. 1 — 2-pedale et ultra, erectum. Racemis 2 — 5 — 12, subdigitato-approximatissimis (1 — 2-pollicaribus et ultra); Axi spiculis latiori; Spiculis pusillis, ovato-ellipticis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiori nulla; Foliis lineari-lanceolatis, planis, glabris (ciliatulis).

Paspalum immersum N. ab Es! Agr. bras. p. 82. — *Pasp. excavatum Trin.* Diss. II. p. 88. — *Pasp. aureum HbKth.?*

V. sp. Bras.

Culmus simplex vel e basi erecto-ramosissimus. *Vaginae* carinato-compressae, glabrae. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* subacuminata, flaccida, lineas 4 — 6 lata, spithamaea et longiora. *Axis communis* in oligostachyo gramine subnullus, in polystachyo sub-ultra-semipollicaris; *partialis* spiculis ambabus latior, pro ipsis recipiendis profundius scrobiculatus. *Spiculae* linea dimidia breviores. *Gluma* et *Flosc. neuter.* dissitissime binerves. *Hermaphroditus* spadicescens, laevis.

Panicum chrysodactylon. Sesqui — 3-pedale, erectum l. adscendens. Racemis 2 — 6, subdigitato-approximatissimis (3 — 4-pollicaribus); Axi spicula angustiori vel ejusdem latitudine; Spiculis parvis, obovato-ellipticis, seriatim hirtis; Gluma inferiori pusilla, vaga; Foliis linearibus l. sublanceolato-linearibus, planis involutisve, hirsutis glabrisve.

Paspalum canescens N. ab Es! Agr. bras. p. 79. Trin. Diss. II. p. 89. Ic. gram. IX. tab. 98.

V. spp. Bras.

Culmus simplex. *Vaginae* graminis angustifolii teretiusculae, hirsutae, latifolii carinato-compressae, glabrae. *Ligula* margo membranaceus, brevissime ciliatus. *Folia* acuminata, rigidiuscula: in aliis involuta et glabra, in aliis (genuino Neesii gramine) plana, lineam l. cum dimidia lata, glabra. *Axis communis* vix semipollicaris. *Spiculae* linea breviores, interdum mucronulatae. *Gluma superior* et *Flosc. neuter* 5-nerves, ad nervos pl. min. hirti. *Hermaphroditus* fuscescens.

II. Digitaria.

Panicum platycarphum. Erectum, culmo ramosissimo. Racemis 2 — 3 digitatis, arcte (biseriatim) floriferis; Spiculis (ad axin ipsis latiorem) solitariis, altralinealibus, lanceolato-ellipticis, acutis, pubescendo-villosulis; Gluma inferiore nulla, superiore minima. Foliis lanceolato-linearibus vaginisque glabris glabriusculisve.

V. spp. Inss. Bonin.

Caespitosum, circiter dodrantale. *Rami* confertissimi et inferne foliosissimi. *Vaginae* teretiusculae, carinatae. *Ligula* brevis, membranacea, lacera, utrinque brevi-auriculata. *Folia* firma, pungendo-acuminata, sesquilineam lata, pl. min. sesquipollicaria, plurima, confertissima, glabra vel pilis tenuibus rarisque adspersa. *Pedunculi* e foliorum sarcinis exsurgunt nudi, terminati *Racemis* 2 — 3 digitatis, contractis, fere bipollicaribus. *Axis partialis* subfoliaceus, linea angustior, spiculis latior, glaber, fronte utrinque ad septum medium scrobiculatus pro recipiendis *Spiculis* alternis, adpressis. *Gluma* superior posterior, minuta, quasi in fimbrias soluta. *Flosculus neuter* 1-valvis, 7-nervis, marginibus pubescendo-villosulus. *Hermaphroditus* neutrum aequans, chartaceus, laevis. — Racemi *Paspalum* mentiuntur.

† *Panicum Gaudichaudii Kth.* Erectum, culmo simplici. Racemis 7 — 16, fasciculato-jubatis, arcte (biseriatim) floriferis; spiculis solitariis, subultralinealibus,

lineari-ellipticis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiori nulla, superiori pusilla; Foliis linearibus vaginisque glabris.

Panicum Gaudichaudii Kth. rev. gr. tab. 106. Agr. syn. p. 86.

Digitaria stricta Gaudich. in Freyc. it. p. 409.

Inss. Marian.

Culmus bipedalis et altior, nodis glabris. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* membranacea, breviuscula. *Folia* glaberrima. *Spiculae* subsessiles. *Glumula* ovato-lanceolata, acuta. *Valvula neutra* sub- 7-nervis. *Hermaphroditus* obtusiusculus.

Panicum denudatum Kth. Decumbens? Racemis 4 — 12 fasciculato-jubatis, arcte floriferis; Spiculis geminis, minimis, ovalibus, glabris; Gluma inferiore nulla, superiore pusilla; Foliis sublinearibus (longis) pilis rarissimis adspersis.

Panicum denudatum Kth. Agr. syn. p. 80.

Digitaria denudata Lk.

V. cc. ex hto Berol.

Culmus 1 — 2-pedalis. *Vaginae* compressae, ad fissuram superne villosulae. *Folia* lineas 1 — 3 lata, spithamaea — dodrantalia, flaccida, inferne pilis raris adspersa. *Racemi* tenues. *Gluma superior* interdum obsoleta. *Flosc. neuter* 7-nervis. *Perianthium* demum atropurpurascens. — A sequente vix nisi spiculis paulo minoribus, flosculo neutro 7-nervi, et culmo foliisque minus firmis diversum.

Panicum fasciculare Ht. Goett. Decumbendo-obliquum. Racemis pluribus digitatis et fastigiatis, vel plurimis jubato-fasciculatis, arcte floriferis; Spiculis geminis, parvis, lanceolato-oblongis, glabris; Gluma inferiori nulla, superiori pusilla; Foliis sublanceolato-linearibus, scabriusculis, vaginis hirsutis.

Panicum bifasciculatum Trin. Diss. II. p. 76. — *P. Schraderi Kunth* rev. gr. p. 32. Agr. syn. p. 80.

Digitaria villosa ht. Vienn. — *D. fascicularis Lk.* ht. Berol.

V. cc.

Culmus pl. min. bipedalis. *Vaginae* compressae, carinatae. *Folia* glabra vel pubescentia pilisve adspersa, superiora racemos subaequantia. *Racemi* inferiores 3-pollicares et ultra. *Spiculae* pl. min. interrupte et irregulariter imbricatae. *Flosc. neut.* 5-nervis. *Hermaphroditus* mucronulatus flosculum neutrum subexcedens.

Panicum pruriens. Prostratum. Racemis 3 — 7 digitatis l. jubato-fasciculatis, laxe floriferis; Spiculis geminis, subultra-linealibus, lineari-lanceolatis, ad latera nervosque plerumque pubescentibus; Gluma inferiore pusilla l. obsoleta, superiore minima; Foliis lanceolato-linearibus, asperrimis.

Panicum pruriens Trin. Diss. II. p. 77. Ic. gram. VIII. tab. 92. (var. foliis hirsutis). Kth. Agr. syn. p. 83.

V. spp. Iuss. soc. Sandw. Carol. et Marchion.

Culmus 2 — 3-pedalis, ramosus. *Vaginae* carinatae, nunc hirsutae, nunc villosae, nunc glabrae, plerumque a culmo solutae. *Folia* nunc hirsuta, nunc pubescentia, nunc glabra, semper asperrima (nec nisi in gramine ex ins. Ulea Carolin. vix scabriuscula vidimus). *Racemi* satis tenues, 3 — 4-pollicares. *Gluma* inferior, si adest, pusilla, truncata: superior flosculis saltem sexies brevior, glabra l. ad nervos (3) pubescens. *Hermaphroditus* mucronulato-acutus.

Panicum corymbosum Roxb! Prostratum (natans). Racemis pluribus (15) jubato-fasciculatis, arcte floriferis; Spiculis geminis, sublinealibus, lineari-oblongis, acutis, ad latera pl. min. villosulo-pubescentibus; Gluma inferiore nulla, superiore minima; Foliis linearibus, hirtis.

Axonopus? corymbosus Schult. Mant. II. p. 177.

V. sp. Ind. or.

Racemi 4 — 8-pollicares. *Gluma* superior flosculis circiter quinquies brevior, glabra l. villosula. *Hermaphroditus* mucronulato-acutus.

Panicum sanguinale L. sp. pl. ed. 1. Decumbens l. adscendens. Racemis 2 — 15, digitatis l. jubato-fasciculatis, pl. min. laxe floriferis; Spiculis geminis ternisve, linealibus, elliptico-lanceolatis, acutis, glabriusculis vel margine

pubescentibus villosisve; Gluma inferiore pusilla l. (rarius) subobsoleta, superiore flosculis duplo-, duas tertias tertiamve partem breviori; Foliis sublanceolato-linearibus cum vaginis hirsutis glabriusculisve.

1. Gluma superiori flosculis $\frac{2}{3}$ l. $\frac{1}{2}$ breviori.

a) Racemis crassioribus:

longioribus, spiculis glabris l. pubescentibus:

Panicum aegyptiacum Retz. (spiculis glabris).

Digitaria aegyptiaca Willd. R. et S. II. p. 471. — *D. umbrosa Lk.* (ex spicimine hti Berol.). — *D. sienitica ht. Petrop.* e sem. Berol. (racemis paulo gracilioribus). — *D. sanguinalis Scop.* R. et S. II. p. 469. (spiculis pubescentibus). — *D. eriogona Schrad.*

Phalaris velutina Forsk.

Dactylon sanguinale Vill.

Syntherisma vulgare Schrad.

Paspalum sanguinale Poir.

V. spp. Gall. Germ. Ross. austr. Taur. Cauc. Aeg. Teneriff. Cbsp. Inss. Sandw.

Idem, pumilum, racemis brevibus:

Digitaria australis Willd. herb.

Panicum ornithopus Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 83.

V. spp. Inss. adsc. et soc.

Spiculis ciliatis:

Panicum ciliare Retz. Kth. Agr. syn. p. 82. (an Syn. Schult. Neesii et Steud?)

Digitaria ciliaris Koel. R. et S. II. p. 472.

Syntherisma ciliare Schrad.

Paspalum ciliare DeC.

V. spp. Astr. Jap. Cbsp.

b) Racemis tenuioribus:

erectis, axi nudo, spiculis glabriusculis l. pl. min. pubescentibus:

Paspalum inaequale Link! En. Schult. Mant. II. p. 174.

Digitaria inaequalis Link ht. Berol.

V. spp. Ind. occ. Bras. Inss. Sandw. Soc. Mulgr. Philipp.

Obs. In gramine orientali saepe racemi tantum 2 — 3, digitati, pertenues).

Rac. divergendo-jubatis, axi pilis adsperso, spiculis glabriusculis, pubescentibus l. ciliatulis:

Panicum horizontale Meyer. Kth. Agr. syn. p. 81.

Digitaria horizontalis Willd. R. et S. II. p. 474. — *D. setigera Roth.* R. et S. ibid.

Panicum trichostachyum Ht. Gor.

V. spp. Ind. occ. Bras. Cap. vir. Mascar.

2. Gluma superiore flosculis ½ paulove breviori.

a) Racemis crassioribus:

Panicum glaucescens N. ab Es. Agr. bras. p. 100. — *P. Neesii Kunth.* Agr. syn. p. 84.

Digitaria marginata Link! Schult. Mant. II. p. 262. (Racemi cum foliis breviores tantum in gramine Neesii. — Trin. ic. gr. VIII. tab. 93).

Panicum Linkianum Kunth rev. gr. p. 33.

Nec diversa *Digitaria biformis Willd.* (qu. v. ex. Ind. or. in hb. Mertensii patr.)

V. spp. Ind. occ. Bras. Mascar.

b) Racemis tenuioribus:

brevibus, digitatis; foliis brevibus et perangustis:

Panicum subtile N. ab Es. in Sieb. Agrostoth. no. 72.

V. spp. Mascar.

longioribus:

Panicum fimbriatum Presl! Rel. Haenk. I. p. 298. Kunth. Agr. syn. p. 81.

V. spp. Nov. Hisp. Inss. soc. Ind. or.

praelongis, spiculis remotis:

Paspalum distans N. ab Es! Agr. bras. p. 21. (Trin. Ic. gram. VIII. tab. 94).

V. spp. Bras.

Obs. Plantae cultae culmus haud raro erectus; *Panici aegyptiaci* spontanei semper pl. min. procumbendo-radicans. Foliorum vaginarumque pilositas inconstantissima. Spiculae interdum solitariae — quaternae; pubescentia earum per gradus vagos transit in villositatem ciliarem. Glumula inferior numquam penitus desideratur: interdum in uno eodemque racemo nunc manifesta, nunc subobsoleta. Longitudinis glumae superioris limites non ita circumscripti, ne vel in unius ejusdemque speciminis spiculis aliis flosculi dimidium, in aliis ejusdem duas tertias et qu. exc. partes attingat.

Panicum serotinum. Decumbens. Racemis 3 — 5, subdigitato-fasciculatis, sublaxifloris; Spiculis geminis, parvis, obovato-ellipticis, acutis, ad nervos pubescentibus; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculis dimidio breviori; Foliis lanceolato-linearibus vaginisque hirsutis (glabrisve?).

Syntherisma serotinum Walt.

Digitaria serotina Mchx.

Paspalum serotinum Flügg. R. et S. II. p. 305 et 878.

V. spp. Carolin.

Specimina a cel. Bosc comm. 2: alterum foliis omnibus brevibus (sesqui — bi-pollicaribus), lanceolato-linearibus, cum vaginis insigniter hirsutis; alterum foliis (superioribus, culmus enim abscissus) angusto-linearibus, longioribus, cum vaginis glabris. — Racemi tenues. Spiculis albido-pallidis, pubescentibus (non villosulis) et parvis (non linealibus) a *Panico sanguinali* distinguitur.

Panicum glabrum Gaud. Subadscendendo-decumbens. Racemis 2 — 6, subdigitatis, laxiuscule floriferis; Spiculis geminis, linealibus, elliptico-oblongis, acutiusculis, pubescentibus; Gluma inferiore pusilla l. obsoleta, superiore flosculos subaequante; Foliis lanceolato-linearibus vaginisque glabris.

Panicum glabrum. Trin. ic. gram. XIII. tab. 149. Kunth Agr. syn. p. 83. — *P. sanguinale Poll.* — *P. Ischaemum Schreb.* Erl. — *P. arenarium MB!* — *P. lineare Krock.* — *P. humifusum Kth.* rev. gr. p. 33.

Digitaria filiformis Koel. — *D. humifusa Pers.* — *D. glabra PB.* R. et S. II. p. 471.

Syntherisma glabrum Schrad.

Paspalum dactylon LaM. — *P. ambiguum DeC.*

V. spp. Helv. Gall. Ross. aust. Cauc. Pers. Am. bor.

Raro pede longius. *Folia* vix unquam ultrabipollicaria, strictiuscula, semper nuda. *Racemi* pollices 2 raro excedunt. *Gluma* inferior rotundata (triquetra in *P. sanguinali*).

Panicum striatum Br. Decumbens. Racemis 10 — 18, subfasciculato-jubatis (filiformibus), laxiuscule floriferis; Spiculis geminis, parvis, oblongis (obovato-oblongis), acutis, margine puberulis; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculos aequante; Foliis lanceolato-linearibus vaginisque glabris.

Panicum striatum. R. et S. II. p. 462. — *P. australe Sprgl.* S. V. Kunth Agr. syn. p. 85.

Paspalum patulum Horn. R. et S. II. p. 313.

V. spp. n. Holl. et cc.

Sesqui — bi-pedale. *Racemi* pertenues, 4 — 5-pollicares, in planta spontanea conniventes, in culta patentes. *Hermaphroditus* mucronatus.

Obs. Alia species e Nov. Holl., *Panicum ramulare Trin.* Diss. II. p. 244: Racemis (10), laxe jubatis, inferioribus compositis, laxe floriferis; Spiculis geminis, perparvis, oblongis, acutis, glabris; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculis $\frac{1}{3}$ breviori; Hermaphrodito mucronato-acuto neutrum excedente, — est quoque *Digitariae* species, cujus vero folia non vidi, et quam inter Panica Brownii desidero.

Panicum filiforme L. sp. pl. ed. 1. Erectum l. adscendens. Racemis 2 — 8, approximato-alternis l. subfasciculato-jubatis, laxiuscule floriferis; Spiculis geminis, parvis, oblongis, acutis, glabriusculis pilosulisve; Gluma inferiore nulla, superiore flosculis paulo breviori; Foliis linearibus, inferne vaginisque hirsutis.

Panicum filiforme. Trin. ic. gr. XIII. tab. 148. (Varietas minor, adscendens).

Milium paniceum Sw.

Agrostis lenta Ht. Kew.

Digitaria pilosa Mchx. — *D. filiformis PB.*

Paspalus filiformis Flüg. R. et S. II. p. 304. (excl. synn. Walt. et Pers.).

V. spp. Am. bor. Bras.

Culmus simplex, rarius inferne erecto-ramosulus. *Vaginae* inferiores hirsutae. *Folia* erecta, basin versus pilis, quam vaginarum longioribus, obsita. *Racemi* pertenues, parum patuli, in planta humiliori (1 — sesquipedali) 2 — 3, pollices 1 — 3 longi; in altiori (2 — 3-pedali) 4 — 8, pollicum 3 — 5. *Axis communis* semi — 2-pollicaris, pertenuis.

Panicum debile Desf. Decumbens. Racemis 4 — 5, jubato-fasciculatis, laxifloris; Spiculis geminis, linealibus, elliptico-lanceolatis, acuminatis, subobsolete pubescentibus; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculo neutro subcaudato-acuminato parum breviore, hermaphroditum aequante; Foliis angusto-linearibus, glabris.

Paspalum debile Poir. Enc. R. et S. II. p. 303.

Panicum filiforme Poir. it.

Digitaria debilis Willd.

V. spp. Numid. Neap.

Racemi tenues, speciminis Neapolitani pollicares, Numidiani pollices circiter 4 longi. — Insigne flosculo neutro caudulato-acuminato.

Panicum parvulum. Decumbens, ramis spithamaeis. Racemis 2, conjugato-digitatis, arctiuscule floriferis; Spiculis solitariis (— binis ternisve?*) subminimis, lanceolato-ellipticis, acutiusculis, pubescendo-villosulis; Gluma inferiore nulla, superiore flosculos aequante; Foliis lanceolato-linearibus (distichо-patentibus, brevissimis), glabris l. pilis adspersis.

Paspalum brevifolium Flüg! Monogr. p. 150. — *P. longiflorum Retz.* R. et S. II. p. 306. Presl. rel. Haenk. 1. p. 208.

Panicum longiflorum Gmel.

Digitaria longiflora Pers.

V. sp. Ind. or.

---

*) ex Flügge, contra Retzium, Preslii nostrasque observationes.

Culmus prostratus, pertenuis, nodis numerosis, internodiis brevissimis. *Folia* ramorum floriferorum per distantias 2 — 4-lineales disticha, patentia, subamplexicaulia, latiora lineam lata, attenuato-acuminata, longiora semipollicaria. *Racemi* brevipedunculati, tenuissimi, pl. min. pollicares, albidi, Paspaliformes. *Spiculae* linea dimidia parum longiores, brevipedicellatae, in nostro specimine solitariae. — Retzius, cui Paspalorum, quae novit, paucorum spiculae semper oblongae l. orbiculatae visae fuerant, hanc speciem, ob spiculas lanceolato-ellipticas, longifloram dixit.

Panicum connivens. Decumbens. Racemis 2 — 3, digitatis, laxiuscule floriferis: Spiculis geminis, ultralinealibus, lanceolato-ellipticis, acutis, glaberrimis; Gluma inferiore nulla, superiore flosculos aequante; Foliis lanceolato-linearibus, glabris (brevibus).

V. spp. Bras.

Totum glabrum. *Culmus* repens, ramosus, undique decumbens. *Nodi* numerosi, radicantes. *Vaginae* laxae, hirsutae. *Folia* pollice breviora, patentia, lineam lata, firmula. *Racemi* pallide et laete virides, contracti, sesquipollice paulo longiores. Spicularum binarum inferior brevi-, superior longius pedicellata. Gluma et flosculus neuter aequales, 7-nerves; Hermaphroditus pallidus, acutus.

Panicum cuyabense. Decumbens. Racemis, circiter 10, subfasciculato-jubatis, laxiuscule floriferis; Spiculis geminis, linealibus, elliptico-lanceolatis, acutis, margine puberulis; Gluma inferiore nulla, superiore flosculos aequante; Foliis linearibus, scabris, vaginis hirsutis.

V. spp. Bras.

Tripedale, basi repens, nodis barbulatis. *Vaginae* inferiores hirsutae. *Racemi* parum patuli, minus quidem crassi, tamen tenues non vocandi, saturate virides: inferiores 4-pollicares.

Obs. Affinis *Digitaria violascens* Lk. (qu. v. c.) differt racemis tenuissimis, pallidis, spiculis parvis.

Panicum mollissimum Kth. Decumbens. Racemis 3 — 9, alternis, laxe floriferis; Spiculis geminis, linealibus, ovato-ellipticis, villosulis; Gluma inferiore nulla, superiore flosculos subaequante; Foliis linearibus vaginisque velutino-pubescentibus.

Panicum mollissimum Kth. Agr. syn. p. 84. — *P. leucites Trin.* Diss. II. p. 85.
Milium velutinum DeC. R. et S. II. p. 321. — *M. filiforme Sessé.*
Digitaria villosa Pers. — *D. mollissima Schrad.*
Paspalum? velutinum Kunth Agr. syn. p. 65.

V. cc.

Racemi filiformes, pl. min. patentes, 3 — 4-pollicares, valde laxiflori. Totum gramen album.

† *Panicum gibbosum Br.* Erectum, basi ramosum. Racemo solitario, arctiuscule florifero; Spiculis ternis, parvis, lanceolato-ovatis, acutis, dense sericeo-pubescentibus; Gluma inferiore nulla, superiore flosculis ⅓ breviori; Foliis angusto-linearibus, glabriusculis.

Panicum gibbosum. R. et S. II. p. 463. Kunth rev. gr. p. 383. tab. 105. Agr. syn. p. 85.

N. Holl.

Culmus filiformis, superne pubescens. *Folia* latiora lineam lata, sesqui — subtri-pollicaria. *Vaginae* pubescentes. *Racemus* 2½ pollicaris. Gluma superior dense sericea, arcuato-concava. *Flosculus neuter* hermaphrodito inferne gibbo longior, lateribus dense sericeus.

† *Panicum Gayanum Kunth.* Erectum. Racemis 2, digitatis, laxe floriferis; Spiculis subternis, linealibus, sublanceolato-ovatis, acutis, villoso-comatis; Gluma inferiore minima, superiore flosculos aequante; Foliis linearibus, inferne ciliatis.

Panicum Gayanum Kth. rev. gr. p. 239. tab. 31.

Senegal.

Culmus sesquipedalis, simplex. *Vaginae* glabrae, hispidulae. *Ligula* ciliaris. *Folia* sesquilineam lata, 2 — 3-pollicaria. *Spicula* tertia abortiva.

Gluma inferior rotundata, superior 3-nervis, villosa. *Flosculus neuter* 5-nervis, villosus. *Hermaphroditus* chartaceus, scaber, acuminatus.

Panicum phaeothrix Trin. ic. gram. VIII. tab. 91. Erectum. Racemis 4 — 6, subdigitato-alternis, laxe floriferis; Spiculis geminis ternisve, linealibus, ovato-ellipticis, hirsutis; Gluma inferiore obsoleta, superiore flosculis dimidio breviori; Foliis filiformi-involutis vaginisque glabris.

Trichachne ferruginea N. ab Es! Agr. bras. p. 90.

Panicum ferrugineum Kunth rev. gr. tab. 165. Agr. syn. p. 125.

V. spp. Bras.

Culmus 2 — 3-pedalis, gracilis. *Folia* spithamaea — dodrantalia. *Axis communis* 1 — 2-pollicaris. *Racemi* conferti, inferiores semipedales. *Gluma* inferior minutissima l. nulla. *Flosculus neuter* bivalvis.

III. Urochloa.

Panicum cimicinum Retz. Racemis 2 — 10, superne floriferis; Glumis trinervibus: superiore margine aequo ciliata; Lodiculae squamis hinc lanceolato-elongatis.

Milium cimicinum L. Mant.

Agrostis cimicina Poir.

Axonopus cimicinus PB. R. et S. II. p. 317. Mant. II. p. 177.

Urochloa cimicina Kunth rev. gr. tab. 103. Agr. syn. p. 74.

V. spp. Malab. Nepal.

Folia e basi ovata lanceolata. *Racemi* $2\frac{1}{2}$ — 5-pollicares, axibus glabris, basi nudis. *Spiculae* solitariae, geminae ternaeve.

Panicum semialatum Br. Racemis 2 — 4, a basi floriferis; Glumis 5-nervibus: superiore margine repando-alato ciliatula; Lodiculae squamis hinc in dentem brevem productis.

Panicum semialatum. R. et S. II. p. 461.

Urochloa semialata Kunth rev. gr. p. 31. Agr. syn. p. 74.

V. spp. Nepal. (s. fol.).

Racemi 2 — 4-pollicares, axibus villosulis, basi barbatis. *Spiculae* geminae — quinae, majores quam in priore.

Obs. Reliquae ab auctoribus ad *Urochloam* relatae species ad *Brachiarium* pertinent.

IV. Orthopogon.

a) *Glumarum seta attenuata*, *hispida*.

Panicum Burmanni Retz. Racemis pl. min. contiguis, arcte floriferis; Axi communi pl. min.-, partialibus Spiculisque villoso-ciliatis; Glumis flosculoque neutro setigeris: glumae inferioris seta spicula sesqui — bis l. ultra longiori; Foliis ovatis lanceolatisque glabris pilisve adspersis aut cum vaginis pubescentibus.

Panicum hirtellum Burm. — *P. bromoides LaM.* R. et S. II. p. 483. (sub *Oplismeno*).

Orthopogon Burmanni Br.

Oplismenus Burmanni PB. R. et S. II. p. 482. Kth. Agr. syn. p. 139.

V. spp. Ind. or. Manill.

* Majus, axi communi villosiori, racemis superioribus magis approximatis:

Panicum Burmanni. Trin. ic. gr. XVII. tab. 193. — *P. album LaM.* — *P. lappaceum Willd.* hb.

Oplismenus albus R. et S. II. p. 890. — *O. Humboldtianus N. ab Es.* Agr. bras. p. 264.

V. spp. Bras.

Racemi 5 — 6-lineales. *Seta* inter dentes glumarum. *Flosculus neuter* 1-valvis, 7-nervis. *Hermaphroditus* chartaceus.

b) *Glumarum seta obtusa, laevi.*

Panicum setarium LaM. Racemis brevissimis, remotis, arcte floriferis; Axi communi, partialibus Spiculisque glabriusculis; Glumis flosculoque neutro setigeris: glumae inferioris seta spicula bis et ultra longiori; Foliis lanceolatis vaginisque margine pubescendo-ciliatulis, glabris.

Oplismenus setarius R. et S. II. p. 481. Kth. Agr. syn. p. 139.

Orthopogon setarius Sprgl.

an *Panicum aristatum Retz.* R. et S. II. p. 455. — *P. hirtellum Mchx.*

V. spp. Bras.

Culmus tenuis. *Folia* breviuscula: inferiora pollice breviora, suprema bipollicaria. *Racemi*, non computatis setis, lineas 2 — 4 longi: inferiores remotissimi.

Panicum imbecille. Racemis (brevissimis) remotis remotiusculisve, arcte floriferis; Axi communi glabro, partialibus hirsutulis; Spiculis glabris ciliatulisve; Gluma inferiori setigera: seta (in racemulis inferioribus) longitudine spiculae vel paulo longiori; Foliis anguste lanceolato-linearibus vaginisque glabris.

Orthopogon imbicellis Br. Trin. ic. gr. XVI. tab. 191.

Oplismenus imbecillis R. et S. II. p. 487. Kth. Agr. syn. p. 142.

V. spp. Nov. Holl.

Culmus 1 — sesqui-pedalis, tenuis. *Folia* sursum sensim longiora, inferiora pollicaria, superiora 2 — l. vix 3-pollicaria. *Racemuli* 2 — 4-lineales. — *Panico setario* tenuiori simillimum et fortasse mera ejusdem var. macra.

Panicum undulatifolium Ard. Racemis (brevissimis) remotiusculis, arcte floriferis; Axi communi hirsuto, partialibus (subnullis) nudis; Glumis ciliatulis flosculoque neutro setigeris: glumae inferioris seta spicula sesqui-, extima fere triplo longiori: Foliis oblongo-lanceolatis, adpresso-pilosis; Vaginis hirsutis.

Panicum undulatifolium. Trin. Diss. II. p. 158. (excl. var. β). Ic. gr. XVI. tab. 192. — *P. hirtellum All.* et al. (non L. nec Host, nec *Mchx.*). — *P. Burmanni MB.*

Oplismenus undulatifolius PB. R. et S. II. p. 482. Kth. Agr. syn. p. 139.

V. spp. Helv. Germ. Iber.

Panicum compositum L. sp. pl. ed. 1. Racemis contiguis, laxifloris; Axi communi, partialibus Spiculisque glabris vel pubescentibus; Glumis setigeris, flosculo neutro mucronulato: glumae inferioris seta spicula sesqui — bis longiori; Foliis lanceolatis vaginisque glabris, hisve pl. min. pubescentibus.

Panicum compositum, *a*, *Trin.* Diss. II. p. 153. Ic. gr. XVI. tab. 187.

Orthopogon compositus Br. — *O. remotus Tr.* Fund. Agr.

Oplismenus compositus PB. R. et S. II. p. 484. Kth. Agr. syn. p. 141.

Digitaria composita Willd. En.

V. spp. Ceyl. Inss. Carol.

* Var. tenuiculmis, flaccida:

Panicum compositum, *b*, *Trin.* Diss. II. p. 154. Ic. gr. XVI. tab. 189. A.

V. spp. Nov. Zeel. Nepal.

Racemi plerumque internodio longiores, ultrapollicares vel fere pollices 2 longi. In gramine Ualanensi Carolinarum axes communis et partiales pubescunt. — An huj. loci etiam *Pollinia undata Sprgl.!* (*Andropogon undatus Jacq.* *Oplismenus Jacquini Kth.* Agr. syn. p. 140.) cujus v. specim. Mascar. (Trin. ic. gr. XVI. tab. 189. B.)

Panicum sylvaticum LaM. Racemis remotis l. pl. min. contiguis, arcte arctiusculeve floriferis; Axi communi partialibusque hirtulo-pubescentibus (illove glabriusculo, his pl. min. pilosis); Glumis glabris pilosulisve cum flosculo neutro setigeris: glumae inferioris seta spicula sesqui — bis longiori; Foliis lanceolatis, glabris, pubescentibus l. rariusculo-pilosis; Vaginis apice (tuberculato-) pilosulis.

Panicum compositum d, *et f. Trin.* Diss. II. p. 155.

Variat:

α. Axi communi partialibusque pubescendo-hirtulis; racemis internodio longioribus; spiculis pubescentibus; foliis glabris; vaginis tuberculoso-hirtulis:

V. spp. Inss. soc.

β. Axi communi pubescendo-hirtulo, partialibus hirsutis; racemis internodio longioribus; spiculis pilis adspersis; foliis glabris; vaginis tuberculoso-hirtulis:

Oplismenus sylvaticus ***R.*** *et* ***S.*** II. p. 481. Kth. Agr. syn. p. 139. (Trin. ic. gr. XVI. tab. 190. A.).

V. spp. Mascar.

γ. Axi communi pubescendo-hirtulo, partialibus setoso-pilosis; racemis internodio brevioribus l. contiguis; spiculis pilosulis; foliis obsolete pubescentibus l. pilis adspersis; vaginis obsolete tuberculatis hirtulisve:

Panicum compos. var. ***Trin.*** ic. gr. XVI. tab. 188.

Oplismenus africanus ***PB!*** R. et S. II. p. 484 et 890. Kth. Agr. syn. p. 141. — an *Oplism. brasiliensis Raddi?*

V. spp. Inss. Sandw. Afr. Bras.

δ. Axi comm. et partialibus pubescendo-hirtulis; racemis remotis; spiculis pubescentibus; foliis glabris; vaginis obsolete tuberculosis, pubescentibus:

Echinochloa lanceolata ***PB.*** R. et S. II. p. 476.

Oplismenus lanceolatus ***N. ab Es.*** Agr. bras. p. 266.

V. spp. Ins. Nucahiw. Manill.

ε. Axi comm. glabro, partialibus spiculisque pilis adspersis; racemis contiguis; foliis brevibus, pubescentibus (infimis ovatis, glabris); vaginis obsolete tuberculosis, superne hirsutulis:

Panicum compositum ε, ***Trin.*** Diss. II. p. 156. Ic. gr. XVI. tab. 190. B. et 2.

V. spp. Manill.

Obs. Fortasse etiam *Pan. aristatum Retz.* ad hanc speciem variabilem revocandum.

Panicum loliaceum ***LaM.*** Racemis remotis contiguisve, arcte floriferis; Axi communi glabro hirtulove, partialibus ad spicularum basin setoso-barbatis;

Glumis ciliatulis flosculoque neutro setigeris: glumae inferioris seta spicula quadruplo longiori; Foliis lanceolatis vaginisque ciliatis, glabris.

Oplismenus loliaceus PB. R. et S. II. p. 483. Kth. Agr. syn. p. 140. — *O. hirtellus Radd.* Agr. br. p. 41? — *O. latifolius Haenke* hb.

V. spp. Ind. occ. Guian. Bahiens.

Culmi linea pubescens unilateralis nota neque satis constans, neque huic speciei soli propria. *Folia* ima basi interdum ciliata. *Racemi* semipollicares — pollicares, ob setas spicularum confertarum longas quasi pectinati.

V. Echinochloa.

a) *Ligula nulla.*

Panicum colonum L. sp. pl. ed. 2. Racemis simplicibus (semi — sesqui-pollicaribus), alternis geminisque, interstitia pl. min. aequantibus; Spiculis binis, ternis (4 — 6-serialibus), subultralinealibus, mucronato-acutis; Foliis linearibus.

Panicum colonum. R. et S. II. p. 424. Mant. 2. p. 224. Trin. ic. gr. XIV. tab. 160. — *P. tetrastichon Forsk.*

Oplismenus colonus Hb. et Kth. Agr. syn. p. 142.

V. spp. Ins. adsc. Cap. vir. Marian. Aegypt.

* Racemis basi setigeris:

Panicum pseudocolonum Roth. R. et S. II. p. 424.

V. spp. Bras. Ins. Philip. Jav. Mascar.

** Foliis vaginisque atropurpureo-zonatis:

Panicum zonale Guss. — *P. numidianum Presl.* Gr. Sic. p. 3?

V. sp. Sic.

Culmus spithamaeus — ultrapedalis, obliquus, saepe radicans, simplex vel ramosus. *Vaginae* glabrae. Folia acuminata, lineas 1 — 2 lata, palmaria — spithamaea. *Racemi* 4 — 18.

Panicum frumentaceum Roxb. Racemis simplicibus (pollicaribus), alternis geminisve, interstitiis paulo longioribus; Spiculis binis solitariisque (3-serialibus), linealibus, acuminato-mucronatis; Foliis lanceolato-linearibus.

Panicum frumentaceum. Schult. Mant. II. p. 230.

Oplismenus frumentaceus Kth. Agr. syn. p. 146.

V. sp. Ind. or.

Obs. Specimen nostrum (v. Ic. gr. XIV. tab. 164.), ex ipsis quidem Roxburghii plantis, *Panico colono* nimis affine. V. descr. ap. Schult. l. l.

Panicum cuspidatum Roxb! Racemis simplicibus (circiter semipollicaribus), alternis, interstitiis paulo longioribus; Spiculis binis solitariisque (3 — 4-serialibus) ultra-sesquilinealibus, subulato-mucronatis (margine strigilosis); Foliis linearibus.

Panicum cuspidatum. Trin. Diss. II. p. 134.

Digitaria cuspidata Schult. Mant. II. p. 265.

Oplismenus cuspidatus Kth. Agr. syn. p. 147.

V. spp. Ind. or.

Glaucum. *Culmus* obliquus, basi repens. *Vaginae* glabrae. *Folia* undique laevia, acuta: (superiora) lineas fere 2 lata, digitalia. *Racemi* 6 — 12.

Panicum crus galli L. sp. pl. ed. 1. Racemis simplicibus compositisve (1 — 3-pollicaribus), conferto-alternis jubatisve, interstitiis (multo) longioribus; Spiculis binis ternisve (4 — 6-serialibus), ultra-l. fere bi-linealibus, mucronato-acutis l. pl. min. longe caudato-subulatis; Foliis lanceolato-linearibus.

Panicum crus galli. Trin. Diss. II. p. 135.

Varietates notabiliores sunt:

α. Spiculis ultralinealibus; racemis subsimplicibus eorumve racemulis brevissimis:

Echinochloa crus galli PB. R. et S. II. p. 478.

Panicum crus corvi auctt. (non *Linn.*) — *P. crus galli* Trin. ic. gr. XIV. tab. 161.

Milium crus galli Mönch.

Oplismenus crus galli Kth. Agr. syn. p. 143.

V. spp. Gall. Germ. Ross. Alt. Taur. Philipp. N. Holl. Am. bor. Chil.

* Idem, juba angustata; racemis alternis simplicibus; Foliis gracilioribus:

V. spp. Aeg. (*Sieber*, s. n. *Panici stagnini* e Damiatt.)

β. Spiculis subbilinealibus; racemorum racemulis brevissimis:

Panicum oryzoides Ard. — *P. oryzinum Gmel.* — *P. stagninum Host.* — *P. Hostii MB.*

Echinochloa commutata Schult. Mant. 2. p. 267.

V. spp. Grus.

γ. Vaginis hirsutis:

Panicum hispidum Mühlenb. Schult. Mant. 2. p. 280. (sub *Setaria muricata*).

V. spp. Am. bor.

δ. Culmo crasso; juba densa; spiculis linealibus, longo-subuligeris:

Panicum sabulicolum N. ab Es! Agr. bras. p. 258. Trin. ic. gr. XIV. t. 163.

Oplismenus sabulicola Kth. Agr. syn. p. 145.

V. spp. Bras.

ε. Juba pl. min. densa; racemorum racemulis productis; spiculis saepe longissime subuligeris:

Panicum crus galli, longisetum, Trin. ic. gr. XIV. tab. 162. — *P. echinatum Willd.* — *P. crus pavonis* N. ab Es! Agr. bras. p. 259.

Echinochloa echinata PB. R. et S. II. p. 476.

Oplismenus crus pavonis et *echinatus Kth.* Agr. syn. p. 144. 145.

V. spp. Am. bor. Chil. Bras.

Praeterea occurrit nanum: (*Pan. crus corvi Pall.* in hb. Ac. Petrop.) V. spp. Wolg. — Flaccidum, racemis brevissimis: v. spp. Wolg. Austr. Ind. or. —

Aliae modificationes s. ab auctoribus exsculptae s. d. species sunt: *Pan. hispidulum LaM.*; *Pan. hispidulum Retz.*; *Pan. muricatum Mchx.*; *Pan. limosum Presl?* — al.

b) *Ligula dense longeque ciliari.*

Panicum stagninum Koen. Racemis (1 — 2-pollicaribus) alternis, interstitiis pl. min. longioribus; Spiculis binis solitariisque (3 — 4-serialibus), bilinealibus, (brevi-) subuligeris; Foliis linearibus; Culmi nodis glabris.

Echinochloa stagnina PB. R. et S. II. p. 477. (excll. synn. Host. Ard. et Gmel.)

Oplismenus stagninus Kth. Agr. syn. p. 144. (excl. syn. M. Bieb. et fortasse LaM.)

V. spp. Ind. or. Aeg.

Simile *oryzino Ard.* — Tripedale. *Vaginae* glabrae. *Folia* lineas 3 — 5 lata, superiora racemos aequantia l. superantia, facie pl. min. scabra, margine hispida. *Subula* valvulae inferioris flosculi neutrius 1 — 4-linealis.

Obs. *Panicum pictum Koen.* et *Pan. scabrum LaM.* hujus videntur varietates.

Panicum spectabile N. ab Es. Racemis (sesqui — bipollicaribus) alternis jubatoque sparsis, interstitiis pl. min. longioribus; Spiculis binis ternisque (4 — 6-serialibus), bilinealibus l. longioribus, subuligeris; Foliis lato-lineari-lanceolatis; Culmi nodis hirsuto-barbatis.

Panicum spectabile N ab Es! Agr. bras. p. 262. Trin. ic. gr. XIV. t. 166.

Oplismenus spectabilis Kth. Agr. syn. p. 145.

V. spp. Bras. — Var. axi hirsuto, Essequ.

Culmus 3 — 4-pedalis. *Vaginae* glabrae l. hirsutae. *Folia* pollicem lata, 1 — 2-pedalia, acuminatissima, margine hispida. *Racemi* crassi. *Subula* pl. min. semipollicaris.

VI. Setaria.

a) *Axibus partialibus (interdum non nisi unifloris) productis in setam, pedicellum lateraliter emittentem.**)

α. *Flosculo seminifero masculo duplo (vel $\frac{1}{4}$**) breviori; Ligula membranacea.*

Panicum Chamaeraphis. Thyrsi simplicissimi radiolis unifloris; Spiculis linearibus, obtusiusculis, seta ipsis multo longiori suffultis; Flosculo seminifero sessili.

Chamaeraphis hordeacea Br! R. et S. II. p. 791. Kth. rev. gr. tab. 36. Agr. syn. p. 148.

V. spp. N. Holl.

Culmus ultrapedalis, erectus. *Folia* disticha, glabra, linea angustiora, pl. min. digitalia. *Thyrsus* bipollicaris, Hordeum distichum referens. *Spiculae* trilineales, angustae, albidae, glabrae. *Gluma* inferior pusilla, tenuissime membranacea, truncata, enervis; superior flosculum masc. 2-valvem aequans, 7-nervis, rigida. *Flosculus superior* femineus cum staminibus (2) effetis, chartaceus.

Panicum paradoxum Br. Thyrsi simplicissimi radiolis unifloris; Spiculis lanceolato-linearibus, acuminatis, seta ipsis duplo longiori suffultis; Flosculo seminifero brevi-pedicellato.

Panicum paradoxum. R. et S. II. p. 463. Kth. rev. gr. tab. 32.

Chamaeraphis paradoxa PB. ex Schult. Mant. 2. p. 253. Kth. Agr. syn. p. 148.

V. sp. N. Holl.

Culmus semi — 1-pedalis, repens. *Folia* sublanceolato-linearia, acutiuscula, lineas 1 — 2 lata, ultrapollicaria, glabra. *Thyrsus* sesquipollice longior. *Spiculae* trilineales, e viridi purpureoque variae. *Gluma* inferior flosculis

---

*) Quamobrem radiorum plurifllororum spiculae *non* terminales seta nulla involucellatae sunt.

**) Quod additum est ob *Pan. unisetum* (Urochloam unisetam Presl. rel. Haenk. I. p. 319. huc pertinens, cui flosculus seminiferus (aciculatus) masculo non nisi quartam partem brevior.

4 — 5plo brevior, obtusa, sub- 5-nervis; superior flosculos excedens, acuminata, multi (15-) nervis. *Flosculus masculus* 2-valvis; superior femineus cum staminibus (2) effetis, chartaceus.

Panicum abortivum Br.! Jubae simplicis racemis laxe sparsis, remote floriferis; Spiculis lanceolatis, acuminatis: terminalibus solis seta suffultis; Flosculo seminifero brevi-pedicellato.

Panicum abortivum. Schult. Mant. II. p. 253. Trin. ic. gr. XVI. tab. 181.

Andropogon squarrosus Linn. Herb. (non L. sppl.)

Chamaeraphis abortiva Poir.

V. spp. N. Holl.

Culmus 2-pedalis, adscendendo-decumbens, ramosissimus. *Folia* linearia, acuta, supra scabra, margine hispida, adultiora lineam lata, 1 — 3-pollicaria. *Racemi* circiter 17 ad axin digitalem; inferiores 2-pollicares, pauciflori. *Spiculae* sesquilineales. *Gluma* inferior pusilla, truncata, enervis; superior flosculos excedens, acuminata, 7-nervis, ad nervos medios aculeolata. *Flosculus masculus* 1 — 2-valvis; superior femineus, chartaceus.

β. *Flosculo hermaphrodito incompletum subaequante; Ligula ciliari.*

Panicum rescissum. Racemis compositis, laxiuscule paniculato-jubatis, contractiusculis; Spiculis linealibus, ovalibus, mucronulato-acutiusculis; Gluma inferiore flosculis triplo-, superiore iisdem duplo breviori; Foliis linearibus, ad nervos pilosulis.

Setaria longiseta PB. Flor. d'Oware Tab. 110. f. 2. Kth. Agr. syn. p. 158.

V. spp. Guin.

Culmus 3-pedalis. *Vaginae* margine superne hirtae. *Folia* attenuato-acuminata, lineas 2 lata, dodrantalia. *Panicula jubalis* e viridi et fusco-rubente varia, dodrantalis — pedalis, pl. min. contracta, lucidula. *Racemi* inferiores circiter 3-pollicares, solitarii, remoti; superiores conferti; axes partiales hispiduli. *Racemuli* 2 — 6-lineales. *Spiculae* solitariae l. geminae:

illae brevipedicellatae, plerumque absque seta; harum superior seta ipsam duplo triplove superante suffulta; *Glumae* 5-nerves; vel inferior, pl. min. obtusa, 3-nervis. *Flosculi* mucronulati: neuter l. masculus bivalvis: valvula inferiori chartacea, 3-nervi, ad nervum medium exarato-retusa demumque (ut in *Thrasyis Kth.*) fissa. *Herm.* tenui-rugulosus.

Panicum paractaenoides. Racemis compositis, laxe paniculatis, patentibus; Spiculis linealibus, ovalibus, acutiusculis; Gluma inferiore flosculis duplo et qu. exc.-, superiore iisdem paulo breviori; Foliis linearibus, glabris.

V. sp. e. Krabbeneiland.

Culmus 3-pedalis, florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* acuminata, lineas 3 et ultra lata, dodrantalia. *Panicula* rara, lucidissima. *Racemi* per distantias satis regulares solitarii, pollice breviores; axes partiales hirtuli. *Racemuli* brevissimi, sub- 1-lineales. *Spiculae* subsolitariae. *Seta* spiculam non nisi paulo excedens. *Gluma* inferior 3 — 5-, superior 5-nervis. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior 3- l. sub- 5-nervis, plana vel medio longitudinaliter leniter retusa. *Hermaphroditus* tenui-rugulosus.

Obs. Inflorescentia, ad specimen unicum descripta, an semper eadem?

Panicum excurrens. Racemis compositis, in jubam angustam laxam contractis; Spiculis sesquilinealibus, ovalibus, acutis; Gluma inferiore flosculis triplo-, superiore iisdem tertiam partem breviori; Foliis lineari-lanceolatis (utrinque attenuatis), sulcato-plicatulis, glabris.

Panicum excurrens Trin. ic. gram. VIII. tab. 89. Kth. Agr. syn. p. 94.

V. spp. Nepal.

Culmus bipedalis et ultra, inferne florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* latiora medio lineas 5 lata, inferiora dodrantalia. *Juba panicularis* spithamaea, angustata. *Racemi* inferiores bipollicares. *Racemuli* 4-lineales; axi partiali laeviusculo. *Spicularum* terminalium seta ipsis circiter lineas 2 longior. *Gluma* inferior 5-, superior sub- 7-nervis. *Flosculus neuter* 2-valvis:

valvula inferior 7-nervis, medio longitudinaliter retusiuscula. *Hermaphroditus* rugulosus, mucronulatus.

Obs. Cf. infra Obs. sub *Pan. plicato*, cui haec species valde affinis.

Panicum sulcatum Aubl. Racemis compositis, in thyrsum densissimum contractis; Spiculis linealibus, ovali-lanceolatis, acutis; Gluma inferiore flosculis dimidio magisve-, superiore iisdem tertiam partem breviori; Foliis lato-lanceolatis, plicato-sulcatis, glabris.

Panicum sulcatum. R. et S. II. p. 441. N. ab Es. Agr. bras. p. 253. — *P. palmifolium Koen.?*

Setaria sulcata Bert. Schult. Mant. 2, p. 278.

V. spp. Bras.

Orgyale. *Folia* pollicem l. fere pollices 2 lata, sesqui — bi-pedalia, utrinque attenuata. *Thyrsus* sesquipedalis, lanceolato-cylindraceus, apice nutans, pallide virens. *Spiculae* racemulorum intermediae absque involucello. *Gluma* inferior 3-, superior 5-nervis. *Flosculus neuter* bivalvis: valv. inferiori 5-nervi, medio longitudinaliter retusa. *Hermaphr.* tenuissime rugulosus.

Panicum speciosum N. ab Es. Racemis compositis, thyrsato-jubatis, patentissimis; Spiculis bilinealibus, ovali-lanceolatis, acuminatis; Gluma inferiore flosculis plus dimidio-, superiore iisdem tertiam partem breviori; Foliis latissimo-lanceolatis, glabris.

Panicum speciosum N. ab Es! Agr. bras. p. 252. — *P. elongatum Poir?* R. et S. II. p. 883. (*P. Poiretianum Schult.* Mant. 2. p. 229. *Setaria Poiretiana Kth.* Agr. syn. p. 155).

V. sp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis. *Folia* pollices 2 lata, 1 — 2-pedalia, utrinque attenuata. *Thyrsus* sesqui — bi-pedalis, strictus, subpyramidatus. *Racemi* sesqui — 1-pollicares, horizontales. *Spiculae* racemulorum intermediae absque seta, virides. *Gluma* inferior 5-, superior 7-nervis. *Flosc. neuter* bivalvis: valv. inferior 5-nervis, medio longitudinaliter retusiuscula. *Herm.* tenuissime rugulosus.

b) *Pedicellis ipsis (omnibus) setiferis.*

Panicum glaucum L. sp. pl. ed. 2. Thyrso simpliciusculo, subcylindrico, arcto; Involucelli pluriseti aculeolis sursum versis: setis omnibus spicula plerumque bis (quaterve) longioribus; Gluma inferiore flosculis triplo duplove-, superiore iisdem tertiam partem magisve breviori; Hermaphrodito toto rugoso; Foliis linearibus l. sublanceolato- (s. latiusculo-) linearibus.

Panicum glaucum. Trin. ic. gr. XVII. tab. 195. — *P. viride Poll.* — *P. flavescens Mönch.* — *P. lutescens Weig.* — *P. laevigatum β. LaM.*

Setaria glauca PB. R. et S. II. p. 490.

Pennisetum glaucum Br.

V. spp. Gall. Germ. Ross. Pers. bor. Am. bor. Ind. or. N. Holl.

β. Spiculis minoribus:

Panicum tejucense N. ab Es! Agr. bras. p. 243. — *P. dasyurum W.* hb. (fide speciminis ex hbio Berol. a Sellowio lecti non diversum).

Setaria tejucensis Kth. Agr. syn. p. 150.

V. spp. Bras. Sumatr.

γ. Setis flaventibus l. purpurascentibus:

Panicum alopecuroides Koen.! — *P. flavum N. ab Es!* Agr. bras. p. 239.

Setaria flava Kth. Agr. syn. p. 149. — *S. corrugata Schult.* Mant. 2. p. 76. Kth. Agr. syn. p. 153.

V. spp. Ind. or. Bras.

δ. Setis spicula quadruplo longioribus:

Panicum penicillatum Willd. Herb. N. ab Es! l. l. p. 241. (Proxima huic *Setaria Ventenatii Kth.* rev. gr. tab. 37).

V. spp. Bras. Ind. occ. Inss. Marian.

ε. Foliis thyrsum superantibus:

Panicum holcoides Icq. Eccl. (non Roxb.)

V. cc.

Obs. Quid *Panicum glaucum L. sp. pl. ed. 1.?*

Panicum imberbe Poir. Thyrso simpliciusculo, angusto-lineari, arcto; Involucelli pluriseti aculeolis sursum versis: setis nonnullis omnibusve spicula brevioribus eamve aequantibus, reliquis ipsa duplo longioribus; Glumis et Hermaphrodito ut in *P. glauco*; Foliis angusto-linearibus.

Panicum imberbe. N. ab Es. Agr. bras. p. 239. — *P. glaucum var. Trin.* ic. gr. XVII. tab. 196.

Setaria imberbis R. et S. II. p. 891. — *S. gracilis Hb. et Kth.* R. et S. II. p. 491. Kth. Agr. syn. p. 149.

V. spp. Bras. Chil. Guin.

* Foliis compresso-involutis, v. spp. Chil.

β. Involucello spiculisque purpurascentibus:

Panicum imberbe β, pumilum N. ab Es. Agr. bras. p, 240.

Setaria purpurascens Hb. et Kth. R. et S. II. p. 489. Kth. Agr. syn. p. 151.

V. spp. Bras.

Panicum geniculatum Poir. Thyrso simpliciusculo, cylindrico, laxiusculo; Involucelli pluriseti, spicula duplo longioris, aculeolis sursum versis; Gluma inferiore flosculis ⅓ (non prorsus duplo) breviori, superiore eosdem aequante; Hermaphrodito toto rugoso; Foliis sublanceolato- l. latiusculo-linearibus.

Setaria geniculata PB. R. et S. II. p. 491. Kth. Agr. syn. p. 150.

Pennisetum geniculatum Jcq. Eccl. tab. 26.

V. cc.

Panicum viride L. sp. pl. ed. 1. Thyrso pl. min. composito, subcylindrico, arcto; Involucelli sub-biseti, spicula pl. min. longioris, aculeolis sursum versis; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, superiore eosdem aequante; Hermaphrodito tenuissime ruguloso; Foliis sublanceolato- vel latiusculo-linearibus.

Panicum viride. Trin. ic. gr. XVII. tab. 203. — *P. laevigatum α, LaM.* — *P. purpurascens Opiz!*

Setaria viridis PB. R. et S. II. p. 488.

Pennisetum viride Br.

V. spp. Germ. Ross. Sib. Chin. Dahur. Alt. Byz. Aeg. Am. bor.

Panicum italicum L. sp. pl. ed. 1. Thyrso composito, cylindraceo, arcto; Involucelli 2 — 3-seti, longitudinis variae (interdum obsoleti), aculeolis sursum versis; Gluma inferiore flosculis triplo-, superiore iisdem paulo breviori; Hermaphrodito tenuissime punctato-ruguloso; Foliis (lineari-) lanceolatis.

α. Thyrso mediocri, setis longioribus:

Panicum germanicum Willd. (Trin. ic. gr. XVII. tab. 199.)

Setaria germanica PB. R. et S. II. p. 492.

V. spp. Germ. Ross. austr.

β. Setis spicula 4 — 5-plo longioribus:

Panicum macrochaetum Lk.

Setaria macrochaeta Jcq. Schult. Mant. II. p. 274.

V. cc.

γ. Involucellis thyrsove toto purpurascentibus:

Panicum maritimum Poir.

Setaria maritima R. et S. II. p. 492.

* thyrso majusculo:

Panicum erythrospermum Hornem.

Echinochloa erythrosperma R. et S. II. p. 477.

V. spp. Ross. austr. Pers. Ital.

δ. Setis abbreviatis l. nullis:

Panicum compactum Kit. — *P. sibiricum* et *serotinum Hortul.*

* pumilum:

Panicum pumilum Lk.

Setaria pumila Schult. Mant. 2. p. 274.

V. cc.

ε. Thyrso majusculo, crassiori:

Panicum intermedium Hornem!

Echinochloa intermedia R. et S. II. p. 477.

V. cc.

ζ. Thyrso maximo, crasso:

Panicum glomeratum Mönch. — *P. italicum Willd.* Trin. ic. gr. XVII. t. 200.

Setaria italica PB. R. et S. II. p. 493.

Praeterea varietates in hortis occurrunt s. n. *Panicum attenuatum*, *setosum*, *setarium*, *melfrugum*, *asiaticum*, *indicum*.

Panicum semirugosum N. ab Es. Thyrso subcomposito, subcylindrico, arcto; Involucelli biseti, spicula subtriplo longioris, aculeolis promiscue deorsum sursumque versis; Gluma inferiore flosculis triplo duplove-, superiore iisdem tertiam partem magisve breviori; Hermaphrodito inferne rugoso, apicem versus laevi; Foliis lineari-lanceolatis.

Panicum semirugosum N. ab Es! Agr. bras. p. 243.

Setaria semirugosa Kth. Agr. syn. p. 152.

V. sp. Bras.

Setarum aculeoli brevissimi.

Panicum scandens. Thyrso subcomposito, cylindrico, arcto; Involucelli 1 — 2-seti, spicula (suborbiculata, minima) duplo l. subquadruplo longioris, aculeolis superioribus deorsum versis; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, superiore eosdem subaequante; Hermaphrodito tenuissime ruguloso; Foliis lanceolato-linearibus.

α. Setis spicula duplo longioribus:

Panicum scandens Trin. Diss. II. p. 166. Ic. gr. XVII. tab. 201.

Setaria scandens Schrad. Schult. Mant. II. p. 279. — *S. Trinii* et *scandens* Kth. Agr. syn. p. 151.

Pennisetum scandens Ht. Vindob!

V. spp. Bras.

β. Setis spicula quadruplo longioribus:

Setaria tenacissima Schrad. Schult. l. l. Kth. l. l.

Panicum tenacissimum N. ab Es. Agr. bras. p. 238.

V. spp. Madeir. Bras. Peruv.

Panicum verticillatum L. sp. pl. ed. 2. Thyrso composito, cylindraceo; Involucelli 1-seti, spicula (ovato-elliptica) paulo l. triplo (magisve) longioris, aculeolis omnibus deorsum versis; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, superiore eosdem aequante; Hermaphrodito (submucronato) tenuissime ruguloso; Foliis lineari-lanceolatis.

Panicum verticillatum. Trin. ic. gr. XVII. tab. 202. — *P. adhaerens Forsk.* — *P. asperum LaM.*

Setaria verticillata PB. R. et S. II. p. 488. — *S. nubica Lk!*

Pennisetum verticillatum Br.

V. spp. Gall. Germ. Ross. austr. Cauc. Astr. Taur. Cap. vir. Mascar.

Obs. In *Setariae nubicae* specimine, in hto Berol. culto, setae spicula non nisi paulo longiores.

Panicum chinense. Thyrsi compositi, interrupti, laxi, racemis glomeri-floris; Involucelli 1-seti, spicula (oblongo-orbiculari) subduplo longioris, aculeolis sursum versis; Gluma inferiore flosculis 5-plo-, superiore iisdem paulo breviori; Hermaphrodito tenuissime ruguloso; Foliis lato-linearibus, glabris.

V. sp. Chin. (Pro frumento seritur).

Culmus videtur 4 — 5-pedalis. *Nodi* cum *Vaginis* glabri. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* lineas 8 — 12 lata, sesquipedalia, scabriuscula. *Thyrsus* flaccidus et pendulus, dodrantalis, glaucescendo-albens. *Racemi* ad axin pubescentem interrupte sparsi, pollice dimidio paulo longiores, a basi densissime et compactissime floriferi, satis crassi. *Pedicelli* fasciculati, brevissimi, cum seta hispiduli potius quam aculeolati. *Spiculae* vix lineam longae, imbricatissimae. *Glumae* (in thyrso maturo) membranaceae: inferior perparva, remotiuscula, acuta, 5-nervis; superior hermaphrodito quintam circiter partem brevior,

5 — 7-nervis. *Flosculus neuter* 1-valvis, 7-nervis. *Hermaphroditus* orbicularis, flavendo-albens.

Species 4 sequentes, quibus glumarum proportio (inferior flosculis duplo l. paulo magis, superior iisdem paulo brevior), hermaphroditus rugulosus et involucrum uni-vel sub- bi-setum communia sunt, excepto forte *P. onuro*, varietates potius unius ejusdemque speciei videntur.

Panicum onurus Willd. hb. Thyrsi compositi, cylindrici, arctiusculi l. glomerato-laxi, racemulis brevissimis; Axi tenuissime pubescente; Foliis angusto-linearibus l. lanceolato-linearibus, glabris; Ligula ciliari.

Panicum setosum β. N. ab Es. Agr. bras. p. 251. Trin. ic. gram. VIII. t. 96. fig. B. et analys. ad tab. 95.

Setaria gracilis Sprgl. ms. (non S. V. I. p. 305.) — *S. megapotamica id.* ms. (quaerens an *S. erythrosperma* S. V. I. p. 304.)

V. spp. Montevid.

Spiculae quam in seqq. affinibus magis orbiculatae.

Panicum caudatum LaM. Thyrsi compositi, gracilis, laxi, racemulis brevissimis brevibusve; Axi hirsuto; Foliis linearibus l. sublanceolato-linearibus, angustis, pubescentibus; Ligula ciliari.

Setaria caudata R. et S. II. p. 495. — *S. rariflora Mik!* in Sprgl. n. Entd. II. p. 78. Trin. ic. gr. VIII. tab. 96. fig. C.

V. spp. Bras.

Panicum setosum Sw! Thyrsi compositi, sublinearis, arcti aut patulo-laxi, racemis pollice brevioribus; Axi pl. min. hirsuto; Foliis sublanceolato-linearibus, supra pubescentibus glabrisve; Ligula membranacea, ciliata.

α. Thyrso contracto-arctiori; setis flaventibus; foliis lineas 4 — 6 latis:

Panicum setosum. Trin. ic. gr. VIII. tab. 96. fig. A. — *P. cylindricum Lk.*

Setaria setosa PB. R. et S. II. p. 494. — *S. macrostachya Hb. et Kth.* Agr. syn. p. 154.

V. spp. Ind. occ.

β. Thyrso patulo-laxiori; setis purpurascentibus; foliis lineas 2 — 3 latis: an *Panicum scabrifolium N. ab Es.* Agr. bras. p. 246. (cujus folia autem lineas 4 — 8 lata dicuntur). — *P. setosum* Trin. ic. gr. VIII. tab. 95. (nec analysis).

V. spp. Bras.

Obs. Specimina *P. setosi Sw.*, ab ipso b. auctore accepta, folia utrinque glabra habent: alterum axin hirsutum, alterum tenui- villosulo-pubescentem. — Aliud specimen, Brasilianum, axi subobsolete s. tenerrime pubescente, habitu *P. onuri*, ob spiculas oblongas, racemos longiores et setas subpurpurascentes huc potius referendum esse videtur.

Panicum macrourum. Thyrsi compositi, fusiformis, arcti, racemis brevibus — ultrapollicaribus; Axi hirsuto; Foliis lato- lineari-lanceolatis, glabris; Ligula membranacea, dorso pilis ciliaribus stipata.

Setaria alopecurus hort. Gor.! — *Set. composita Hb. et Kth.* R. et S. II. p. 493. Kth. Agr. syn. p. 194. — *S. polystachya Schrad.* Schult. Mant. II. p. 277.

Panicum compositum et *macrostachyum N. ab Es.* Agr. bras. p. 244. 245.

V. spp. Bras.

VII. Harpostachys.

Panicum decumbens R. et S. Racemi (pl. min. pollicaris) solitarii (rarissime 2) axi angusto, glabro, arcte florifero; Spiculis geminis, parvis minimisve, orbiculato-obovatis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo-, superiore iisdem subduplo breviori; Foliis lanceolatis, pubescentibus.

Panicum decumbens R. et S. II. p. 429. N. ab Es. Agr. bras. p. 107. Trin. ic. gram. XIII. tab. 146. Kth. rev. gr. tab. 16.

Paspalum decumbens Sw. — *P. nutans LaM.* — *P. pedunculatum Poir.* — *P. curvistachyum Radd.*

V. spp. Guian. Bras.

Culmus pl. min. pedalis, decumbens, ramosus, rarius ex nodo uno alterove inferiori radicans. *Vaginae* carinatae, ampliatae. *Pedunculi* graciles, 1 — 4-pollicares, solitarii l. aliquot fasciculati. *Racemus* falcatus. *Spiculae* oblique 4-seriales. *Gluma* inferior acutiuscula, superior rotundata. *Hermaphroditus* punctulato-striatus.

***Panicum monostachyum* Hb. et Kth.** Racemi (2 — 6-pollicaris) solitarii axi spiculam latitudine subaequante, glabro; Spiculis geminis, pl. min. sesquilinealibus, ovato-ellipticis, glabris; Gluma inferiore nunc brevissima, nunc flosculis subduplo-, superiore iisdem paulo (ad $\frac{1}{3}$) breviori; Foliis lanceolato-linearibus, pubescentibus.

Panicum monostachyum. R. et S. II. p. 464. Kth. rev. gr. tab. 104. Agr. syn. p. 76. — *P. cultratum Trin.* Diss. II. p. 126. Ic. gr. XIII. t. 145. (var. macrostachya).

Thrasya cultrata N. ab Es. Agr. bras. p. 96. Kth. Agr. syn. p. 71.

V. spp. Bras.

Culmus sesqui — 3-pedalis, erectus, ad nodos et infra racemos pubescens. *Folia* lineas 3 — 6 lata, inferiora spithamaea — pedalia. *Racemus* rectiusculus, viridis. *Spiculae* oblique 4 — seriales, inferiores laxiores, superiores arctius imbricatae. *Gluma inferior* in spicula cujusvis paris inferiori flosculis fere dimidio brevior; in superiori brevissima. *Flosculi masc.* valv. inferior in spiculis inferioribus, quae liberae, dorso retusa quidem, sed integra; in superioribus, arctius pressis, medio longitudinaliter fissa. *Hermaphr.* punctato-striatus.

† ***Panicum Thrasya.*** Racemi (2 — 3-pollicaris) solitarii axi spicula latiori, compresso, ciliato; Spiculis solitariis, ultralinealibus, lanceolato-ovatis, villosis; Gluma inferiore minutissima, superiore flosculos aequante; Foliis linearibus, pubescentibus.

Thrasya paspaloides Hb. et Kth. n. gen. I. p. 121. tab. 39. Agr. syn. p. 71. R. et S. II. p. 802.

Ins. Panumana Orinoc.

Culmus sesquipedalis, erectus. *Pedunculi* saepe 3, fasciculati. *Racemus* falcatus. *Gluma* superior pilis flavidis hirsuta. *Flosc. masculi* valvula inferior fissa: lacinia utraque, praeter pilos quibus superne hirsuta est, infra apicem emittens pilum longiorem, filiformem. *Hermaphr.* superne barbatus.

Panicum thrasyoides. Racemi (2 — 3-pollicaris) solitarii axi spicula latiori, compresso, ciliato; Spiculis solitariis, 1 — sesqui-linealibus, lanceolato-ovatis, apice barbatis; Gluma inferiore pusilla, superiore flosculis dimidio breviori: Foliis linearibus, hirsutis.

Panicum thrasyoides Trin. Diss. II. p. 126. Ic. gr. XIII. tab. 151.

Thrasya hirsuta N. ab Es. Agr. bras. p. 94. Kth. rev. gr. tab. 102.

V. spp. Bras.

Simillimum praecedenti, differt axi e glandulis ciliato, gluma superiori dimidio breviori, pilis valvulae masculae productis nullis, foliis hirsutis.

Panicum petrosum. Racemi (spithamaei — dodrantalis) solitarii axi spicula latiori, compresso, glabro; Spiculis solitariis, sub- 3-linealibus, ovato-lanceolatis, villosis; Gluma inferiore minutissima, superiore flosculos aequante; Foliis angustissimis, compresso-involutis, glabris.

Panicum petrosum Trin. ic. gr. XXIV. tab. 280.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis, gracilis. *Vaginae* subcarinatae, glabrae, ciliatulae. *Folia* subcoriacea, inferiora sesquipedalia. *Racemus* subfalcatus. *Spiculae* basi torulo auctae, ut Helopodes. *Gluma* inferior dentiformis. *Flosc. masculi* valv. inferior bipartito-fissa. *Hermaphr.* superne pubescens, apice barbatus.

Panicum ansatum. Racemi (sesquipollicaris) solitarii axi spiculis latiori, cucullato-concavo, glabro; Spiculis solitariis, sesquilinealibus, oblongis, pilosulis; Glumis flosculos aequantibus: inferiore adscendendo-incurva: Foliis angusto sublanceolato-linearibus, rariusculo-pilosis.

Panicum ansatum Trin. ic. gr. XXIV. tab. 279.

V. spp. Bras.

Culmus vix pedalis, pertenuis, adscendens, ima basi ramosus. *Vaginae* ciliatae, glabrae. *Folia* radicalia lineam lata, 1—2-pollicaria, culmea perbrevia. *Racemus* lanceolato-linearis, rectus. *Axis* membranaceus, subinvoluto-concavus, spiculas fovens. *Glumae* angustae, compressae: inferior, basi angustata et curvata a flosculo amota, superne eidem adpressa, ad curvaturam barbata; superior superne villoso-ciliata. *Hermaphr.* acuminatus.

Panicum repandum N. ab Es. Racemi (sub-pollicaris) solitarii binorumve axi latitudine spiculae, glabro; Spiculis solitariis binisve, bilinealibus, obovato-ellipticis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, superiore eosdem aequante; Foliis linearibus, villoso-pubescentibus.

Panicum repandum N. ab Es. Agr. bras. p. 98. Trin. ic. gr. XIII. tab. 150. Kth. Agr. syn. p. 76.

V. spp. Bras.

Culmus bipedalis, erectus, superne pubescens. *Vaginae* hirtae, superne molliter pilosae. *Folia* sesquilineam l. lineas 2 lata, inferiora pl. min. spithamaea. *Racemi* crassiusculi: ubi 2, approximatissimi, reflexi; ubi 1, pl. min. rectus. *Spiculae* inferne 2-, superne 3-seriales, obtusae. *Flosculus* inferior masculus cum pistillo abortivo.

Panicum Echinolaena N. ab Es. Racemi (pl. min. pollicaris) solitarii axi spiculis angustiori, hirsuto glabrove; Spiculis solitariis, 3—4-linealibus, ovato-lanceolatis, hirsutis; Glumis (praesertim inferiore) flosculis longioribus; Foliis e basi subcordata (lineari-) lanceolatis, glabris, hirtis hirsutisve.

Panicum Echinolaena N. ab Es. Agr. bras. p. 128.

Varietates mihi notae sequentes:

α. Axi racemi hirsuto vel glabro; Foliis sub-lineari-lanceolatis (angustis), laevibus scabrisve, vaginis glabris:

Echinolaena scabra Hb. Kth. Nov. Gen. I. p. 118. tab. 38. R. et S. II. p. 322.

β. Axi glabro; Foliis subcuneato-lanceolatis (latioribus) vaginisque hirsutis:
Cenchrus marginalis Rudge. Guian. p. 19. tab. 25. R. et S. II. p. 258. —
C. inflexus Poir. R. et S. ibid.
Echinolaena hirta Desv. R. et S. II. p. 322.

γ. Axi hirto; Foliis sublineari-lanceolatis (angustis) vaginisque velutinosis (glaucis).

V. spp. Bras.

Culmus circiter sesquipedalis, pl. min. ramosus, saltem basi decumbens, in *α* et *β* glaber, in *γ* pubescens. *Folia* var. *α* et *γ* lineas 2, in *β* 4 lata. *Spiculae* acuminatissimae, inferiores in *α* saepe minus longe acuminatae et propterea breviores. *Glumae* 5-nerves, e glandulis hirsutissimae, in var. *β* induratae. *Flosc. neut.* 2-valvis: valvula inferior superne barbata, 5-nervis. *Hermaphr.* neutro paulo brevior, ellipticus, albus, praecipue in Var. *γ* basi utrinque (ut in *Ichnantho*) membranaceo- sub-alatus: appendicibus tamen non solubilibus.

Panicum Sclerochloa. Racemi (bipollicaris) solitarii axi spicula angustiori, glabro; Spiculis solitariis, bilinealibus, cuneato-oblongis, glabris; Glumis flosculos aequantibus; Foliis lineari-lanceolatis, glabris.

Panicum Sclerochloa Trin. ic. gr. XXIV. tab. 283.

V. spp. Bras.

Culmus pedalis, adscendendo-decumbens, ramosus, rigidus, cum reliqu. part. laete viridis. *Vaginae* compressae, glabrae. *Folia* firma, sulcato-striata, acutiuscula, lineas 3 lata, sesqui — 3-pollicaria. *Racemus* strictus. *Spiculae* 2-seriales, herbaceo-coriaceae, depressiusculae, obtusae. *Glumae* carinatae. *Hermaphr.* chartaceus, superne retuso-attenuatus.

Panicum eriochryseoides N. ab Es. Racemi (sesqui — 3-pollicaris) solitarii axi angusto, puberulo, arcte florifero; Spiculis solitariis, sub- 3-linealibus, lanceolatis, (ferrugineo-) hirsutissimis; Gluma inferiore flosculis tertiam partem breviori, superiore eosdem superante; Foliis linearibus, pilosis.

Panicum eriochryseoides N. ab Es. Agr. bras. p. 103. — *P. ferrugineum Trin.* Diss. II. p. 159. Ic. gr. VIII. tab. 90.

V. spp. Bras.

Culmus sesqui — bi-pedalis, erectus, tenuis, simplex. *Vaginae* radicales sericeo-pubescentes, culmeae superne villosulae. *Folia* fasciculorum subinvoluta, pl. min. palmaria, culmea linea paulo latiora, 2 — 1-pollicaria. *Racemus* pl. min. nutans. *Glumae* dense hirsutae: inferior obtusiuscula, denticulata, 3-nervis, superior acuminata, 5-nervis. *Flosc. neuter* 1-valvis, dense hirsutus. *Hermaphr.* acuminatus, albus, laevis.

Panicum rottböllioides Hb. et Kth. Racemi (3 — 6-pollicaris) solitarii axi angusto, glabriusculo, arctiuscule florifero; Spiculis solitariis, sesquilinealibus, ovato-lanceolatis, praesertim inferne (fulvo-) hirsutis; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, superiore eosdem excedente; Foliis sublanceolato-linearibus, pilosulis pilosisve.

α. Culmo ramoso:

Panicum rottböllioides. R. et S. II. p. 463. Trin. ic. gr. XXIV. tab. 281.

β. Culmo simplici, racemo longiori:

Panicum Lolium N. ab Es. Agr. bras. p. 102. Trin. ic. XXIV. tab. 282.

V. utr. var. spp. Bras.

Culmus 2-pedalis et ultra, erectus, satis tenuis. *Vaginae* inferiores glandulis pilisque adspersae, superiores glabrae. *Folia* firma, latiora lineas 2 lata, inferiora 2 — 3-pollicaria. *Racemus* erectus. *Gluma* inferior truncata, basi et ad margines hirsuta, subenervis; superior obtusa, bifida, basi hirsuta, 3-nervis. *Flosc. neuter* 1-valvis, margine hirsutus. *Hermaphr.* acutus, albus, apice hispidulus. — In *β.* racemus duplo longior, folia magis pilosa.

Panicum exaratum. Racemi (pl. min. pollicaris) solitarii axi angustissimo, glabro, distiche et laxiuscule florifero; Spiculis solitariis, sesquilinealibus, lineari-oblongis (albido-) villosis: Glumis flosculos subaequantibus; Foliis setaceis, glabris.

Panicum exaratum Trin. Diss. II. p. 160. Ic. gr. XVII. tab. 194. N. ab Es. Agr. bras. p. 105.

V. spp. Bras.

Culmi pertenues, simplices. *Vaginae* radicales squamiformes, pubescentes, culmeae glabrae. *Folia* rigidiuscula, fasciculorum digitalia, culmea sesquipollicaria. *Racemus* erectus l. paulo nutans. *Glumae* acutae, 5-nerves: inferior tota, superior margine tantum, tum brevius parciusque inter nervos villosa. *Flosculus neuter* 1-valvis, apicem versus margine hirsutus. *Hermaphr.* acutus, glaber, pallidus.

VIII. B r a c h i a r i a.*)

a) *Spiculis pubescentibus, pilosis, hirsutis l. lanatis.*

Panicum holosericeum Br! Racemis (4-linealibus) alternis, interstitiis subbrevioribus; Spiculis solitariis, laxis, linealibus, oblongis, brevicaudatis, lanatocomatis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito mucronato-aciculato, punctulato-striato; Foliis sublanceolato-linearibus, pilosis.

Panicum holosericeum. R. et S. II. p. 460. Trin. ic. gr. XV. tab. 173. Kth. rev. gr. tab. 18.

V. spp. N. Holl.

Culmus vix pedalis, erectus, tenuis, superne hirsuto-pubescens. *Vaginae* glanduloso-piliferae. *Folia* lineam lata, pollicaria. *Racemi* circiter 6, pauciflori, ad axin hirsutum. *Gluma* inferior aciculato-caudata, superior apice subcucullata. *Flosculus neuter* bivalvis: valvula inferiore caudulata. *Hermaphr.* superne ad margines villos aliquot emittens.

Panicum argenteum Br! Racemis (semipollicaribus) alternis, interstitia subaequantibus; Spiculis solitariis, laxis, linealibus, turbinatis, lanato-comatis; Gluma

*) Ordo in utraque subdivisione secundum racemorum ad axis communis interstitia proportionem (Rac. interstitiis breviores — aequilongi — longiores).

inferiore flosculis triplo breviori; Hermaphrodito mucronulato-acuto, tenerrime punctulato; Foliis sublinearibus, pubescentibus.

Panicum argenteum. R. et S. II. p. 459. Trin. ic. gr. XV. tab. 170.

V. spp. N. Holl.

Similis praecedenti. *Culmus* pede brevior, cum *Vaginis* inferioribus pubescens. *Folia* linea pl. min. angustiora, margine cartilagineo-serrulata, pollice breviora. *Racemi* circiter 5, pauciflori, ad axin tenerrime pubescentem. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior mutica. *Hermaphr.* superne pilo uno alterove adspersus.

Panicum serratum Sprgl. Racemis (3 — 6-linealibus) alternis, interstitia aequantibus; Spiculis solitariis, subimbricatis, linealibus, oblongis, obtusis, villosulo-pilosis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito adunco-mucronato, punctulato; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris, (serratis).

Panicum serratum. Kth. rev. gr. t. 19. — *P. scopuliferum Trin.* ic. gr. XIV. t. 165. (racemis brevioribus).

Holcus serratus Thbg.

Sorghum serratum R. et S. II. p. 839.

V. spp. Cbsp.

Culmus ultrapedalis, erectus, basi ramosus. *Vaginae* inferiores pubescentes. *Folia* stricta: alia compressa, alia plana, e margine indurato et crenulato spinulescentia, lineas 1 — 2 lata, 1 — sesqui-pollicaria. *Racemi* circiter 5, patuli l. recurvo-patentes, ad axin pubescentem. *Spiculae* biseriales. *Flosc. masc.* bivalvis.

Panicum perforatum N. ab Es. Racemis (pl. min. semipollicaribus) alternis, interstitia subaequantibus; Spiculis solitariis geminisve, laxiuscule imbricatis, subultralinealibus, ellipticis, obtusiusculis, hirsutis; Gluma inferiore flosculis $\frac{3}{4}$ et ultra breviori; Hermaphrodito acutiusculo, superne pilis adsperso; Foliis linearibus, dense pilosis.

Panicum perforatum N. ab Es. Agr. bras. p. 126. Trin. ic. gr. XV. t. 175.
V. spp. Bras.

Culmus sesquipedalis, erectus, cum *Vaginis* compressus et pubescens. *Folia* lineam et qu. exc. lata, inferiora spithamaea. *Racemi* 6 — 8, interdum subcompositi, ad axin 2 — 3-pollicarem, pubescentem. *Gluma* superior glandulis nigris adspersa. *Flosc. masc.* bivalvis.

Panicum trachystachyum N. ab Es. Racemi (ultrasemipollicaribus) alternis, interstitia subaequantibus; Spiculis geminis, laxiusculis, subultralinealibus, ellipticis, obtusis, hirsutis; Gluma inferiore pusilla; Hermaphrodito obtusiusculo, superne pilis adsperso; Foliis filiformi-compressis, glabris.

Panicum trachystachyum N. ab Es. Agr. bras. p. 125. Trin. ic. gr. XIV. tab. 167.
V. spp. Bras.

Videtur varietas praecedentis. *Culmus* bipedalis, compressus, infra racemos pubescens. *Vaginae* glabrae. *Folia* angustissima, non nisi basi supra pilosula: inferiora pedalia. *Racemi* 6 — 8, ad axin digitalem, hirsutum. *Spiculae* (ut prioris) e badio sordide canescentes. *Flosc. masc.* bivalvis.

Panicum brachystachyum. Racemis (semipollicaribus) alternis, interstitia aequantibus; Spiculis geminis solitariisque, pectinato-imbricatis, ultra-bilinealibus, ovatis, acutis, hirsutis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis lanceolato-linearibus, pilis adspersis.

Panicum brachystachyum Trin. Diss. II. p. 138. Ic. gr. XIV. tab. 157. N. ab Es. Agr. bras. p. 129.
Echinolaena brachystachya Kth. Agr. syn. p. 172.
V. spp. Bras.

Culmus pedalis, erectus, firmus, praesertim superne pubescens. *Vaginae* glabrae. *Folia* stricta, linea latiora, circiter sesquipollicaria. *Racemi* 3 — 4, patentes, ad axin hirsutiusculum. *Spiculae* compressae. *Flosc. masc.* bivalvis. *Hermaphr.* masculo paulo brevior.

Panicum falciferum. Racemis (subpollicaribus) alternis, interstitia subaequantibus; Spiculis solitariis, imbricatis, subultralinealibus, oblongis, obtusiusculis, dorso margineque hirsuto-pilosis; Gluma inferiore flosculis tertiam partem (dimidio minus) breviori; Hermaphrodito mucronulato, laevi; Foliis angusto-linearibus, glabris.

Panicum falciferum Trin. Diss. II. p. 127. Ic. gr. XIII. tab. 147. Kth. Agr. syn. p. 80.

V. sp. Guin.

Culmus bipedalis, gracilis, simplex. *Vaginae* glabrae. *Folia* subinvoluta l. plana, lineam et qu. exc. lata, pl. min palmaria. *Racemi* (4) per distantias aequales alterni, secundi, falcati, ad axin laevem. *Spiculae* biseriales. *Gluma* inferior obtusa, glabra, multinervis. *Flosc. masc.* vel *neuter* bivalvis.

Panicum pulchellum Raddi. Racemis (semipollice brevioribus) alternis, interstitia pl. min. aequantibus; Spiculis geminis, laxiuscule imbricatis, parvis, ovalibus, acutis, pilosis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis ovatis, pilosulis.

Panicum pulchellum. N. ab Es. Agr. bras. p. 118. Trin. ic. gr. XV. t. 178.
Eriochloa? pulchella Kth. Agr. syn. p. 73.

V. spp. Bras.

Culmus pedalis, adscendendo-repens, tenuis. *Folia* laete viridia, culmea pollicem dimidium lata, pollicem longa. *Racemi* 8 — 12. *Flosculus neuter* bivalvis.

Panicum Isachne Roth! Racemis (pl. min. semipollicaribus) alternis, interstitia aequantibus l. iisdem paulo longioribus; Spiculis solitariis, imbricatis, sublinealibus, ovalibus, acutis, pilosis; Gluma inferiore brevissima; Hermaphrodito obtuso, laevi; Foliis lanceolatis, pubescentibus.

Panicum Isachne. R. et S. II. p. 458. Mant. 2. p. 252.

V. sp. Ind. or.

* Vaginis pubescentibus:

Panicum caucasicum Trin. ic. gr. XXII. tab. 262.

V. spp. Cauc. or.

Glaucescens. *Culmus* pl. min. semipedalis, adscendendo-decumbens, basi ramosissimus. *Vaginae* tumidiusculae. *Folia* lineas 2 et qu. exc. lata, pl. min. pollicaria. *Racemi* 6 — 12, secundi, axi pl. min. adpressi. *Flosc. neuter* bivalvis.

Obs. In planta Indica vaginae glabrae, folia glabriuscula, et racemi inferiores nonnumquam subcompositi.

Panicum velutinosum N. ab Es. Racemis (pl. min. pollicaribus) inferioribus alternis, interstitiis sublongioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiusculis laxisque, subultralinealibus, ovalibus, acutis, pubescendo-pilosis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito pusille mucronulato, ruguloso; Foliis lanceolatis, puberulis l. pubescentibus.

Panicum velutinosum N. ab Es. Agr. bras. p. 121. — *P. Petiverii β. Trin.* Diss. II. p. 144. Ic. gr. XV. tab. 180.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Culmus digitalis — pedalis, adscendens, inferne ramosus, praesertim superne, cum vaginis inferioribus, pubescens. *Folia* lineas 3 — 4 lata, 1 — 2-pollicaria. *Racemi* 9 — 12, ad axin pubescentem. *Spiculae* irregulariter dispositae, fuscescendo-virentes. *Flosc. neuter* 1-valvis.

Panicum distichophyllum. Racemis (pl. min. pollicaribus) alternis, interstitiis longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiusculis, linealibus, obovato-oblongis, acutiusculis, pilosis; Gluma inferiore flosculis subdimidio (plus dimidio) breviori; Hermaphrodito acutiusculo, punctulato-ruguloso; Foliis compresso-sublanceolato-linearibus, margine serrulatis.

Panicum distichophyllum Trin. Diss. II. p. 147. Ic. gr. XVI. tab. 182. Kth. Agr. syn. p. 90. — *P. cartilagineum N. ab Es.* Agr. bras. p. 112.

V. spp. Guin.

Culmus pedalis, adscendens, inferne contracto-ramosus, cum *Vaginis* inferioribus pubescens. *Folia* subamplectentia, attenuato-acuta, rigidula, compressa, linea latiora, cartilagineo-marginata, circiter sesquipollicaria. *Racemi* 7 — 8. *Spiculae* inaequaliter biseriales. *Gluma* inferior flosculis interdum fere triplo brevior. *Flosc. neuter* bivalvis. *Hermaphr.* neutro paulo brevior.

Panicum Helopus. Racemis (inferioribus bipollicaribus) confertiusculo-alternis, interstitiis multo longioribus; Spiculis subsolitariis, laxiuscule imbricatis, fere bilinealibus, ovatis, acutis, dense pubescendo-pilosis; Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori; Hermaphrodito aciculato, ruguloso; Foliis e basi subcordata lanceolatis, pilosulis.

Panicum Helopus Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 84. Ic. gr. XVI. t. 183. — *P. hirsutum Koen!* — *P. Koenigii Sprgl.* S. V.

Oplismenus hirsutus Schult. Mant. 2. p. 271.

Urochloa pubescens Kth. Agr. syn. p. 74.

Setaria hirsuta Kth. ibid. 157.

V. spp. Ind. or. Mascar.

Culmus 1 — 2-pedalis, decumbendo-adscendens, radicans. *Nodi* barbulati. *Vaginae* pilosae. *Folia* lineas 3 — 6 lata, 2 — 4-pollicaria, supra e glandulis pilis adspersa, inferne ciliata. *Racemi* 8 — 10, ad axin superne pubescentem, sesqui — 3-pollicarem. *Axes partiales* saepe pilis adspersi. *Spiculae* 2-, rarius 3-seriales, depressiusculae. *Flosc. neuter* bivalvis.

b) *Spiculis glabris.*

Panicum rarum Br! Racemis brevissimis (1 — 2-floris) alternis; Spiculis linealibus, obovato-oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio-breviori; Hermaphrodito acuto, rugoso: Foliis angustissimo-linearibus, glabris.

Panicum rarum. R. et S. II. p. 459. Trin. ic. gr. XVII. tab. 200. Kth. rev. gr. tab. 15.

V. spp. N. Holl.

Culmus pedalis, pl. min. ramosus. *Vaginae*, excepto margine, glabrae. *Folia* hinc inde glandulis adspersa, 3 — 4-pollicaria. *Axis comm.* circiter digitalis, *partiales* inferiores 1 — 2-flori, lineam longi, superiorum loco *Spiculae* ipsae brevissime pedicellatae. Ad spiculae cujusvis basin axis s. processus subuliformis, spicula brevior.

Panicum flavidum Retz. Racemis 3 — 10-linealibus, alternis, inferioribus interstitiis multo brevioribus; Spiculis solitariis, biseriatim imbricatis, linealibus, subrotundo-oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore (rotundata) flosculis dimidio- (superiore iisdem paulo-) breviori; Hermaphrodito apice adunco, ruguloso; Foliis linearibus, glabris.

Panicum flavidum. R. et S. II. p. 426. Kth. rev. gr. tab. 17. — *P. brizoides Trin.* Diss. II. p. 128. Ic. gr. XIV. tab. 158. 159. — *P. brizaeforme Presl.* rel. Haenk. I. p. 302?

V. spp. Ind. or. Inss. Philip. Jav. Mascar.

* Culmo tenuiori, racemis brevissimis, remotissimis:

Panicum granulare LaM. R. et S. II. p. 426. — *P. distans Trin.* ic. gr. XV. tab. 172.

V. spp. Mascar. N. Holl.

Obs. *Panico brizoide L.* genuino, cujus quidem *Panica flavidum* et *fluitans Retz.* nil nisi varietates esse me persuasum habeo, nondum cum his collato, nomen Retzianum servandum esse duxi. Differt autem *Pan. flavidum* a *P. brizoide*, ipso Retzio teste, non nisi statura minori, racemis interstitia non aequantibus, pauci- (6- nec 13-) floris, spiculis 2- (nec 3-) serialibus; *fluitans* racemis interstitiis longioribus, spiculis 2-serialibus. Hujus specimen ex ipsius Koenigii manu provectum vidi, flavido exacte simile, nisi quod racemos longiores (pollicares) et multi- (ad 20) floros habuerit. Quod denique attinet ad glumas apice violaceo-maculatas, eas, contra Retzium, in racemis multifloris, nec in paucifloris, cujusmodi *flavidi* genuini sunt, invenio. — *Panicum mucronatum Roth* haud magis a brizoide specie diversum esse videtur.

Panicum jubiflorum. Racemis inferioribus pollicaribus, alternis l. fasciculato-sparsis, exceptis supremis, interstitiis multo brevioribus; Spiculis solitariis, biseriatim imbricatis, linealibus, oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma in-

feriore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito mucronulato, acuto, ruguloso; Foliis . . .

Panicum jubiflorum Trin. Diss. II. p. 130. N. ab Es. Agr. bras. p. 117.

V. spp. N. Holl. s. fol.

Specimina, imperfecta quidem, tamen speciei distinctae. *Culmus* videtur 2 — 3-pedalis. *Axis comm.* fere pedalis. Racemi adpressi vel parum patuli. *Glumae* 3-nerves. *Flosculus neuter* univalvis.

Panicum uncinatum Radd. Racemis pl. min. pollicaribus, alternis, interstitiis plerumque brevioribus; Spiculis binis solitariisque, laxis, subsesquilinealibus, ovatis, acutiusculis, racemorum inferiorum glabris, superiorum ad glumam majorem spinuloso-echinatis; Gluma inferiore flosculos subaequante (iisdem nunc breviori nunc longiori); Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis (ovato-) lanceolatis, glabriusculis.

Panicum uncinatum Trin. ic. gr. XVIII. tab. 216. — *P. glandulosum N. ab Es.* Agr. bras. p. 128. — *P. heteranthum Lk!* ht. reg. Ber. I. p. 212. Kth. Agr. syn. p. 92.

Echinolaena polystachya Hb. et Kth. R. et S. II. p. 322. Kth. Agr. syn. p. 172.

V. spp. Bras.

Racemi sub-4, distantes. *Spiculae* in superioribus racemis sensim magis echinatae. *Gluma* inferior saepissime caudulata, acumine tum flosculos superans. *Flosc. neuter* bivalvis. — In culta planta (*P. heteranthum*) spinulae glumae superioris in pilos breves arrectos conversae sunt.

Panicum strictum Br. Racemis 6 — 2-linealibus, alternis, interstitia subaequantibus; Spiculis subsolitariis, laxiusculis, lineam et qu. exc. longis, (sublanceolato-) ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis 4 — 5-plo breviori; Hermaphrodito acutiusculo, sericeo-pubescente; Foliis linearibus, glabriusculis.

Panicum strictum. R. et S. II. p. 459. Trin. ic. gr. XV. tab. 179.

V. spp. N. Holl.

Culmus 1 — 2-pedalis, basi decumbens, stricto-ramosus. *Vaginae* (juniores?) refracto-pilosae, (adultiores?) glabriusculae. *Folia* plana l. margine involuta, rigida, lineam et qu. exc. lata, pollicaria — digitalia. *Racemi* 6 — 8 ad axin sesquipollicarem. *Spiculae* irregulariter biseriales. *Flosculus masculus* 1-valvis.

Panicum paspaloïdes Pers. Racemis pollicaribus, alternis geminisve, interstitiis plerumque paulo longioribus; Spiculis solitariis, biseriatim imbricatis, sublinealibus, oblongis, mucronulatis, glabris; Gluma inferiore (truncata) flosculis ⅔ breviori; Hermaphrodito mucronato, laevi l. tenui-ruguloso; Foliis sublinearibus, glabris.

Panicum paspaloides. Kth. Agr. syn. p. 77. — *P. geminatum Forsk.* — *P. brizoides LaM.* — *P. fluitans Delile!* Fl. aeg. n. 74. — *P. beckmanniaeforme Mik!* — *P. truncatum Trin.* Diss. II. p. 130. Ic. gr. XIV. t. 168. — *P. affine N. ab Es.* Agr. bras. p. 113.

Digitaria affinis R. et S. II. p. 470. (planta humilior).

V. spp. Ind. occ. Bras. Cap. vir. Aegyp. Mascar.

Culmus basi radicans, 1 — 2-pedalis, totus vaginatus. *Vaginae* infimae abbreviatae, aphyllae; superiores laxae, glabrae. *Folia* lineas 2 — 3 lata, subdisticha, inferiora dodrantalia. Racemi 10 — 20, adpressi, satis tenues. *Gluma* inferior amplectens. *Flosculus masc.* l. *neuter* bivalvis.

Panicum subquadriparum. Racemis pl. min. pollicaribus, alternis, interstitiis paulo longioribus; Spiculis solitariis, laxiuscule imbricatis, subultralinealibus, lanceolato-oblongis, acutissimis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito obtusiusculo, punctulato-ruguloso; Foliis lineari-lanceolatis, glabris pilisve adspersis.

Panicum subquadriparum Trin. Diss. II. p. 145. Ic. gr. XVI. tab. 186. Kth. Agr. syn. p. 80.

V. spp. Marian. Ind. or.

Culmus pl. min. pedalis, adscendens, florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae l. ciliatae et e glandulis pilis adspersae. *Folia* semi-amplexicaulia, lineas 2 — 3 lata, 1 — 4-pollicaria. *Racemi* 2 — 5, ad axin 2 — 3-pollicarem. *Flosc. neuter* 2-valvis.

Panicum plantagineum Lk. Racemis sesquipollicaribus, alternis, (superioribus) interstitiis paulo longioribus; Spiculis solitariis, laxiuscule imbricatis, bilinealibus, elliptico-ovatis, obtusiusculis acutiusculisve, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo duplove breviori; Hermaphrodito obtusiusculo, punctato-ruguloso; Foliis sublanceolatis, glabris.

Panicum plantagineum Lk. ht. reg. Berol. I. p. 206. — *P. Leandri Trin.* ic. gr. XXVIII. tab. 335.

V. spp. Bras. et cult. (in hto Berol.)

Culmus 2-pedalis, inferne ramosus. *Vaginae* tenuissime ciliatae. *Folia* basi compressa amplexicaulia, medio lineas circiter 6 lata, majora 4-pollicaria. *Racemi* 8, ad axin fere dodrantalem. *Spiculae* biseriales, interdum obovatae, depressiusculae. *Glumae* tenui- 5 — 7-nerves: inferior apice subrotundata. *Flosc. neut.* 1 — 2-valvis. *Hermaphr.* neutro vix brevior.

Obs. Differentia sola inter plantam Linkii cultam et Brasiliensem nostram in racemis in illa inferne ananthis posita est, reliqua prorsus conveniunt.

Panicum polyphyllum Br! Racemis sesqui — 1-pollicaribus, alternis, interstitiis paulo longioribus; Spiculis solitariis, laxis, linealibus, obovato-oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito acuto, punctato-striato; Foliis lineari-lanceolatis, pilosis.

Panicum polyphyllum. R. et S. II. p. 460. Trin. ic. gr. XV. tab. 177.

V. spp. N. Holl.

Culmus 2-pedalis, decumbens? cum *Vaginis* e glandulis pusillis pilosus. *Folia* lineas 2 — 3 lata, utrinque pubescendo-pilosa, 3-pollicaria. *Racemi* circiter 7, ad axin pubescentem, brevipedunculati. *Spiculae* dissitiusculae, quasi 1-seriales. *Flosc. neut.* 1-valvis.

† *Panicum obtusum Hb. Kth.* Racemis subpollicaribus, alternis, interstitiis paulo longioribus; Spiculis geminis, laxiusculis, sesquilinealibus, obovatis, obtusis, glabris; Gluma inferiore flosculis ⅕ breviori; Hermaphrodito obtusiusculo, laeviusculo; Foliis linearibus, supra puberulis.

Panicum obtusum. R. et S. II. p. 425. Kth. rev. gr. t. 116. Agr. syn. p. 97.

Mexico.

Culmus pedalis, erectus, inferne ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* rigidula, sesquilineam lata, 2 — 4-pollicaria. *Racemi* 4 — 7, ad axin 2 — 3-pollicarem. *Spiculae* sub- 4-seriales. *Gluma* superior flosculis paulo brevior. *Flosc. neuter* 2-valvis. *Hermaphr.* sub lente tenuissime punctulatus.

† *Panicum javanicum Poir.* Racemis bipollicaribus et ultra, alternis, interstitiis longioribus; Spiculis subsolitariis, laxiuscule imbricatis, magnis, ovato-oblongis, acutis, glabris. Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori; Hermaphrodito obtuso, aciculato, ruguloso; Foliis linearibus, pilosis.

Panicum sanguinale Burm.

Oplismenus javanicus R. et S. II. p. 891.

Urochloa panicoides PB. Kth. rev. gr. tab. 14. Agr. syn. p. 74. (an synn. Roxb. et N. ab Es?).

Java. Mascar.

Culmus sub- 2-pedalis, erectus? simplex, nodis *Vaginis* que pilosis. *Folia* utrinque tuberculato-pilosa, lineas fere 3 lata, spithamaea. *Racemi* 3 — 5. *Spiculae* 2-seriales. *Flosc. masc.* 2-valvis. *Hermaphr.* masculo brevior.

Panicum ambiguum. Racemis sesquipollicaribus, alternis, interstitiis longioribus; Spiculis geminis, laxiuscule imbricatis, fere bilinealibus, ovato-lanceolatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis ¼ — ⅕ breviori; Hermaphrodito obtuso, aciculato, tenuissime punctato; Foliis lanceolato-linearibus, glabriusculis.

Urochloa paspaloides Presl. rel. Haenk. I. p. 318. Kth. Agr. syn. p. 75.

V. sp. Manill.

Descript. cel. PRESLII optima. *Culmus* speciminis nostri prostratus, ramosus, nodis puberulis. *Folia* in pagina superiore tuberculis minutissimis, in inferiore pilis adeo brevibus adspersa, ut lentis ope tantum cognosci possint. *Racemi* 3, pallidi. — *Paspalo annulato* habitu persimile.

Panicum glumare. Racemis sesquipollicaribus, alternis, interstitiis longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiusculis, subultralinealibus, lanceolato-ovatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis parum breviori; Hermaphrodito obtusiusculo, aciculato, punctulato-subruguloso; Foliis linearibus, subpubescentibus.

Panicum glumare Trin. Diss. II. p. 143.

Urochloa glabra Brongn. Dup. it. Bot. p. 121.

V. spp. N. Zeel.

Culmus (abscissus) 1 — 2-pedalis? decumbens? ramosus. *Vaginae* pubescentes. *Folia* lineas 2 — 3-lata, inferiora dodrantalia, superiora racemos superantia. *Racemi* (4) ad axin bipollicarem, pubescentem. *Gluma* superior subacuminata, *flosculum neutrum* bivalvem excedens.

Panicum numidianum LaM. Racemis (inferioribus nonnumquam subcompositis) sesqui — 3-pollicaribus, alternis, interstitiis longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiuscule et subirregulariter imbricatis, linea longioribus, (sublanceolato-) oblongis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori; Hermaphrodito acutiusculo, cuspidulato, tenuissime punctulato; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum numidianum. R. et S. II. p. 433. Trin. ic. gr. XV. tab. 174. N. ab. Es. Agr. bras. p. 122.

V. spp. Aegypt. Bras.

Culmus tripedalis, erectus, subramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* lineas 2 — 3 lata, palmaria — spithamaea. *Racemi* 7 — 12, ad axin sesqui — 2-palmarem solitarii interdum gemini. Spiculae 2 — 3-seriales. *Gluma* inferior solito angustior. *Flosc. neut.* l. *masc.* 2-valvis.

Panicum adspersum. Racemis pl. min. sesquipollicaribus, (confertiusculo-) alternis, interstitiis longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxis l. interrupte et irregulariter subimbricatis, linealibus, obovato-oblongis, acuminatis, glabris l. obsolete pubescentibus; Gluma inferiore flosculis triplo breviori; Hermaphrodito acutiusculo, punctato-ruguloso; Foliis lanceolatis, glabris.

Panicum adspersum Trin. ic. gr. XV. tab. 169. Kth. Agr. syn. p. 90. — *P. caespitosum Sprgl!* S. V. p. 310, (excl. synn.)

V. spp. Doming.

Culmus 1 — 2-pedalis, decumbendo-adscendens, pl. min. ramosus. *Vaginae* pubescendo-ciliatae. *Folia* interdum oblongo-lanceolata, basi amplectentia, lineas 3 — 5 lata, sesqui — 3-pollicaria. *Racemi* 3 — 6, ad axin 1 — 2-pollicarem. *Spiculae* non distincte seriatae, glabrae l. pube vaga adspersae. *Flosc. neut.* 2-valvis.

Panicum pyramidale LaM. Racemis 1 — sesqui-pollicaribus, conferto-jubatis, interstitiis multo longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiusculis, linealibus, oblongis, mucronatis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori; Hermaphrodito mucronato l. aciculato, ruguloso l. laevi; Foliis sublanceolatis linearibusve, glabris.

Panicum pyramidale. R. et S. II. p. 428.

α. Vaginis glabris, fol. linearibus, axi partiali epili, spiculis ad nervos superne hispidis, herm. mucronulato, laevi:

Panicum pyramidale. Kth. rev. gr. tab. 23. Agr. syn. p. 93.

V. sp. Senegal.

β. Vaginis glanduloso-pilosis, fol. sublanceolatis, axi partiali ad pedicellos pilifero, herm. aciculato, ruguloso:

V. spp. Guin.

Var. α folia (superiora) lineas $2\frac{1}{2}$ lata, pedalia; hermaphroditus acutus, leviter striatus. *Var. β* folia (superiora) sensim attenuato-acuminata, subam-

plectentia, inferne lineas 6 lata, pollices 5 longa. Ad spicularum pedicellos pili spicula longiores; Herm. obtusus, acicula brevi. — In utraque var. racemi plurimi, basi barbati, conferto-alterni et subverticillato-fasciculati, jubam constituunt 6 — 10-pollicarem, sublanceolatam, patulam.

Panicum prostratum LaM. Racemis (nonnumquam subcompositis) semi — 1-pollicaribus, conferto-alternis, interstitiis multo longioribus; Spiculis geminis solitariisque, laxiusculis laxisve, sublinealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori; Hermaphrodito cuspidato-mucronulato, punctato-striato, subruguloso; Foliis lanceolato-cordatis, l. e basi cordata lanceolatis, glabris (ciliatis).

Panicum procumbens N. ab Es. Agr. bras. p. 109.

Pedicelli nunc nudi, nunc pl. min. setigeri: setis vagis. Ad var. *α*, pedicellis setigeris, synonyma:

Panicum prostratum. Trin. ic. gr. XVI. tab. 185. A. — *P. setigerum Retz.* R. et S. II. p. 436. (sub *P. grossario*). — *P. grossarium herb.* non *L.* — *P. repens* (*Burm.*) *Roxb!* Schult. Mant. 2. p. 232. — an *P. barbatum LaM?* R. et S. II. p. 428. (var. racemis subcompositis?)

Echinochloa setigera R. et S. II. p. 480. Mant. 2. p. 270.

V. spp. Ind. occ. et or. Jav. Mascar.

β. Idem, culmo flaccido, foliis angustioribus, racemis paucioribus: (Trin. l. l. tab. 185. B. planta minor):

Panicum umbrosum Retz. Kth. Agr. syn. p. 90. (an synn.?)

Digitaria umbrosa Pers. R. et S. II. p. 475.

V. spp. Ind. or.

γ. Pedicellis plerumque nudis:

Panicum caespitosum Sw! R. et S. II. p. 430. 883.

V. spp. Ind. occ.

δ. Idem, foliis margine subcartilagineo-serratis (Trin. l. l. tab. 184.):
Panicum Sieberi Lk. — an *P. subcordatum Roth.* R. et S. II. p. 480. Mant. 2. p. 270. (sub. *Echinochloa;* spiculae autem obtusae dicuntur).

V. spp. Aegypt.

Culmus 1 — 2-pedalis, repens, ramosus, nodis pubescentibus. *Vaginae* aut totae glabrae, aut ciliatae. *Folia* plerumque basi ciliata, semper pl. min. amplexicaulia, 1 — 2-pollicaria. *Racemi* 4 — 15 ad axin 1 — 2-pollicarem. *Flosculus neuter* bivalvis.

IX. V i r g a r i a.*)

a) *Gluma inferiore flosculis dimidio magisve breviori (interdum nulla).*

Panicum obseptum. Radiis subracemiformibus, simpliciusculis, alternis, contractis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis subultralinealibus, lanceolato-ovatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis 4 — 5plo breviori, enervi, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acuto, tenuissime striato; Foliis angusto-linearibus, glabris: supremis racemos aequantibus vel superantibus.

Panicum obseptum Trin. Diss. II. p. 149. Kth. Agr. syn. p. 80.

V. spp. N. Holl.

Culmus semi — ultra-pedalis, decumbens, subsimplex. *Nodi* plurimi, barbulati. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineam dimidiam vel integram lata, 1 — 3-pollicaria, strictiuscula, superiora aliquot confertiora racemos involucrantia. *Axis communis* pl. min. pollicaris. *Racemi* pauci, paulo laxiflori, pollice breviores. *Pedicelli* validiusculi. *Flosculus neuter* 1-valvis, 5 — 7-nervis, cum gluma superiori *Hermaphr.* lineari-elliptico vix longior.

---

*) Ordo incipiens a radiis racemiformibus (racemis simpliciusculis), per radios magis compositos — virgatos — progreditur ad radios decompositos.

Panicum floridanum. Radiis racemiformibus simpliciusculis, alternis, contractis; Pedicellis brevissimis; Spiculis fere bilinealibus, ovatis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore nunc minima nullave, nunc flosculis triplo duplove breviori, superiore 5-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, excepta basi glabris.

V. spp. Florid. Alabam.

Culmus 4-pedalis, satis gracilis, ad nodos villosulo-pubescens. *Vaginae* glabrae vel molliter et longiuscule villosulae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* firmula, lineas 2 — 4-lata, basin versus supra villosula, interdum pruinosa: inferiora dodrantalia — spithamaea, sensim breviora. *Racemi* 2 — 5, dissite alterni, 3 — 4 pollicares, basi villosulo-barbati, ad axin in gramine pluristachyo dodrantalem. *Racemuli* 2 — 3-flori, nunc remotissimi ita, ut radios (racemos) singulos depauperatissimos (6 — 7-paros) reddant, nunc magis approximati magisque contigui, plerumque tamen pl. min. interrupto-dissiti. *Spiculae* laxae, turgidae. *Gluma* inferior in uno eodemque individuo longitudine varians. *Flosc. neut.* 1-valvis, 5-nervis.

***Panicum altissimum** Meyer.* Radiis racemiformibus simpliciusculis, verticillatis, patentissimis; Pedicellis brevissimis; Spiculis sesquilinealibus, ovato-oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis 3 — 5^{plo} breviori, 3-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis lato-lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum altissimum. N. ab Es. Agr. bras. p. 155. — ***P.** megiston **Schult.*** Mant. 2. p. 248. — ***P.** tuberculatum **Presl.*** rel. Haenk. I. p. 307. (ubi vero gluma superior 5-nervis dicitur). — ***P.** elatius **Kth.*** Agr. syn. p. 121.

V. spp. Bras.

Culmus 4 — 5-orgyalis, ramosus. *Vaginae* glandulis adspersae. *Folia* pollicem lata vel latiora, ultrapedalia. *Panicula* sesquipedalis. *Racemi* spithamaei — dodrantales, in singulis verticillis plurimi, inferne pl. min. longe ananthi. *Racemuli* biflori. *Spiculae* laxae, turgidae. *Flosc. neuter* 2-valvis.

Panicum plicatum LaM. Radiis racemiformibus (2 — 8-pollicaribus) simpliciusculis, jubato-sparsis, patentibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore 3-nervi, flosculis quadruplo-, superiore 5-nervi, iidem ¼ breviori; Hermaphrodito acutiusculo (mutico cuspidulatove) demum ruguloso; Foliis lato-lanceolatis (plicato-costatis), pilis rariusculis hirtis.

Panicum plicatum. R. et S. II. p. 428 et 882. Mant. 2. p. 228. Trin. ic. gr. XIX. tab. 223.

V. spp. Mascar. Nepal.

* Foliis latioribus (poll. 2 latis), racemis minus dense confertis:

Panicum palmifolium Poir. R. et S. II. p. 882. Mant. 2. p. 228.

Obs. Var. * videtur gramen in hortis nostris cultum; plantae spontaneae enim, quotcumque ejusdem viderim exempla, cultae alioquin simillimae, folia semper angustiora sunt. — Racemi in Nepalensibus interdum spithamaei l. dodrantales (an haec: *Pan. nervosum Roxb.* — *P. neurodes R. et S.* — *P. nepalense Sprgl.*?)

Spicularum structura prorsus ut in Subdiv. VI. a, β; quid, quod in spontanea planta racemulorum axis saepissime in setam pl. min. longam excurrit. (Conf. *Pan. excurrens.*)

Panicum costatum Roxb! Radiis racemiformibus (pollice brevioribus) simpliciusculis, patenti-confertissimis; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore 3-nervi, flosculis quadruplo-, superiore 5-nervi, iisdem subduplo breviori; Hermaphrodito mucronato-acuto, ruguloso; Foliis lanceolatis (plicato-costatis), hirtis.

Panicum costatum. Schult. Mant. 2. p. 228. Trin. Diss. II. p. 135.

V. sp. Mascar.

Culmus repens, 3 — 6-pedalis, infra racemos hirtus, nodis barbulatis. *Vaginae* praesertim marginem versus e tuberculis piliferae. *Ligula* ciliaris. *Folia* medio pollicem dimidium vel integrum lata, spithamaea, superiora breviora et angustiora. *Juba* in specimine nostro bipollicaris, densissima. *Axis comm.* hirsutus. *Spiculae* imbricatae, glaucescentes. *Flosc. neut.* bivalvis. — *P. plicato* nimis affine.

Panicum marginatum Br. Radiis racemiformibus simpliciusculis compositisve, alternis jubatisve, contractis; Pedicellis brevissimis; Spiculis ultralinealibus, lanceolato-ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo magisve breviori, enervi, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, sericeo-pubescente; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris.

Panicum marginatum. R. et S. II. p. 460. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 209.

V. spp. N. Holl.

Culmus pedalis, procumbens, ramosus, nodis pubescentibus. *Vaginae* glabrae l. tuberculis saepe piliferis exasperatae. *Folia* (siccitate interdum involuta) lineas 2 et qu. exc. lata, supra pl. min. aspera, 2 — 5-pollicaria. *Axis comm.* 2 — 3-pollicaris. *Racemi* pollice breviores. *Racemuli*, ubi adsunt, circiter 3-lineales. *Spiculae* laxiusculae. *Flosc. neut.* 1-valvis.

Panicum excelsum N. ab Es. Radiis racemiformibus simpliciusculis, confertissimo-jubatis, adpresso-contractis; Pedicellis spicula paulo brevioribus; Spiculis sublinealibus, lineari-subellipticis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo l. subduplo breviori, 3-, superiore (iisdem $\frac{1}{4}$ breviori) 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis acuminatissimo-linearibus (amplexicaulibus) glabris.

Panicum excelsum N. ab Es. Agr. bras. p. 180.

V. spp. Bras.

Culmus orgyalis, simplex, strictus. *Vaginae* glabrae. *Folia* stricto-erecta, firma, arcte amplectentia, inferne compressa, dein plana, pl. min. pollicem dimidium lata, sesquipedalia. *Juba* dodrantalis — sesquipedalis, lanceolata, glaucescens, axi glabro. *Racemi* angusti, stricto-erecti. *Racemuli* brevissimi, 5 — 6-flori. *Spiculae* hinc arcuato-convexae. *Flosc. neut.* 1-valvis.

Panicum stoloniferum Poir. Radiis racemiformibus simpliciusculis, alternis jubatisve, cum Racemulis contractis, illisve pl. min. patentibus. Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovato-lanceolatis, acutissimis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo vel subduplo breviori, 3-, superiore (flosculis parum

breviori) 5-nervi; Hermaphrodito (neutro dimidio minori) acutiusculo, laevi; Foliis ovato-lanceolatis, glabris.

α. Majus, racemis confertissimo-jubatis:

Panicum frondescens Meyer Esseq. Schult. Mant. 2. p. 236. N. ab Es. Agr. bras. p. 177. Kth. Agr. syn. p. 91. (excl. syn. Trin.) — *P. olyraefolium Radd.* Agr. bras. p. 43. — *P. stoloniferum, var. major Kth.* rev. gr. tab. 108. — *P. brachyclados Rchbch.* in Weig. hb. Surin.

V. spp. Guian. Bras.

β. Minus, racemis pl. min. patentibus, distinctius alternis:

Panicum stoloniferum Poir. R. et S. II. p. 883. Kth. rev. gr. tab. 22. — *P. ctenodes Trin.* ic. gr. XV. tab. 171.

V. spp. Bras.

Culmus semi — ultra-pedalis, repens, ramis erectis. *Vaginae* pl. min. ciliatae. *Folia* in gramine humiliori lineam dimidiam — lineas 3 lata, lineas 4 — 12 longa; in majori lineas 6 — 10 lata, 2 — 4-pollicaria; interdum subtus pilis brevissimis adspersa. *Racemi* in *β*, 5 — 12, discreti, in *α*, plurimi, dense conferti, jubam constituentes lineari-lanceolatam, 3 — 6-pollicarem, *Axi* nunc pubescente, nunc pl. min. glabro. *Racemuli* brevissimi. *Spiculae* fusco-virides. *Glumae* ad carinam superne hispidulae. *Flosc. neuter* 2-valvis.

Panicum paludicola N. ab Es. Radiis racemiformibus, simpliciusculis, jubatis, racemulisque contractis; Pedicellis brevissimis; Spiculis subsesquilinealibus, lanceolatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo triplove breviori, 3-, superiore (iisdem paulo minori) 5-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo breviore) acuto, laevi; Foliis cordato-lanceolatis, amplexicaulibus, glabriusculis.

Panicum palustre Trin. Diss. II. p. 181. — *P. frondescens Trin.* ic. gr. XIX. tab. 288. (in descriptione affines species confusae).

V. spp. Bras.

* Foliis angustioribus, juba minus densa:

V. spp. Jav. Manill.

Culmus tripedalis, erectus, simplex aut ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* in planta Bras. lineas 9 — pollices 1 — 1½, in orientali lineas 3 — 5 lata; supra plerumque pilis brevissimis adspersa, ultrapalmaria — dodrantalia. *Juba* spithamaea — ultrapedalis, pallide virens. *Racemi* infimi pl. min. remoti. *Racemuli* 2 — 4-lineales. *Flosc. neuter* 1 — 2-valvis.

Panicum pilosum Sw. Radiis racemiformibus simpliciusculis (plerumque pilosis) jubatis, erecto-patulis; Pedicellis brevissimis; Spiculis minimis l. perparvis, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis (e basi ovata l. subcordata) lineari-lanceolatis, glabriusculis.

Panicum pilosum. R. et S. II. p. 427. N. ab Es. Agr. bras. p. 183. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 213. — *P. pilisparsum Meyer.* Schult. Mant. 2. p 248. — *P. trichophorum Schrad.* Schult. l. l. p. 247. — *P. heterophyllum Sprgl.* n. Entd. — *P. Sprengelianum Schult.* l. l. p. 234.

Setaria pilosa, *Meyeri* et *Schraderi Kth.* rev. gr. p. 47.

V. spp. Guian. Bras. O-Tait.

Culmus pl. min. 2-pedalis, erectus et erecto-ramulosus, l. basi decumbens ramis divaricatis: illius nodi glabri, hujus barbati. *Vaginae* ciliatae. *Folia* (latiora) pollicem dimidium lata, digitalia — dodrantalia. *Juba* lineari-lanceolata, spithamaea et longior. *Racemi* 1 — 2-pollicares. *Axes partiales* plerumque e marginum tuberculis pilosi, aut pilis adspersi tantum, rarius prorsus epiles. *Racemuli* 2 — 6-flori. *Spiculae* ad carinas palearum denticulatae, circiter lineam dimidiam longae. *Flosc. neuter* l. *masc.* 1 — 2-valvis. *Hermaphr.* flosculo incompleto parum brevior.

Obs. Conf. infra p. 264. *Pan. polygonatum.*

Panicum laxum Sw! Radiis racemiformibus simpliciusculis compositisve (nudis) alternis jubatisque, patentibus vel cum Radiolis pl. min. contractis; Pedi-

cellis brevissimis: Spiculis minimis, lanceolato-ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis plus duplo breviori, 1—3-, superiore 3—5-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, apice subbarbulato, laevi; Foliis lanceolato-linearibus (vel linearibus tantum), glabris.

Panicum laxum. R. et S. II. p. 453. — *P. tenuiculmum Meyer.* Schult. Mant. 2. p. 247. N. ab Es. Agr. bras. p. 186. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 215. — *P. agrostidiforme Radd.* — *P. diandrum Kth.* rev. gr. tab. 110. Agr. syn. p. 96.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Culmus 1—3-pedalis, nunc tenuis et debilis, nunc inferne crassitie pennae gallinaceae et firmus, pl. min. compressus, simplex vel ramosus. *Vaginae* glabrae l. superne ciliatae. *Folia* plana l. compressa, lineas 1—3 lata, 1—sesqui-palmaria. *Racemi* 1—3-pollicares, solitarii, tenues, inferiores remoti, superiores conferti, ad axin palmarem—spithamaeum. *Racemuli* 2—5-lineales. *Flosc. neut.* 2-valvis.

Obs. A priori, cujus varietati epili valde simile, dignoscitur radiis, ob radiolos plerumque evidentiores minus linearibus, magis sparsis, longioribus; foliis angustioribus.

Panicum amplexicaule Rudge. Radiis racemiformibus simpliciusculis, in jubam thyrsodem densissimam angustamque coarctatis; Pedicellis brevissimis; Spiculis bilinealibus, lineari-lanceolatis, acuminatis, glabris; Glumis 3-nervibus: inferiore flosculis $\frac{3}{4}$ breviori; Hermaphrodito acuminato, laevi; Foliis (amplexicaulibus) lato-lineari-lanceolatis, glabris.

Panicum amplexicaule. R. et S. II. p. 456. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 205. — *P. myuros Kth.* Agr. syn. p. 86. (an *Rich.* et *LaM.*, quibus spiculae minimae dicuntur?)

Agrostis myuros LaM. — *A. monostachya Poir.*

Hymenachne myuros PB. R. et S. II. p. 468. N. ab Es. Agr. bras. p. 275.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Culmus orgyalis, ramosus. *Folia* pollices ½ — 2 lata, pl. min. pedalia. *Juba thyrsodes* cylindrico-angustata, pedalis et longior, viridis. *Flosc. neuter* 1-valvis, glumam superiorem excedens. *Hermaphroditus* chartaceus, neutro paulo brevior.

Obs. *Panicum polystachyum Presl.* rel. Haenk. I. p. 312. huic nimis affine videtur, thyrso breviori et racemis patulis differens.

Panicum vilvoides. Radiis racemiformibus (brevissimis) simpliciusculis, in thyrsum angustissimum densissimumque coarctatis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis linealibus, ovatis, acutatis, glabris; Gluma inferiore flosculis subtriplo breviori, (praeter carinam) tenui- pluri-nervi, superiore 9-nervi; Hermaphrodito (neutro duplo minori) adunco-mucronulato, laevi; Foliis linearibus, glabris.

Panicum vilvoides Trin. Diss. II. p. 171. Ic. gr. XVII. tab. 204. Kth. Agr. syn. p. 88.

Hymenachne fluviatilis N. ab Es! Agr. bras. p. 273.

V. spp. Guian. Bras. Guin.

Culmus sesquipedalis, compressus, basi contracto-ramosus. *Vaginae* compressae, glabrae. *Folia* lineas 2 — 3 lata, inferiora ultraspithamaea. *Thyrsus* gracilis, spithamaeus — sesquipedalis, siccus fuscescens. *Radii* brevissimi, appressi. *Spiculae* pl. min. horizontales, compressae, supra paulo arcuatae. *Gluma* inferior praeter carinam nervis 12 — 14 tenuissimis notata. *Flosculus neuter* bivalvis: valv. inf. 9-nervis.

Panicum gibbum Ell. Radiis subracemiformibus simpliciusculis compositisve, in thyrsum contractis; Pedicellis spiculam aequantibus; Spiculis bilinealibus, lanceolato- l. elliptico-ovatis, nunc acutis nunc pl. min. obtusis, glabris; Gluma inferiore flosculis subquadruplo breviori, 3-, superiore 11-nervi; Hermaphrodito (neutro duplo minore) obtusiusculo, laevi; Foliis pl. min. lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum Elliottianum Schult. Mant. II. p. 256. Kth. Agr. syn. p. 88.

V. spp. Am bor. (Delaware).

Culmus videtur 3-pedalis, inferne contracto-ramosus. *Vaginae* pl. min. ciliatae. *Folia* plana vel compressa, lineas 3 — 6 lata, inferiora spithamaea et fortasse longiora. *Juba thyrsodes* spithamaea et ultra, circiter lineas 3 — 4 lata. *Radii* (inferiores) pl. min. pollicares, contracto-radiolosi. *Spiculae* deciduae, saepe a parte glumae superioris gibbae. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Obs. Simillimum *Pan. uliginosum Roth* differt spiculis (fuscescentibus) ovalibus, non gibbis; Gluma inferiore obtusa, praeter carinam tenuissime plurinervi, superiore et flosculi masculi valv. inf. 9-nervibus; Hermaphr. sessili, masculo tertiam quartamve partem tantum breviori. — *Pan. strumosum Presl.* (rel. Haenk. I. p. 303.) *Pan. gibbo* affinius videtur, differens glumis 7-nervibus: inferiore flosculis duplo tantum breviori, superiore piloso-hispida.

Panicum leucophaeum Hb. et Kth. Radiis racemiformibus simpliciusculis, contracto-jubatis; Pedicellis brevibus spiculamve aequantibus; Spiculis 2 — 3-linealibus, lineari-lanceolatis, acutis, lanatis; Gluma inferiore minuta, superiore 3 — 5 nervi; Hermaphrodito acuminato, tenuissime punctulato; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Andropogon insularis L. sp. pl. ed. 2.

Milium villosum Sw.

Panicum leucophaeum. Kth. Agr. syn. p. 124. Trin. ic. gr. XIX. t. 220. — *P. insulare Meyer* Esseq.

Monachne unilateralis R. et S. II. p. 468. (neque vero PB. Agr. Tab. X. f. 9.)

Trichachne insularis N. ab Es. Agr. bras. p. 86.

β. Spiculis plerumque brevius pedicellatis, foliis angustioribus:

Milium hirsutum PB. Agr. Tab. V. f. 5.

Acicarpa sacchariflora Radd. Agr. bras. p. 31.

Trichachne sacchariflora N. ab Es. Agr. bras. p. 87.

V. spp. Ind. occ. Bras.

Culmus 2 — 5-pedalis. *Folia* lin. 2 — 4 lata, spithamaea — ultrapedalia, in var. α scabriuscula, in β laevia. *Racemi* in α plerumque plurimi, in β pauciores.

Panicum vestitum Kth. Radiis racemiformibus simpliciusculis, contracto-jubatis; Pedicellis, spicula plerumque brevioribus; Spiculis bilinealibus, lanceolato-ovatis, acutis, villosis; Gluma inferiore minuta, superiore (flosculis nonnihil breviori) 7-nervi; Hermaphrodito acuto, obsolete striatulo; Foliis sublanceolato-linearibus, pilosis.

Panicum vestitum Kth. Agr. syn. p. 125.

Trichachne velutina N. ab Es. Agr. bras. p. 90.

V. sp. Bras.

Culmus circiter 3-pedalis. *Folia* (in specimine nostro) lineas 2 lata, dodrantalia et breviora, cum *Vaginis* brevi-hirsuta. *Juba* dodrantalis, Radiis (7) subfastigiatis.

Obs. A praecedente, cui similis, praecipue spiculis latioribus, minus acutis, minus longe villosis, hermaphrodito non punctulato et vaginis, praesertim radicalibus, dense hirsutis distinguitur.

Panicum barbinode. Radiis racemiformibus simpliciusculis compositisve, alternis jubatisve, patentibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis 3 — 4-plo breviori, subenervi, superiore 5-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, punctulato; Foliis latiusculo-linearibus, glabris (vaginis nodisque subsericeo-pilosis).

Panicum barbinode Trin. ic. gr. XXVII. tab. 318.

V. spp. Bras.

Culmus 3-pedalis, inferne ramosus. *Nodi* dense et candide barbati. *Vaginae* compressae, praesertim inferne, dorso et margines versus laxiuscule pilosae. *Ligula* tomentoso-ciliaris. *Folia* lineas 4 — 5 lata, pl. min. spithamaea. *Juba* spithamaea — dodrantalis. *Racemi* 3 — 4-pollicares, nunc omnes simpliciusculi, nunc infimi racemulos 3 — 6-lineales patulos emittentes. *Spiculae* fasciculato-imbricatae. *Flosc. neuter* 2-valvis.

Panicum fuscum Sw. Radiis subracemiformibus, plerumque a basi compositis, subverticillatis sparsisque, nunc cum racemulis contractiusculis, nunc pl. min. patentibus; Pedicellis brevissimis spiculamve aequantibus; Spiculis linealibus, oblongis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis subdimidio breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, ruguloso; Foliis (latiusculo-) lanceolato-linearibus, glabris.

α. Racemulis simplicibus racemisque contractioribus, vaginis glabriusculis l. pilosulis tantum:

Panicum fuscum Sw! R. et S. II. p. 439. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 206. Kth. Agr. syn. p. 94. — *P. fuscorubens LaM.*

V. spp. Ind. occ.

β. Racemulis subcompositis racemisque patentibus, vaginis hirsutioribus:

Panicum fasciculatum Sw. R. et S. II. p. 427. Kth. Agr. syn. p. 94. — *P. fastigiatum Poir.*

V. spp. Bras.

Culmus 1 — 2-pedalis et ultra, erectus l. procumbens, inferne pl. min. ramosus, nodis puberulis barbulatisve. *Folia* lineas 4 — 6 lata, palmaria — spithamaea. *Axis comm.* pl. min. palmaris, pubescens l. hirsutus. *Racemuli* 3 — 5 lineales. *Flosc. neut.* 2-valvis.

Panicum compressum Biv. Radiis subracemiformibus simpliciusculis vel a basi compositis, verticillatis, patulis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis linealibus, elliptico-ovalibus, acutiusculis, sub lente pilosulis; Gluma inferiore flosculis circiter triplo breviori, 1 — 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, tenuissime ruguloso; Foliis sublanceolato-linearibus, pubescentibus.

Panicum compressum. Schult. Mant. 2. p. 232. Kth. Agr. syn. p. 97.

V. spp. Panorm.

Culmus ultrapedalis, compressus, nodis barbulatis. *Vaginae* tenui-pubescentes. *Ligula* membranacea, ciliis stipata. *Folia* circiter sesquilineam lata,

2 — 3-pollicaria. *Panicula* 1 — 2-palmaris, strictiuscula, e viridi purpureoque varia. *Radii* in verticillo plures, plerumque a basi floriferi. *Spiculae* laxae.

† ***Panicum arvense Kth.*** Radiis subracemiformibus a basi brevi-compositis, paniculatis, radiolisque patulis; Pedicellis spiculam subaequantibus (pilo uno alterove munitis); Spiculis ultralinealibus, ovato-ellipticis, acutis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, 5-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito mucronulato, ruguloso; Foliis lineari-lanceolatis, glabris.

Panicum arvense Kth. rev. gr. tab. 109. Agr. syn. p. 93.

Senegal.

Culmus 2-pedalis et altior, basi decumbens, nodis barbatis, *Vaginae* glabrae, superne ciliatae. *Ligula* ciliaris. *Folia* basi rotundata, lineas 4 — 6 lata, pollices 4 — 6 longa. *Radii* inferiores subdecompositi. *Spiculae* depressiusculae, geminae. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum trachypus. Radiis subracemiformibus, a basi brevi-compositis, alternis, radiolisque patulis; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, obovatis, submucronulatis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis 3 — 4-plo breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito mucronato, rugoso; Foliis e basi cordata lanceolatis, glabris.

V. sp. Nepal.

Culmus (abscissus) sesquipedalis, cum ramo axillari florifero. *Vaginae* superne tenui-tuberculosae. *Folia* lineas 6 — 7 lata, 4-pollicaria, cum panicula s. juba 4-pollicari e pallide viridi flaventia. *Racemi* circiter 10. *Racemuli* 4 — 6-lineales, in racemis superioribus breviores. *Spiculae* geminae: altera subsessilis, altera brevi-pedicellata: pedicellis plerumque pilos satis longos emittentibus. *Flosc. neuter* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum simplex Rottl. Radiis subracemiformibus, paulo superius parce compositis (paucifloris), alternis, radiolisque contractis; Pedicellis spicula plerumque paulo longioribus; Spiculis subsesquilinealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio aut paulo magis breviori, 5-, superiore

11-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minore) acuto, laevi; Foliis angusto-lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum simplex. Trin. Diss. II. p. 216. — Sub *P. attenuato* N. ab Es. Agr. bras. p. 174.

V. spp. Ind. or.

Culmus ultrapedalis, debilis, simplex, compressus. *Ligula* ciliaris. *Vaginae* cum *Foliis*, linea parum latioribus, 5-pollicaribus, glabrae. *Panicula* sublineari-contracta, e *radiis* 4 — 5 composita, albido-virens. *Spiculae* remotae. *Flosc. neuter* 2-valvis: valv. inf. 7 — 9-nervis.

Obs. Simillimum sequenti et *P. depauperato.* — A *P. attenuato* diversum panicula depauperata, hermaphrodito neutro paulo minori, pedicellis longioribus, spiculis majoribus et patria.

***Panicum diffusum* Sw.** Radiis subracemiformibus, superius parce compositis (subpaucifloris) alternis, patentibus; Radiolis contractis; Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem longioribus; Spiculis linealibus, ovalibus ovatisve, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 5-, superiore 11 — 13-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minore) acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, glabris.

Panicum diffusum. R. et S. II. p. 441. Trin. ic. gr. XXII. tab. 263. N. ab Es. Agr. bras. p. 172. (neque *P. debile Poir.* nec *P. divaricatum Mchx.*, sub quo nom. mis. b. Sprengel, huc referenda videntur).

V. spp. Ind. occ.

Simillimum *P. simplici* differt nodis inferioribus barbatis; *culmo* tereti, subfiliformi, ramoso: ramis (interdum fasciculatis) plerumque elongatis, floriferis; *Spiculis* minoribus, non adeo, ac in illo, remotis. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 9-nervis.

Panicum Petiverii. Radiis aut subracemosis et simpliciusculis; aut subvirgatis et a basi compositis, alternis jubatisve, patentibus; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis linealibus, ovalibus, pl. min. acutis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphro-

dito minute mucronulato, ruguloso; Foliis lineari-lanceolatis, pubescentibus glabrisve.

Panicum Petiverii Trin. Diss. II. p. 144. Ic. gr. XV. tab. 176. N. ab Es. Agr. bras. p. 111.

V. spp. Ind. or.

Culmus decumbens, spithamaeus — sesquipedalis, ramosus, cum *Vaginis* inferioribus saepe pubescens. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 1 — 3 lata, 1 — 5-pollicaria. *Radii* dissitiusculi, 1 — 2-pollicares. *Spiculae* laxae. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum megastachyum N. ab Es. Radiis subracemiformi-virgatis, plerumque a basi compositis (dissitifloris), subpaniculatis radiolisque patentibus patentissimisve; Pedicellis spicula brevioribus (cum axi radiisque pubescentibus); Spiculis sub-bilinealibus, ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, punctulato; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum megastachyum N. ab Es! Agr. bras. p. 154. Trin. Diss. II. p. 205. Ic. gr. XX. tab. 234.

V. spp. Bras.

Totum gilvum. *Culmus* 6 — 8-pedalis, erectus, florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 3 — 6 lata, dodrantalia et breviora. *Paniculae* ultrapedales, lucidissimae. *Gluma* superior flosculis interdum paulo brevior. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

† *Panicum Urvilleanum Kth.* Radiis subvirgatis, superne compositis, subpaniculatis, radiolisque patentibus; Pedicellis spicula brevioribus eamve aequantibus; Spiculis sub- 3-linealibus, ovalibus, acutis, sericeo-pubescentibus; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 7-, superiore 15-nervi; Hermaphrodito (masculo minore) acutiusculo, marginibus inferne ciliato; Foliis angusto-linearibus, pilosis.

Panicum Urvilleanum Kth. rev. gr. tab. 115. Agr. syn. p. 99.

Chile.

Totum sericeo- et strigiloso-pubescens. *Culmus* cum panicula circiter sesquipedalis, inferne ramosus. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* rigida, lineam lata, dodrantalia. *Panicula* majorem culmi partem occupans, pedalis, lucidissima. *Radii* inferiores solitarii, superiores terni. *Flosc. masc.* bivalvis: valv. inf. 11-nervi.

† *Panicum subalbidum Kth.* Radiis virgatis, paulo superius compositis, jubatis, patentibus; Radiolis contractis; Pedicellis spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis linealibus, ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, sub-1, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (neutro parum minore) acutiusculo, laevi; Foliis latiusculo-linearibus, glabris.

Panicum subalbidum Kth. rev. gr. tab. 112. Agr. syn. p. 101.

Senegal.

Culmus elatus, ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevis, membranacea, ciliolata. *Folia* lineas 5 lata, dodrantalia. *Juba* lucida, dodrantalis. *Radii* solitarii binive. *Flosculus neuter* 1-valvis, 9-nervis.

Panicum lasianthum. Radiis virgatis, superius compositis, jubatis, patentibus; Radiolis patulis; Pedicellis variae longitudinis (spiculam plerumque aequantibus); Spiculis linealibus, oblongo-obovatis, pl. min. obtusis, tuberculato-hirtulis; Gluma inferiore flosculis fere duplo breviori, 1-, superiore (iisdem parum minori) 3-nervi; Hermaphrodito acuto, tenerrime ruguloso; Foliis e basi compressa et subamplexicauli lanceolatis, glabris l. minutissime pubescentibus.

Panicum lasianthum Trin. ic. gr. XXI. tab. 245.

V. spp. Bras.

Culmus (basi decumbens?) pl. min. 2-pedalis, sub lente minute pubescens. *Vaginae* teretes, ad fissurae margines dense et breviciliatae, ad collum extus barbulatae. *Ligula* obsolete ciliaris. *Folia* (expansa) circiter pollicem dimi-

dium lata, pollices 2 aut fere 3 longa. *Juba* spithamaea — dodrantalis, lucida. *Radii* strictiusculi. *Radioli* laxiflori. *Gluma* inferior haud raro dimidiam spiculam subexcedit. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior 3-nervis. — Habitus *Panici rugulosi.*

Obs. Maxima affinitas *Pan. lasianthi* cum *P. puberulo* et *Sellowii* (qu. v. infra in subdivis. b.); differt ab his juba multo majori, spiculis majoribus, nervorum in glumis numero; a *puberulo* praesertim gluma inferiore dimidia spicula vix manifeste longiori.

Panicum latifolium L. sp. pl. ed. 1. Radiis interdum subvirgatis, fere a basi compositis, paniculatis, radiolisque aut contractiusculis aut patentibus divaricatisve: Pedicellis spiculam aequantibus aut eadem paulo longioribus: Spiculis ultralinealibus, oblongis, obtusis (turgidis) ad palearum apices pl. min. barbulatis; Gluma inferiore flosculis subtriplo duplove breviori 3 — 7 (— 9-), superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito obtuso, apice pl. min. barbulato; Foliis lanceolatis, glabris l. minute pubescentibus.

Panicum latifolium. R. et S. II. p. 440. Trin. Diss. II. p. 207. — *P. maculatum Aubl.* Schult. Mant. 2. p. 238. — *P. glutinosum Meyer* Esseq. Schult. Mant. 2. p. 248.

* humilius, foliis angustioribus:

Panicum glutinosum LaM. R. et S. II. p. 454.

β. Ramis culmi radiisque paniculae divaricatis:

Panicum divaricatum LaM. (an *L.?*) Hb. et Kth. 1. p. 101. Kth. Agr. syn. p. 120.

V. spp. Ind. occ. Guian. Bras.

Culmus 2 — 10-pedalis, ramosus et ramosissimus, saepe lignescens. *Vaginae* nunc glabrae, nunc pl. min. pubescentes, collo extus barbatae (ob quam notam et ob Sloanei iconem optimam de Linnaei planta dubium nullum). *Ligula* membranacea, interdum ciliatula. *Folia* lineas 3 — 10 lata, digitalia — spithamaea. *Radii* solitarii l. aliquot subverticillati. *Spiculae* interdum nutantes. *Flosc. masc.* rarius *neut.* 2-valvis: valvula inferior 7-nervis: nervis saepissime obsoletis.

Obs. Huc quoque *Pan. ruscifolium Hb. et Kth.* Kth. Agr. syn. p. 121.

Panicum anceps Mchx. Radiis virgatis, a basi compositis, paniculato-jubatis, patulis; Radiolis plerumque contractiusculis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis subultralinealibus, subarcuato- ovato-lanceolatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis plus duplo breviori, 3-, superiore (eosdem subexcedente) 7-nervi; Hermaphrodito (neutro ⅓ minori) obtuso, apice brevissime barbulato, laevi; Foliis (latiusculo-) linearibus, glabris.

Panicum anceps. R. et S. II. p. 444. Mant. 2. p. 241. Kth. Agr. syn. p. 114. — *P. rostratum Mühlenb.* — an *P. pennsylvanicum Sprgl.*

V. spp. Am. bor.

Culmus 3 — 4-pedalis, compressus, simplex. *Vaginae* praesertim superne pilosulae. *Folia* latiora lineas 5 lata, fere 2-pedalia, supremum saepe paniculam subaequans l. excedens. *Panicula* dodrantalis — pedalis. *Radii* solitarii vel aliquot conferti, 3 — 4-pollicares. *Racemuli* semi — sub- 1-pollicares. *Spiculae* pallide virides. *Flosculus neuter* 2-valvis.

Panicum rivulare. Radiis racemoso-virgatis, (exceptis infimis) a basi compositis, paniculato-jubatis, racemulisque contractis; Pedicellis brevissimis; Spiculis sublinealibus, lineari-ellipticis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3-, superiore (iisdem paulo minori) 3 — 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, apice subbarbulato, laevi; Foliis linearibus, glabris (longissimis).

Panicum rivulare Trin. Diss. II. p. 213. Ic. gr. XXII. tab. 264. N. ab Es. Agr. bras. p. 181.

V. spp. Bras.

Culmus 4 — 6-pedalis, simplex. *Vaginae* glabrae. *Folia* herbacea vel subcoriacea: illa plana, lineas 5 lata; haec compresso-concava et multo angustiora; inferiora interdum 3 — 4-pedalia. *Juba panicularis* 1 — 2-pedalis, fuscescendo-virens, satis densa. *Racemi* solitarii l. aliquot pseudoverticillati. *Racemuli* semi — 1-pollicares. *Flosc. neut.* 1 — 2-valvis.

Panicum grumosum N. ab Es. Radiis racemiformi-virgatis, a basi compositis (interdum decompositis), paniculato-jubatis, racemulisque patulis l. patentibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovato-ellipticis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo duplove breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis attenuato- (latiusculo-) linearibus, glabris.

Panicum grumosum N. ab Es. Agr. bras. p. 182. Trin. ic. gr. XVIII. t. 207.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis, simplex l. superne ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* satis firma, longe attenuato-acuminata, lineas 4 — 7 lata, culmea inferiora pedalia. *Panicula* spithamaea — pedalis. *Racemuli* semi — 1-pollicares. *Spiculae* pallentes l. ex amethystino fuscescentes. *Glumae* carinatae, nervis angulatis. *Flosculus neuter* 2-valvis. *Hermaphr.* lineari-ellipticus.

Panicum auritum Presl. Radiis subracemiformi-virgatis, a basi compositis (decompositisque) alternis, patulis; Racemulis contractis; Pedicellis spicula brevioribus l. eandem aequantibus; Spiculis linealibus, elliptico-lanceolatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis plus dimidio breviori, 1 — 3-, superiore 3-nervi; Hermaphrodito acuto, mucronulato, laevi; Foliis (latiusculo-) linearibus, glabris.

Panicum auritum Presl! rel. Haenk. I. p. 305. Kth. Agr. syn. p. 113.

V. spp. Luzon.

Culmus 2 — 3-pedalis. *Vaginae* glabrae. *Folia* basi auriculata subamplexicaulia, lineas 3 — 6 lata, dodrantalia. *Juba* spithamaea — pedalis. *Radii* solitarii l. subbini, inferiores in juba majori valde remoti. *Racemuli* (inferiores, saepe compositi) subpollicares. *Spiculae* fusco-virides. *Flosc. neuter.* 1 — 2-valvis.

Panicum polygonatum Schrad. Radiis subracemiformi-virgatis, (plerumque pilis adspersis), a basi compositis decompositisque, subjubato-paniculatis, patentibus; Radiolis patulis; Pedicellis brevissimis; Spiculis parvis l. subminimis,

ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo magisve breviori, 1 — 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi (apice scabriusculo); Foliis e basi ovata lanceolatis, pilis adspersis.

Panicum polygonatum. Schult. Mant. 2. p. 256. N. ab Es. Agr. bras. p. 185. Kth. Agr. syn. p. 96.

V. spp. Guian. Bras. Peruv.

Culmus 1 — 3-pedalis, basi repens, ramosus, nodis pl. min. barbatis. *Vaginae* superne hirsutiusculae vel brevi-ciliatae. *Folia* firma, lineas 4 — 5-lata, palmaria — spithamaea, basi ovata potius quam cordata. *Panicula* palmaris — dodrantalis. *Axes partiales* pilis longiusculis adspersi, rarius nudi, 1 — 3-pollicares. *Flosc. neut.* l. *masc.* 1 — 2-valvis. *Hermaphr.* flosculo incompleto saepissime paulo brevior.

Obs. A *Pan. piloso*, cujus mera varietas videtur et cum quo promiscue legit in Brasilia cl. Riedel, reapse solis differt racemulis (multo) longioribus. — A sequente *P. potamio* distinguitur panicula saturate viridi (nec flavente), racemis racemulisque minus patentibus, ciliis vaginarum brevioribus et rarioribus, foliis denique duplo longioribus.

Panicum potamium. Radiis racemoso-subvirgatis, (plerumque pilis adspersis) a basi compositis decompositisque, sub-paniculatis, cum racemulis (in flore) patentissimis; Pedicellis brevissimis; Spiculis minimis, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis e basi amplexicauli-cordata lanceolatis, glabris.

Panicum potamium Trin. Diss. II. p. 239.

V. spp. Bras.

Culmus 1 — sesqui-pedalis, inferne decumbens et radicans, ramosus, nodis barbatis. *Vaginae* superne dense et subpectinato-ciliatae. *Folia* inferiora plana, lineas 3 lata, sesquipollicaria; culmea superiora compressa et in hoc statu lineas 2 lata, bipollicaria. *Panicula* l. *Juba* digitalis — spithamaea. *Axes partiales* solitarii l. aliquot conferti, plerumque pilis tenuissimis et lon-

giusculis adspersi, 2 — 3-pollicares. *Racemuli* semi — 1-pollicares, valde laxiflori, racemulis secundariis etiam pl. min. patentibus. *Flosculus neuter* 2-valvis.

Obs. Hanc speciem (olim *P. hydrophilum* mihi dictam) amiciss. N. ab Es. *in Agr. bras.* p. 208. refert ad *Pan. dubium LaM.*, gramen Indiae orientalis, vel ob *glumas aequales* solas a nostro alienum. Qua vero nota excepta, reliqua illustris Agrostogr. bras. auctoris descriptio exacte ad plantam nostram exhibita videtur.

Panicum agrostoides Mühlenb. Radiis racemoso-subvirgatis, plerumque a basi decompositis, alternis paniculatisque cum racemulis primariis pl. min. patentibus, secundariis contractiusculis; Pedicellis brevissimis brevibusque; Spiculis linea brevioribus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito obtuso, apice barbulato, laevi; Foliis (sublanceolato-) linearibus, glabris.

Panicum agrostoides. R. et S. II. p. 456. Mant. 2. p. 250. Trin. ic. gr. XXII. tab. 261. — *P. agrostidiforme LaM.* Kth. Agr. syn. p. 94.

V. spp. Am. bor.

Culmus pl. min. 2-pedalis, compressus, erecto- et florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* lineas pl. min. 2 lata, inferiora dodrantalia. *Panicula* (terminalis) sesquipalmaris — spithamaea, pyramidata. *Radii* 3 — 4-pollicares, solitarii binive. *Racemuli* fere pollicares. *Spiculae* purpurascentes. *Flosc. neuter* 2-valvis. *Hermaphr.* neutro paulo brevior.

Panicum proliferum LaM. Radiis racemoso-subvirgatis, a basi decompositis, paniculato-jubatis, demum cum radiolis primariis patentissimis, tertiariis semper contractis; Pedicellis spiculam plerumque subaequantibus; Spiculis linealibus (l. paulo minoribus), lanceolato-ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo quadruplove breviori, subenervi, superiore 3 — 5-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) acuto, laevi; Foliis (plerumque lato-) linearibus, glabris.

Panicum proliferum. R. et S. II. p. 431. Mant. 2. p. 231. Kth. Agr. syn. p. 100. (excl. synn. Willd. et Icq.) — *P. miliaceum Walt.* — *P. dichotomiflorum Mchx.* — *P. geniculatum Mühlenb.*

V. spp. Am. bor.

Culmus 1 — 2-pedalis, ramosus, ramis jubiferis. *Vaginae* compressiusculae, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* in minori planta lineas 2, in altiori et magis vegeta 5 — 10 lata, in illa vix digitum, in hac spithamam — pedem longa. *Jubae* ramorum serius explicatae, contractae. *Flosc. neut.* 1 — 2-valvis: valv. inf. 3-nervis.

Panicum paludosum Roxb. Radiis racemoso-virgatis, paulo superius decompositis, paniculato-jubatis radiolisque contractiusculis; Pedicellis spiculam subaequantibus l. eadem longioribus; Spiculis sesquilinealibus, ovato-lanceolatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis 5 — 6ies breviori, enervi, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito (neutro $\frac{1}{3}$ minori) acuto, laevi; Foliis compressiusculo-linearibus, glabris.

Panicum paludosum. Schult. Mant. 2. p. 245. (excl. syn.) — *P. natans Koen.* Trin. Diss. II. p. 237.

V. spp. Ind. or.

Culmus 2 — 3-pedalis, ramosus, geniculatus, totus vaginatus. *Vaginae* compressae, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* in statu compresso lineas 2 lata, dodrantalia et breviora, glaucescentia. *Panicula* pallida, dodrantalis. *Radii* 3 — 4-pollicares; *Radioli* saepe pollicares et ultra. *Spiculae*, praesertim juniores, angustae. *Gluma* inferior rotundato-obtusa. *Flosc. neuter* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum molinioides. Radiis racemoso-virgatis, a basi decompositis, paniculato-jubatis, patulis, Racemulis pl. min. contractis; Pedicellis aliis brevibus, aliis spicula longioribus; Spiculis minimis, oblongis, acutiusculis obtusiusculisve, glabris; Gluma inferiore flosculis fere dimidio breviori, 3-, superiore 5-nervi;

Hermaphrodito obtusiusculo, laevi; Foliis e basi involuta linearibus, glabris (rigidissimis).

Panicum molinioides Trin. Diss. II. p. 238. N. ab Es. Agr. bras. p. 162.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis, strictus. *Vaginae* (in nostris speciminibus) nitido-glaberrimae, colore aeneo. *Ligula* nil nisi linea transversalis. *Folia* inferne involuta, dehinc plana, lineas 4 — 6 lata, sesqui — 2-pedalia. *Panicula* pedalis, purpureo-fusca. *Radii* spithamaei — dodrantales. *Radioli* 1 — 3-pollicares. *Flosc. masc.* 2-valvis.

Panicum maximum Jacq. Radiis virgatis plerumque superius decompositis, paniculatis jubatisve, pl. min. patentibus, Radiolis contractiusculis; Pedicellis brevibus spiculamve aequantibus; Spiculis subsesquilinealibus, ellipticis, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo magisve breviori, e- vel obsolete 3-, superiore (tenui-) 5-nervi; Hermaphrodito acuto, ruguloso; Foliis sublanceolato-linearibus, glabriusculis.

Panicum maximum. R. et S. II. p. 437. — *Pan. polygamum Sw.* — *Pan. jumentorum Pers.* Kth. Agr. syn. p. 101. — *Pan. laeve LaM.* (nodis culmi glabris).

V. spp. Ind. occ. et or. Bras. Mascar.

β. Radice tuberosa, foliis angustioribus, rugis hermaphroditi tenuioribus:

Panicum gongylodes Ht. Vienn! Icq. Eccl. tab. 21. — Sub *Pan. prolifero.* Kth. l. l. p. 100. — *Pan. altissimum Brouss.* Kth. l. l. p. 103.

Culmus 2 — 5-pedalis, nodis plerumque barbatis. *Folia* lineas 4 — 6 — 10, in β 2 — 3 lata, sesquipedalia. Radii strictiusculi, satis tenues. *Pedicelli* saepe pilo uno alterove aucti. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 3 — 5 — 7-nervi: nervis tenuibus.

Panicum eburneum. Radiis subvirgatis, a basi (de-) compositis, jubatis paniculatisve Radiolisque patulis; Pedicellis spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis subultralinealibus, ovali-ellipticis, mucronulato-acutis, glabris; Gluma

inferiore flosculis triplo breviori, subobsolete 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) mucronulato, laevi (tenuissime striato); Foliis linearibus, glabris.

V. sp. Nepal.

Culmus videtur 2-pedalis et altior, ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* basi amplexicaulia, lineas 4 lata, pedalia et ultra, supremum paniculam aequans. *Panicula* spithamaea, multiflora. *Spiculae* e viridi et fusco-purpureo variae, deciduae. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis. *Hermaphr.* eburneus.

Panicum *chloroticum N. ab Es.* Radiis racemoso-virgatis, plerumque a basi decompositis, jubato-paniculatis, patulis, Radiolis tertiariis contractis; Pedicellis spicula brevioribus vel eandem aequantibus; Spiculis pl. min. linealibus (interdum linea sublongioribus), ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori, obsolete 1 — 3-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) mucronato, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris basive pilosis.

Panicum chloroticum N. ab Es! Agr. bras. p. 164. Trin. Diss. II. p. 236.

α, *agreste N. ab Es:* Panicula densiori, spiculis linealibus, foliis latioribus, basi pilosis.

β, *sylvestre N. ab Es:* Panicula lucidiori, spiculis pl. min. ultralinealibus, foliis angustioribus, glabris.

Sub *Setaria brachiata Kth.* Agr. syn. p. 155.

γ, *pingue N. ab Es:* multiflorum, spiculis minoribus.

V. spp. Bras.

Culmus ultrapedalis, ramosus. *Vaginae* compressae, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* basi compressa, in α lineas 4 — 5, in β 2 lata; pl. min. semipedalia. *Juba* sesquipalmaris. *Spiculae* virides. *Gluma* inferior subrotundata. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum *arenarium Brot.* Radiis virgatis, paulo superius decompositis, subpaniculatis, patulis, Radiolis plerumque pl. min. contractis; Pedicellis brevibus;

Spiculis linealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis subquadruplo breviori, enervi, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) acuto, laevi; Foliis angusto-linearibus, glabris (rigidis).

***Panicum repens** Trin.* Diss. II. p. 233. (an *L.?*) Kth. Agr. syn. p. 103.

V. spp. Monsp. Sic. Cors. Cret. Aeg. Ting. Teneriff. Mader.

Culmus sesqui — bi-pedalis, basi repens et emittens stolones ramosque foliorum brevium, sensim longiorum, planiusculorum, patentium, inferne, ut vaginae, pilosulorum. *Ligula* ciliaris. *Folia* culmea non nisi ipsa basi pilosula: longiora, subinvoluto-compressa, erecta et subadpressa. *Panicula* palmaris — spithamaea, plerumque parum aperta. *Spiculae* glaucescentes. *Gluma* inferior obtusa. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

***Panicum coloratum** L. Mant.* 1. Radiis subvirgatis (filiformibus), plerumque paulo superius decompositis, paniculatis, patentibus vel cum radiolis patulis tantum: Pedicellis brevibus l. spiculam aequantibus; Spiculis subultralinealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, 1 — 3 — 5-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, subglabris, (Vaginis teretibus).

Panicum coloratum. R. et S. II. p. 431. Kth. Agr. syn. p. 104. (excl. syn. Mühlenb.)

V. spp. Aeg. sup. et cc.

Culmus 1 — 2-pedalis, basi geniculato-procumbens, ex ipsa radice ramosus. *Vaginae* (in planta spontanea) glandulis adspersae, pilosulae. *Ligula* ciliaris. *Folia* inferne pilis adspersa, lineas 2 — 3 lata, sesquipalmaria l. subspithamaea. *Paniculae* subspithamaeae *radii* solitarii binive, filiformes sed angulati, laxiusculi, radiolis brevibus. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Differt a sequente culmo sub panicula multo longius libero, spiculis turgidioribus, coloratis, nervis paucioribus notatis, foliis acuminatissimis (nec acutis tantum), vaginis teretibus.

Panicum attenuatum Willd. Radiis virgatis, plerumque a basi decompositis, paniculato-jubatis, patulis, Radiolis secundariis contractis; Pedicellis brevibus vel spiculam aequantibus; Spiculis linealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo vel fere dimidio breviori, 1 (— 3-), superiore 9 — 11 — 13-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris (Vaginis compressis).

Panicum attenuatum. R. et S. II. p. 434. Trin. Diss. II. p. 226. Icq. Eccl. t. 33.

V. spp. Guian. et cc.

Culmus bipedalis, (in culta planta?) ramosus: ramis jubiferis. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 2 — 4 lata, pl. min. spithamaea. *Juba* subspithamaea. *Radii* strictiusculi. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior 7 — 11-nervis.

Obs. A *Panico prolifero LaM.*, cum quo jungit cel. Kunth, distinguitur gluma inferiore majori et hermaphrodito flosculum neutrum aequante. — A *Panico attenuato N. Es. Agr. bras.* p. 175. (*P. miliari LaM.*), Spiculis brevioribus, panicula densiori, non „subflaccida" LaM. et patria.

Panicum junceum N. ab Es. Radiis virgatis, fere a basi decompositis, jubato-paniculatis, patulis, Radiolis contractiusculis; Pedicellis brevibus (apice barbatis); Spiculis linealibus, ovatis l. ovato-oblongis, acutiusculis l. subacuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori (vel ob cuspidem suam nonnihil longiori), 3 — 5-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, glabris (rigidis).

Panicum junceum N. ab Es! Agr. bras. p. 159.

V. spp. Bras.

Totum subcoriaceo-firmum. *Culmus* 3 — 5-pedalis, erecto-ramulosus. *Vaginae* hiantes, subinvolutae, glabrae. *Ligula* brevis, membranacea, ciliatula. *Folia* saepe involuta, plana lineas 3 et qu. exc. lata, spithamaea — pedalia. *Panicula* spithamaea — ultrapedalis, nunc strictiuscula, nunc superne nutans, pl. min. densa. *Radii* aliquot pseudoverticillati. *Radioli* 1 — 2-pollicares.

Glumae pl. min. cuspidato-acutae, interdum acuminatae. *Flosculus masculus?* bivalvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Obs. *Panici virgati* varietati illi, cui gluma inferior dimidia spicula vix longior, quoad spiculas, perquam simile, ita, ut ejusdem varietas videri possit. Tamen *junceo* pedicelli apice constanter villis barbati, paleae minus acuminatae, et panicula densior. — *Panicum virgatum*, cum gluma ej. inferior plerumque spiculam dimidiam excedat, in sectione sequente recensebitur.

† *Panicum laetum Kth.* Radiis subvirgatis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis ultralinealibus, ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 5 — sub- 7-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, subtus pubescenti-pilosulis.

Panicum laetum Kth. rev. gr. tab. 113. Agr. syn. p. 115.

Senegal.

Culmus sesquipedalis, procumbens, florifero-ramosus. *Vaginae* patentissimo-pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas $2\frac{1}{2}$ lata, pollices 3 — 5 longa. *Paniculae* plures, lucidae, 4 — 5-pollicares. *Radii* solitarii, vel aliquot pseudo-verticillati. *Radioli* 1 — sesqui-pollicares. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inferior 9-nervis.

Panicum elephantipes N. ab Es. Radiis virgatis, plerumque a basi decompositis, paniculato-jubatis, Radiolisque patulis; Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem paulo longioribus; Spiculis fere bilinealibus, ovali-lanceolatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo breviori, 1-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (neutro, parum minori) acuminato, laevi; Foliis lato-linearibus, glabris.

Panicum elephantipes N. ab Es! Agr. bras. p. 165. Trin. Diss. II. p. 206.

V. spp. Bras.

Culmus orgyalis, crassus, subsimplex. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* fere pollicem lata, sesquipedalia. *Juba* sesquipedalis, densiuscula. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum ligulare N. ab Es. Radiis subvirgatis, fere a basi decompositis (rarifloris), verticillatis, patentibus vel, cum Radiolis elongatis, patulis; Pedicellis spicula brevioribus l. eandem pl. min. aequantibus; Spiculis bilinealibus, ovali-lanceolatis, acuminatis, glabris; Glumis 5 — 7-nervibus: inferiore flosculis duplo breviori; Hermaphrodito (masculo ⅓ minori) obtusiusculo, striatulo; Foliis (sublanceolato-) linearibus, glabris vel supra pubescentibus. (Ligula longa, acuminato-laciniata).

Panicum ligulare N. ab Es! Agr. bras. p. 196. — Sub *P. scaberrimo Lag.* Kth. Agr. syn. p. 105.

V. sp. Bras.

Culmus ultra-tripedalis, simplex. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* 4-linealis, firma, bilaciniata. *Folia* patentia (imo reflexa), subcoriacea, lineas 2 lata, spithamaea et longiora. *Panicula* ultrapedalis. *Radii* terni — quini, basi barbati. *Radioli* elongati (inferiores 5-pollicares), rariflori: inferiorum spiculae saepe abortientes. *Spiculae* purpurascentes, deciduae. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 7 — 9-nervis.

Panicum effusum Br. Radiis virgatis, inferioribus a basi-, superioribus superne decompositis, paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis variae longitudinis; Spiculis linea subbrevioribus, ovalibus, mucronato-subacuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) obtuso, laevi; Foliis linearibus, hirtis.

Panicum effusum. R. et S. II. p. 461. Trin. ic. gr. XXI. tab. 244.

V. spp. N. Holl.

Culmus (cum panicula) 2-pedalis, simplex, nodo praesertim infimo barbato. *Vaginae* teretes, e glandulis pusillis hirtae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 2 lata, spithamaea aut longiora, firmula. *Panicula* pedalis et ultra, inferne subcontracta. *Radiorum* (infimorum) radioli inferiores saepe flosculis abortientibus. *Flosc. neuter* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

b) *Gluma inferiore dimidia spicula longiori.*

Panicum amarum Ell. Radiis racemiformibus, simpliciusculis, alternis, contractis; Pedicellis brevibus; Spiculis ultralinealibus, ovatis, acuminatis, glabris: Gluma inferiore flosculos subaequante l. iisdem paulo (ad $\frac{1}{3}$) breviori, 5 — 7-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, laevi; Foliis attenuato-linearibus, glabris.

Panicum amarum. Schult. Mant. 2. p. 257.

V. spp. Am. bor.

Culmus sesquipedalis, totus vaginatus. *Vaginae* teretes, glabrae, margine ciliatulae, fauce barbulatae. *Folia* subcoriacea, glauca, aut tota aut margine tantum involuta, lineas 2 lata, dodrantalia: supremum racemos superans. *Juba* angustata, spithamaea. *Racemi* 6 — 8, adpressi, solitarii l. subbini. *Gluma* superior flosculos paulo excedens.

Panicum latissimum Mik. Radiis racemiformibus, simpliciusculis, dense jubatis, contractiusculis, demum patentibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis linealibus, ovalibus, acutiusculis obtusiusculisve, glabris l. pl. min. puberulis (pilosulis hirtulisve); Gluma inferiore flosculis pl. min. tertiam partem (interdum minus) breviori, 5-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis lato-lineari- vel (latissimo-) ovato-lanceolatis, glabris.

Panicum latissimum Mik! in Sprgl. n. Entd. II. p. 87. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 208. N. ab Es. Agr. bras. p. 152. Kth. Agr. syn. p. 129.

Varietas foliis angustioribus, lato- lineari-lanceolatis:

Panicum secundum Trin. ic. gr. XXVII. tab. 324.

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 5-pedalis. *Vaginae* teretiusculae, glabrae aut superne hirtulae. *Folia* amplexicaulia, nunc (in var. angustifolia) pl. min. pollicem, nunc pollices 3 lata: culmea ultrapedalia. *Juba* pedalis et longior, lanceolata, pl. min. densa. *Racemi* non nisi deflorati patentissimi. *Racemuli* 3 — 5-flori.

Spiculae nunc scabrae tantum, nunc pube adspersae vel hinc inde pilosulae aut fere totae hirtulae. *Gluma* superior saepe flosculis nonnihil brevior. *Flosculus masculus* bivalvis.

Panicum unguiculatum. Radiis a basi interrupte compositis, subpaniculatis, Radiolisque (brevibus) patulis; Pedicellis spicula brevioribus vel eam subaequantibus; Spiculis bilinealibus, ellipticis, obtusiusculis, glabris; Glumis 5-nervibus: inferiore flosculis circiter quartam partem breviori; Hermaphrodito subadunco-obtusiusculo, laevi; Foliis compresso-linearibus, glabris (firmis).

V. sp. Cap. b. sp.

Culmus videtur 2-pedalis, subsimplex, ad nodos puberulus. *Vaginae* teretes, glabrae, sulcato-striatae, superiores ad margines tenui-villosulae. *Ligula* vix ulla. *Folia* erecta, in statu compresso lineam et qu. exc. lata, dodrantalia. *Panicula* (in specimine nostro superne defracta) videtur ultrapalmaris, lucidula. *Radii* solitarii binique. *Radioli* 2 — 3-flori. *Spiculae* deciduae, e viridi-albo et atropurpureo variae: omnes apice macula atropurpurea quasi unguiculatae. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. sub- 7-nervis. *Hermaphr.* apice interne tenuissime barbulatus.

Panicum leptocaulon. Radiis a basi parce compositis, subpaniculato-alternis, patulis, Radiolis contractis; Pedicellis spicula brevioribus l. eam subaequantibus; Spiculis bilinealibus, ovatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, 5-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis e basi cordato-amplexicauli sublanceolato-linearibus, glabris.

V. sp. Afric. oriental.

Culmus sesquipedalis, obliquus l. decumbens? tenuis, ad nodos puberulus, ramosus: ramis elongatis, contractiusculis, strictis, in specimine nostro subfastigiatis, floriferis. *Vaginae* teretes, glabrae, fauce tenui-villosulae. *Ligula* brevissima, membranacea, ciliolata. *Folia* patentia, plana, lineas 2 — 3 lata, pl. min. palmaria. *Paniculae* subpauciflorae, pl. min. 3-pollicares, pallide

virides. *Radii* tenues, flexuosuli, strictiusculi. *Radioli* inferiores 6 — 9-lineales et 4 — 5-flori, superiores sub- 1-flori. *Flosc. neut.* vel *masc.?* bivalvis: valv. inf. 7-nervis. *Hermaphr.* apice tenuissime barbulatus.

Panicum tenellum LaM. Radiis (tenuissimis) simpliciusculis vel a basi parce compositis, alternis, patentibus, Radiolis patulis; Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem paulo longioribus; Spiculis minimis, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Glumis sub- 5-nervibus, flosculos aequantibus: superiore caduca; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis angusto- lanceolato-linearibus, glabris (brevibus).

Panicum tenellum. R. et S. II. p. 436. N. ab Es. Agr. bras. p. 225. (vix Sprengelii syn. alterum).

V. spp. Ind. occ.

Culmus semi — 1-pedalis, tenuis (prostratus?), florifero-ramulosus. *Vaginae* internodio multo breviores, glabrae. *Ligula* brevis, membranacea. *Folia* subdistiche alterna, lineam lata, pl. min. pollicaria. *Paniculae* 1 — sesquipollicares, tenerae, pauciflorae. *Gluma* (in speciminibus a me visis semper superiore, plerumque una cum hermaphrodito) delapsa, spiculae hiant.

Panicum zizanioides Hb. et Kth. Radiis subvirgatis, a basi compositis simpliciusculisve, alternis Radiolisque patentibus, hisve contractiusculis; Pedicellis brevissimis l. brevibus; Spiculis ultrabilinealibus (turgidis) ovalibus, pl. min. acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis tertiam quartamve partem breviori, 3 — sub- 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito aciculato, laevi; Foliis e basi cordata lanceolatis, glabris basive ciliatis.

Panicum zizanioides. R. et S. II. p. 440. N. ab Es. Agr. bras. p. 143. Kth. rev. gr. tab. 28. Agr. syn. p. 118.

V. spp. Jam. Guian. Bras.

Culmus 2 — 5-pedalis, basi repens, patulo-ramosus. *Vaginae* teretes, ciliatae et superne saepe hirsutulae. *Ligula* brevissima, membranacea. *Folia* in majori planta pollicem $1\frac{1}{2}$, in minori lineas 8 — 10 lata, 4 — 7-pollicaria,

(etiam compressa occurrunt, et in hoc statu vix lineas 2 lata, pollices 2 — 3 longa). *Panicula* spithamaea — pedalis, lucida. *Radii* solitarii, remoti. *Radioli* nunc brevissimi, plerumque biflori, nunc longiores (fere sesquipollicares), pluriflori. *Nervi* palearum tenues. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. sub- 5-nervis. Cuspis hermaphroditi subcristata.

Panicum ovuliferum. Radiis virgatis, plerumque a basi parce compositis, subpaniculatis Radiolisque patentibus, hisve contractiusculis; Pedicellis spiculam subaequantibus vel eadem longioribus; Spiculis ultralinealibus, obovato-ellipticis, pl. min. obtusis (vix acutiusculis), glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito obtuso (interdum mucronulato), laevi; Foliis lanceolatis pl. min. pilosulis, (Vaginis hirsutis hirsutissimisque).

Panicum ovuliferum Trin. Diss. II. p. 191. Ic. gr. XIX. tab. 222. N. ab Es. Agr. bras. p. 218.

V. spp. Bras.

Culmus 3-pedalis, (florifero-) ramulosus. *Vaginae* e glandulis pusillis hirsutae. *Ligula* brevissima, membranacea. *Folia* lineas 3 — 6 lata, 2-pollicaria — ultra-digitalia. *Panicula* palmaris — dodrantalis, axi glabro l. pl. min. hirsuto. *Radii* 2 — 5^{ni}, fasciculati. *Radioli* pauciflori. *Flosc. neuter* 1 — 2-valvis, 7-nervis.

Panicum puberulum. Radiis subvirgatis, superne compositis, subpaniculatis, patulis patentibusve, Radiolis (brevibus) contractis; Pedicellis brevissimis; Spiculis linea brevioribus (parvis), obovatis, submucronulatis, tuberculato-pubescentibus; Gluma inferiore dimidia spicula longiori, 3-, superiore (flosculis saepe parum minori) 5-nervi; Hermaphrodito mucronulato, laeviusculo; Foliis lanceolatis, pubescentibus glabriusculisve.

an *Panicum Sellowii N. ab Es.* Agr. Bras. p. 153.?

V. spp. Bras.

Culmus sesqui — 2-pedalis, obliquus, ramosus. *Folia* lineas 3 — 5 lata, 2 — 3-pollicaria, plerumque cum *Vaginis* pubescentia. *Panicula* pl. min. palmaris. *Radii* solitarii binive, ad medium usque nudi. *Radioli* inferiores lineas circiter 3 longi. *Flosc. neut.* 2-valvis. *Hermaphr.* gilvescens aut fuscus, sub lente obsolete rugulosus.

Obs. Gramen Neesianum, a cl. Sellowio in Bras. merid. lectum mecumque ab am. Chamissone benevole communicatum Spiculas obtusas et magis ellipticas (nec submucronulatas et obovatas), pedicellis ipsas aequantibus (nec brevissimis) insidentes, glumam inferiorem flosculis dimidio breviorem (nec dimidia spicula longiorem), paniculam denique vagina suprema inferne involucratam (nec longe exsertam et liberam) habet. Ceterum spiculae parvae, tuberculato-pubescentes, radioli breves contracti, radii inferne ananthi, folia etc. conveniunt.

Panicum discolor. Radiis virgatis, inferioribus superius sub-decompositis, jubato-paniculatis, patentibus patulisve, Radiolis contractiusculis; Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem longioribus; Spiculis subultralinealibus, ovalibus, obtusiusculis, glabris (apice minute barbulatis); Gluma inferiore flosculis paulò (parum) breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito submucronulato, minutissime punctulato; Foliis lanceolatis, glabris, subtus pruinoso-glaucis.

Panicum penicillatum Trin. Diss. II. p. 196. — *P. discolor Trin.* ic. gr. XX. tab. 231. N. ab Es. Agr. bras. p. 194. Kth. Agr. syn. p. 101. — *P. phragmites N. ab Es.* Agr. bras. p. 190. (fide speciminis Sellowiani ex herb. Reg. Berol.)

Oplismenus discolor Kth. rev. gr. p. 45.

V. spp. Bras.

Culmus altissimus. *Vaginae* glabrae aut pilis adspersae. *Ligula* obsoleta. *Folia* lineas 5 — 7 lata, 6 — 7-pollicaria. *Panicula* fere pedalis. *Radii* strictiusculi. *Radioli* pertenues, pl. min. remote floriferi, inferiores saepe elongati. *Flosc. neuter* 1-valvis, 5-nervis.

Panicum rugulosum. Radiis virgatis, superne compositis, jubatis, Radiolisque patentibus; Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem longioribus; Spiculis linealibus, obovato-oblongis, obtusis, glabris; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito apice adunco, tenui-ruguloso; Foliis ovato-lanceolatis, pubescentibus glabrisve.

Panicum rugulosum Trin. Diss. II. p. 195. Ic. gr. XX. tab. 238. N. ab Es. Agr. bras. p. 204. — *P. Beyrichii Kth.* rev. gr. tab. 27. Agr. syn. p. 118. (foliis glabris).

V. spp. Bras.

Culmus 2 — 3-pedalis, basi procumbens. *Vaginae* marginibus apiceque pubescentes. *Ligula* brevissima, minute ciliata. *Folia* lineas 8 — 10 lata, subamplexicaulia, infra subvelutinosa et glaucescentia. *Juba* dodrantalis. *Radii* basi brevibarbati, strictiusculi, tenues, cum axi comm. glabri aut pubescentes. *Radioli* brevinsculi, pauciflori. *Spiculae* fere subrotundae. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum virgatum L. sp. pl. ed. 1. Radiis virgatis, nunc superius, nunc fere a basi lucide decompositis, (interdum subjubato-) paniculatis, patentibus, Radiolis primariis patulis; Pedicellis spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis linea longioribus, ovalibus, acuminatis, glabris; Gluma inferiore dimidia spicula (plerumque) longiori l. flosculos subaequante, 3 — sub- 5-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito (incompleto paulo minori) pl. min. obtuso, laevi; Foliis linearibus (l. sublanceolato-lin.), glabris.

Panicum virgatum. R. et S. II. p. 443. Trin. ic. gr. XIX. tab. 228. Kth. Agr. syn. p. 100.

β, Radiis paniculae magis jubatis (subsolitariis), minus strictis, gluma inferiore vix spicula dimidia longiori:

Panicum elongatum Pursh. R. et S. II. p. 452. Kth. Agr. syn. p. 127.

V. spp. Am. bor.

Culmus 2 — 3-pedalis, simplex. *Nodi* glabri l. barbati. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* membranacea, brevissima, nuda, vel dorso villis, interdum praelongis, stipata. *Folia* lineas 2 — 3 lata, satis firma, spithamaea — pedalia. *Panicula* spithamaea — pedalis. *Radii* solitarii, aut plures semiverticillati, strictiusculi, in β magis laxi. *Radioli* 1 — 2 — 3-pollicares. *Spicularum* (saepe sesquilinealium) paleae pl. min. longe, in β saepe brevius acuminatae. *Flosc. neut.* vel *masc.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Obs. *Panicum elongatum Parsh* certissime nil est nisi *virgati* varietas; Gluma inferior in *P. virg. culto* etiam minus acuminata est, flosculorumque dimidium vix excedit. A *Pan. agrostoide*, quocum jungit ill. N. ab. Es., alienum; radii enim nil racemiformis habent.

Panicum cayennense LaM. Radiis a basi compositis vel subdecompositis, subpaniculatis, Radiolisque patentibus patentissimisve (divaricatis); Pedicellis spicula (plerumque multo) longioribus; Spiculis ultralinealibus, obovato-ovalibus, mucronato acutis, hirsutiusculis glabrisve; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, 3 — 5-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (masculo $\frac{1}{4}$ minori) obtuso, laevi; Foliis linearibus, glabris l. pl. min. hirsutis.

Panicum cayennense. N. ab Es. Agr. bras. p. 195. (var. minor.) — *P. scoparium Rudge* (*P. Rudgei R. et S.* II. p. 44.) var. major. — *P. pilosissimum Roth* et *dasytrichum Sprgl.* (ex sententia Neesii).

V. spp. Guian. Bras.

Culmus 1 — 5-pedalis, conferto-ramosissimus: ramis vaginis involucratis. *Vaginae* teretes, hirsutae. *Ligula* ciliaris. *Folia* stricta, patula l. patentissima, lineas 3 — 4 lata, pedalia vel breviora. *Paniculae* in summo culmo plures, axillares, palmares — spithamaeae, strictae, pl. min. densae, plerumque squarroso-patentissimae. *Radii* solitarii, bini ternive. *Radioli* pauciflori: tertiarii s. pedicelli uniflori, plerumque satis longi, stricti. *Flosc. masc.* 2-valvis. *Hermaphr.* brevissime pedicellatus.

Panicum proboscideum. Radiis non longe supra basin subdecompositis, subpaniculatis Radiolisque patulis, hisve contractis; Pedicellis spiculam subaequantibus (interdum brevissimis); Spiculis trilinealibus, lanceolato-ovalibus, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis tertiam quartamve partem breviori, 9-, superiore (eosdem subexcedente) 13 — 15-nervi; Hermaphrodito (neutro ⅓ minori) obtuso, basi utrinque squamuloso-tomentoso; Foliis lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum proboscideum Trin. Diss. II. p. 184. Ic. gr. XXVII. tab. 322. N. ab Es. Agr. bras. p. 134.

V. spp. Bras.

Culmus tripedalis, stricto-erectus, nodis pubescentibus. *Vaginae* inferiores aut totae aut versus marginem hirsutae. *Ligula* satis longo-ciliaris. *Folia* erecta, stricta, lineas 4 — 6 lata, marginibus involuta, dodrantalia — pedalia: supremum spithamaeum paniculam involucrans. *Panicula* spithamaea — pedalis, stricto-erecta, pl. min. contracta. *Radii* terni vel plures subverticillato-conferti. *Glumae* acuminatae, firmae. *Flosculus neuter* 1-valvis, 11-nervis. *Squamulae*, tomentum Hermaphroditi laterale formantes, lineares, planae, pellucidae, apice mucronulatae.

Panicum campestre N. ab Es. Radiis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula plerumque longioribus; Spiculis linealibus, ovalibus, acutissimis, superne hirsutiusculis; Gluma inferiore flosculis plerumque tertiam partem breviori, 5 — 7-, superiore 7 — 9-nervi: Hermaphrodito (neutro subbreviori) obtusiusculo, striatulo; Foliis linearibus, pubescendo-pilosis.

Panicum campestre N. ab Es. Agr. bras. p. 197. Trin. ic. gr. XX. tab. 229. (gluma inf. flosculos subaequante).

V. spp. Bras.

Culmus geniculato-decumbens, sesquipedalis, pubescens, contracto-ramosus. *Vaginae* pl. min. pubescendo-pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineis 2 sub-

latiora, rigidiuscula, spithamaea — dodrantalia, subtus piloso-pubescentia. *Radii* cum axi pilis adspersi, bini solitariique, pauciflori, tenues, strictiusculi. *Gluma* inferior caudulato-mucronata. *Flosculus neuter* bivalvis: valv. inferior 5 — 7-nervis.

Panicum dispersum. Radiis subvirgatis, pl. min. longe supra basin decompositis, subpaniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem paulo longioribus; Spiculis sublinealibus, obovato-oblongis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, sub- 1-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, tenuissime ruguloso; Foliis lanceolato-ovatis, glabris (dorsove pilis adspersis).

V. spp. Bahiens.

Culmi decumbentes, circiter pedales, patenti-ramosi: ramis floriferis. *Vaginae* teretes, superne ciliatae. *Ligula* brevissima, dense ciliaris. *Folia* numerosa, pl. min. amplexicaulia, lineas 4 — 8 lata, sesqui — sub-ultrabipollicaria, fusco-viridia. *Panicula* palmaris — fere spithamaea, diffuso-lucidissima, fusca. *Radii* plerumque solitarii, sed et 2 — 3 subfasciculati. *Radioli* subpauciflori, circiter 8-lineales. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis. *Hermaphr.* fulvus.

Panicum miliaceum L. sp. pl. ed. 1. Radiis superius subdecompositis, subjubato-paniculatis, patulis, Radiolis contractiusculis; Pedicellis brevibus; Spiculis subbilinealibus, ovatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore dimidia spicula longiori, 5 — 7-, superiore 7 — 9 — 11-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo breviori) acutiusculo, laevi; Foliis lanceolato-linearibus (vel lineari-lanceolatis) glabriusculis hirtisve.

Panicum miliaceum. R. et S. II. p. 434. Trin. ic. gr. XIX. tab 221. Kth. Agr. syn. p. 104. — *P. asperrimum Lag.* Schult. Mant. 2. p. 237. Kth. Agr. syn. p. 105. (radiis asperrimis).

V. spp. Ind. or. et cc.

Culmus sesqui — bi-pedalis, inferne pubescens et pl. min. erecto-ramosus. *Vaginae* subcompressae, hirsutae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 3 — 6 lata, pl. min. spithamaea, nunc margine tantum hispida, nunc pl. min. hirta. *Panicula* ultrapalmaris — dodrantalis, quo densior eo magis apice nutans. *Axis comm.* glaber aut pilosus. *Radii* solitarii binive. *Flosc. neuter* bivalvis: valv. inf. 7 — 13-nervis.

Panicum antidotale Retz. Radiis virgatis, inferioribus non longe supra basin decompositis, jubato-paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis brevibus brevissimisque; Spiculis linealibus, ovatis, acutis, glabris; Gluma inferiore dimidia spicula plerumque longiori, 3 — 5-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (fl. incompl. paulo minori) acutiusculo, laevi; Foliis (latiusculo-) linearibus, glabris.

Panicum antidotale. R. et S. II. p. 453. N. ab Es. Agr. bras. p. 201.

V. spp. Ind. or.

Culmus 8-pedalis, ramosissimus. *Vaginae* ore (interdum obsolete) barbulatae. *Ligula* brevis, membranacea, ciliata. *Folia* glaucescentia, lineas 3 — 6 lata, dodrantalia — pedalia. *Panicula* contractiuscula, flaccidula, fere pedalis. *Radii* 2 — 4 subverticillati. *Spiculae* in radiolis breviusculis subimbricatae. *Flosc. masc.* l. *neut.* 2-valvis: valv. inf. 9-nervis.

Panicum pellitum. Radiis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque (in densiori panicula secundis) patulis (lanatis nudiusculisve); Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem longioribus; Spiculis linea brevioribus, ovalibus, acutis, lanatis glabrisve; Glumis flosculos aequantibus, 5-nervibus; Hermaphrodito (neutro paulo minori) acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, pl. min. villosis (rarius glabris).

Panicum pellitum Trin. Diss. II. p. 198. Ic. gr. XX. tab. 237. (var. humilior, minus dense villosa). N. ab Es. Agr. bras. p. 148. — *Pan. montanum Gaudich.* in Freycin. it. — *Pan. nubigenum Kth.* Agr. syn. p. 98.

Eriachne montana Gaudich. General. tab. 26.

V. spp. ex O-Waahu.

Gramen villositate maxime varians: lanatum albo-canescens; pilosulum e flavo viride; glabrum fuscescens. *Culmus* semi — ultra- sesqui-pedalis, pl. min. contracto-ramosus, ramis floriferis, nunc molliter lanatus, nunc pilosulus, nunc glaberrimus. Idem valet de *Vaginis*, quae tamen fere semper pl. min. pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* in majoribus lineas 4 lata, spithamaea; in minoribus lineas 2 lata, digitalia, villositate culmi instar variantia. *Panicula* pro magnitudine plantae spithamaea vel minor, densior lucidiorve, (quo densior et major eo magis cum reliquis partibus lanata). *Radii* solitarii — quaterni, pl. min. villosi glabrive. *Flosc. neuter* 2-valvis: valv. inf. subobsolete 5-nervis.

Obs. Varietatis glabrae syn. est *Pan. pseudagrostis Trin.* Diss. II. p. 187. vitiose descriptum.

Panicum muscarium. Radiis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque (subcapillaribus) patentibus; Pedicellis spicula pl. min. longioribus; Spiculis minimis, (dum clausae sunt) lanceolato-ovalibus, acutis, glabris; Glumis flosculos aequantibus, 3-nervibus; Hermaphrodito (flosc. incompl. paulo minori) obtuso, laevi; Foliis linearibus, pilis adspersis.

Panicum muscarium Trin. ic. gr. XX. tab. 235. Kth. Agr. syn. p. 105.

V. spp. Sierr. Leon.

Culmus pl. min. semipedalis, adscendens, filiformis, florifero-ramosus. *Vaginae* ad fissuram pilosae. *Ligula* longo-ciliaris. *Folia* vix lineam dimidiam lata, e glandulis pusillis pilis satis longis adspersa, circiter digitalia. *Paniculae* tenerae, 2 — 4-pollicares. *Radii* infimi plures, superiores solitarii binive, basi callosi. *Radioli* pauciflori. *Spiculae* plerumque late hiantes. *Gluma* inferior subcaudato-acuminata. *Flosculus neuter* 2-valvis: valvula inferior 3 — 5-nervis.

X. Miliaria.

a) *Gluma inferiore flosculis dimidio magisve breviori, l. minima, interdum nulla.*

α. *Radiis subangulosis.* *)

Panicum aciculare Poir. Pedunculis intra folia solitariis, simplicissimis, 1 — 3-floris; Pedicellis spiculam aequantibus; Spiculis linea brevioribus, obovato-oblongis, obtusis (cum mucronulo), sub lente puberulis; Gluma inferiore flosculis 3 — 4-plo breviori, sub- 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, tenuissime striato; Foliis setaceis, glabris.

Panicum aciculare. R. et S. II. p. 883. Trin. Diss. II. p. 229. N. ab Es. Agr. bras. p. 235. (an synon.?)

V. sp. Ind. or.

Culmus palmaris, erectus, tenuissimus sed firmus, superne erecto-ramosissimus. *Folia* stricta, erecta, laete viridia, pollicaria, pedunculis, e vaginis tuberculatis emergentibus, longiora. *Flosc. neut.* 1-valvis, 5-nervis.

Panicum caricoides N. ab Es. Pedunculis fasciculatis, simpliciusculis, paucifloris; Pedicellis (apice barbatis) spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis linea brevioribus, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3 — 5, superiore sub- 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis subulato-linearibus, glabriusculis.

Panicum caricoides N. ab Es! Agr. bras. p. 108. Trin. Diss. II. p. 149.

V. spp. Bras.

Culmus dodrantalis, filiformis, in ramos aliquot simpliciusculos et contractos divisus. *Folia* lineam dimidiam lata, rigidula, praesertim basin versus pilis minutis adspersa, 1 — 2-pollicaria, infima brevissima. *Pedunculi* aliquot e

*) Species enumeratae secundum radios, simplices — magis magisque compositos.

vaginis supremis, 3 — 4-lineales, radiolis (pedicellis) alternis, 1 — 2-floris, adpressis. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

***Panicum** depauperatum Mühlenb.* (?) Radiis subsimplicibus, paucifloris, alternis, pl. min. contractis; Pedicellis spicula plus duplo longioribus; Spiculis sesquilinealibus, ovatis, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, 3 — 5-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) submucronulato-obtusiusculo, laevi (interdum striatulo et subruguloso); Foliis linearibus, glabris.

Panicum depauperatum. Schult. Mant. 2. p. 239. (Obstant „rami paniculae gemini", qui in nostris solitarii; gluma inferior „obtusa", quae in nostris acuta; reliqua satis conveniunt). — A *Panico dichotomo Sprgl.*, quocum jungit *N. ab Es.* in Agr. Bras. p. 231., planta nostra diversissima. — *P. junceum Trin.* Diss. II. p. 220.

V. spp. Nov. Ebor.

Culmus vix pedalis, erectus, simplex l. ex ima basi florifero-ramosus. *Nodi* barbulati. *Ligula* ciliaris. *Folia* erecta, 4 — 3-pollicaria, plana (medio lineam lata) l. compressa (aut subinvoluta). *Panicula* simplicissima, e radiis 4 — 5 solitariis, dissite 3 — 2-floris formata, circiter sesquipollicaris, plerumque foliis pl. min. brevior. Tota planta satis laete viridis, interdum subglaucescens.

***Panicum** clandestinum L. sp. pl. ed.* 1. Radiis simpliciusculis l. a basi parce compositis, alternis jubatisve, patulis (intra vaginam pl. min. occultis); Pedicellis spicula plerumque brevioribus; Spiculis sesquilinealibus, obovato-ellipticis, acutiusculis, puberulis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 1 — sub-3-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis e basi cordata (lato-) lanceolatis, glabris.

Panicum clandestinum. R. et S. II. p. 442. Mant. 2. p. 239.
Milium clandestinum Mönch.

V. spp. Am. bor. et cc.

Culmus 3 — 4-pedalis, ramosus, ramis plerumque floriferis, nodis glabris. *Vaginae* glabrae vel e glandulis hirtae. *Ligula* brevissima, subobsoleta. *Folia* latiora pollicem et quod excedit lata, 6-pollicaria, superiora angustiora et breviora. *Juba* non nisi serius, nec tota exserta, 1 — 2-pollicaris. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 9-nervis. *Nervi* tenues.

Panicum Walteri Poir. Radiis fere a basi compositis, jubatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula plerumque brevioribus; Spiculis sesquilinealibus, obovatis (turgidis), pl. min. obtusis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis fere triplo breviori, 1 — 3-, superiore (hermaphrodito subminori) 7 — 9 — (11-) nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis e basi cordata (ovato-) lanceolatis, ciliolatis.

α. Foliis latioribus, radiis glabris:

Panicum Walteri. R. et S. II. p. 885. Kth. Agr. syn. p. 117. — *P. latifolium Walt. Mchx.* et *Torr.!*

β. Foliis angustioribus, radiis pubescentibus:

Panicum scoparium Mchx. R. et S. II. p. 444. Mant. 2. p. 241. Kth. Agr. syn. p. 115.

V. spp. Am. bor.

Culmus circiter sesquipedalis, simplex l. ramosulus, in β pubescens. *Nodi* nudi vel (praesertim in β) barbati. *Vaginae* in α glabrae vel tenui-pubescentes, in β sublanatae. *Ligula* ciliaris. *Folia* in α interdum sesquipollicem lata, in β haud raro multo angustiora; in α ciliata tantum, in β subtus canescendo-pubescentia; 3 — 5-pollicaria. *Juba* in α e vagina suprema brevius, in β longius exserta, circiter 3-pollicaris, lucidissima. *Radii* solitarii l. aliquot subconferti, in β cum *Axi comm.* pubescentes. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 7 — 9-nervis.

Panicum lineatum. Radiis a basi compositis, paniculatis Radiolisque contractiusculis; Pedicellis spicula paulo brevioribus; Spiculis linealibus (vel parum longioribus), elliptico-ovatis, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis sub-

duplo breviori, sub- 5-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito (neutro nonnihil minori) mucronulato-acutiusculo, laevi; Foliis lanceolatis, pubescentibus.

Panicum lineatum Trin. ic. gr. XX. tab. 233, Kth. Agr. syn. p. 109.

V. spp. Senegal.

Culmus circiter sesquipedalis, prostratus, ramosus, superne pubescens, nodis puberulis. *Vaginae*, praesertim juniores, pubescentes. *Ligula* ciliaris. *Folia* satis numerosa, lineas 4 — 5-lata, pl. min. 2-pollicaria. *Panicula* circiter bipollicaris. *Axis comm.* pilis brevibus (clavulatis, quasi pedicellis abortivis) adspersus et cum radiis pubescens. *Pedicelli* nudi aut pilos raros emittentes. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum rostellatum. Radiis a basi compositis, paniculato-jubatis, pl. min. patentibus, Radiolis patulis; Pedicellis spiculam subaequantibus; Spiculis sublinealibus, ovalibus, (hermaphrodito prominente) mucronatis, glabris (sub lente interdum puberulis); Gluma inferiore flosculis duplo triplove breviori, 1-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito mucronato (mucrone paleas plerumque excedente), laevi; Foliis e basi cordata lanceolatis l. ovato-lanceolatis, hirtulo-puberulis, ciliatulis.

V. sp. Bras.

Culmus decumbens, radicans, ramosus, ramis fere dodrantalibus, floriferis, infra paniculam pilosulis. *Vaginae* inferiores glabriusculae, superiores hirtulo-pubescentes. *Ligula* inter pilos faucis breves obsoleta. *Folia* (praesertim juniora amplexicaulia) lineas 4 — 6 lata, sesqui — ultra- bi-pollicaria. *Panicula* l. *juba* circiter bipollicaris, strictiuscula, lucida. *Axis comm.* et pars radiorum inferior pilosi. *Radii* tenues, solitarii, aut bini ternive, flexuosuli. *Gluma* inferior longitudine varians, interdum (rarius) dimidiam spiculam subexcedens; superior flosculis nonnumquam paulo brevior. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. pl. min. obtusa, 7-nervis. Mucro *hermaphroditi* praesertim in spiculis adultioribus exsertus.

Obs. Affine *P. demisso*, qu. v. infr.

Panicum stigmosum. Radiis a basi decompositis, paniculatis jubatisve, cum Radiolis pl. min. patentibus; Pedicellis spicula paulo nunc brevioribus nunc longioribus; Spiculis linealibus, obovatis, obtusis, glabris puberulisve; Gluma inferiore flosculis subduplo breviori, 3 — 5-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lanceolatis, glabris pilisve brevibus adspersis.

Panicum stigmosum Trin. Diss. II. p. 194. Ic. gr. XIX. tab. 225. (var. culmo simplici). N. ab Es. Agr. bras. p. 219.

V. spp. Bras.

Culmus circiter sesquipedalis, geniculato-adscendens et plerumque patentiramosus. *Vaginae* brevi-pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 4 — 7 lata, sesquipollicaria — ultrapalmaria. *Juba panicularis* circiter digitalis, lucida. *Radii* solitarii l. aliquot conferti. *Gluma* inferior interdum dimidiam spiculam subexcedit. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum viscidum Ell. Radiis a basi subdecompositis, jubatis, patentibus, Radiolis patulis; Pedicellis spiculam aequantibus eave longioribus; Spiculis linealibus, obovatis, submucronato-acutiusculis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis 4 — 5-plo breviori, subenervi, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis sublineari-lanceolatis, undique (culmoque, infra nodos annulatim glabro) pubescentibus.

Panicum viscidum. Kth. Agr. syn. p. 107.

V. sp. Am. bor.

Totum canescens. *Culmus* ultrapedalis, obliquus? crassiusculus, ramosulus, infra nodos tantum spatio lineari glaber. *Vaginae* pubescentes, dorso superne glabratae. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* adultiora lineas 4 — 5 lata, attenuato-acuminata, ultra- 4 — 3-pollicaria: supremum jubam basi involucrans. *Juba* circiter tripollicaris. *Axis comm.* pilosus. *Radii* bini, solitarii, sparsi, flexuosi, crassiores pilosuli. *Flosc. neut.* sub-bivalvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum psilopodium. Radiis paulo superius compositis et decompositis, paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis spiculam aequantibus l. plerumque eadem longioribus; Spiculis linealibus, ovalibus, mucronatis, glabris; Gluma inferiore flosculis subtriplo breviori, 3 — 5, superiore 11-nervi; Hermaphrodito mucronulato, laevi; Foliis linearibus (vel sublanceolato-linearibus), glabris.

Panicum psilopodium Trin. Diss. II. p. 217. Kth. Agr. syn. p. 100. — *P. virgatum Roxb!* — *P. ramosum Koen.* in hbio Banks.

V. spp. Ind. or.

Culmus ultrapedalis, geniculatus, foliifero-ramulosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevis, ciliari-lacera. *Folia* lineas 2 — 3 lata, ultrapalmaria. *Panicula* spithamaea, superne patula. *Radii* pertenues. *Radioli* subcapillares. *Spiculae* spadicescentes. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inf. 9-nervis.

Panicum brevifolium L. sp. pl. ed. 1. Radiis a basi subdecompositis, jubatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula (multo) longioribus; Spiculis minimis, obovatis, acutiusculis, (tenui-interdum obsolete) pubescentibus; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 1-, superiore 3 (5-) nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis ovali-lanceolatis, glabriusculis, ciliatulis aut minute pubescentibus.

Panicum brevifolium. R. et S. II. p. 449. Trin. Diss. II. p. 240. — *P. trichantum N. ab Es!* Agr. bras. p. 210. (culmo paulo altiori et firmiori). — an *P. trichoides Sw.?* N. ab Es. l. l. p. 205.? Kth. Agr. syn. p. 112. — an *P. capillaceum LaM?*

V. spp. Ind. occ. Bras.

Culmus 1 — 2-pedalis, florifero-ramosus, erectus l. inferne pl. min. repens. *Vaginae* plerumque hirsuto-pubescentes. *Folia* lineas 3 — 7 lata, 1 — 3-pollicaria. *Juba* in minoribus dimidiam graminis longitudinem efficit, spithamaea l. brevior. *Axis comm.* saepissime pilis densioribus rarioribusve adspersus, nec minus saepe nudus. *Flosc. neuter* 1-valvis.

Panicum capillare L. sp. pl. ed. 1. Radiis virgatis, plerumque paulo superius decompositis, paniculatis Radiolisque superne patentibus; Pedicellis spicula plerumque (multo) longioribus; Spiculis linealibus, ovalibus, acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3 — 5-, superiore sub-7-nervi; Hermaphrodito (neutro fere ¼ minori) acutiusculo, laevi; Foliis sublinearibus, pilosis.

Panicum capillare. R. et S. II. p. 435. Kth. Agr. syn. p. 114. Host gr. Austr. IV. tab. 16.

* Minus, panicula rara:

Panicum philadelphicum Bernh! N. ab Es. Agr. bras. p. 198. (excl. synn. Purshii et R. et S.)

V. spp. Amer. bor. Bras.

Culmus 1 — 2-pedalis, inferne paniculifero-ramosus. *Vaginae* compressae, hirsutae. *Folia* lineas 2 — 3 lata, in majoribus pl. min. spithamaea, strictiuscula. *Panicula* spithamaea — semipedalis. *Flosc. neut.* 1-valvis, 7-nervis.

Panicum Melinis. Radiis a basi decompositis, paniculatis, contractiusculis, Pedicellis spicula plerumque brevioribus; Spiculis sublinealibus, elliptico-linearibus, e flosculi neutrius apice bidentato plerumque setam emittentibus, glabris; Gluma inferiore minima, superiore (emarginata) 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, hirsuto-pubescentibus.

— *Melinis minutiflora PB.* R. et S. II. p. 495. N. ab Es. Agr. bras. p. 407.

Agrostis glutinosa Ht. Gor!

Tristegis glutinosa N. ab Es. Hor. phys. p. 47. tab. 7.

Suardia picta Schrk. ht. Monac. 3. tab. 58.

V. spp. Bras. et cc.

Culmus plantae spontaneae sesqui — bi-pedalis, decumbens. *Vaginae* cum *Foliis* compressiusculis, lineas plerumque 3 latis, digitalibus, dense pubescentes et viscidae. *Panicula* ultrapalmaris — spithamaea. *Spiculae* angustae. *Flos-*

culus neuter 1-valvis, 5-nervis, rarius muticus, plerumque e fissura apicis setam emittens pl. min. elongatam.

Obs. Flosculò neutro, sic ut haud raro occurrit, constanter inermi concepto, nemo foret, qui hoc gramen Panici speciem esse negaret. Seta autem illa (ut in Echinochloa, Orthopogone, Oryza al.) vaga ad genus constituendum neutiquam sufficit. *Lodicula* marginibus valvulae superioris inferne subalato-prominulis suppletur, ita ut ipsi potius adnata videatur. Caryopsis (intra valvulas demum subcoriaceo-chartaceas, arcte clausas, libera, scutello suo duplo longior) Panici.

Panicum subeglume. Radiis virgatis, fere a basi subdecompositis, paniculatis, contractis, Radiolis patulis; Pedicellis spicula (multo) longioribus; Spiculis vix linealibus, lineari- l. sublanceolato-ellipticis, obtusiusculis, sub lente pubescentibus; Gluma inferiore nulla, superiore pusilla l. obsoleta; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis lanceolato-linearibus, pubescendo-pilosulis.

Milium capillare Roth! R. et S. II. p. 320. Mant. 2. p. 178. — *M. tomentosum Rottl.?* R. et S. II. p. 321.

V. sp. Ind. or.

Culmus (abscissus) bipedalis? *Vaginae* superne glandulis adspersae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folium* (supremum) spithamaeum, pilis adspersum et margine pubescens. *Panicula* semipedalis. *Radii* subcapillares, inferiores verticillati, ultrapalmares, inferne non longe nudi. Barba axillarum in specimine, quod ex ipsius cel. Rothii manu profectum vidi, nulla. *Radioli* et *pedicelli* capillares. *Spicularum* organisatio ut in Digitariis. *Gluma* unica (superior), pusilla, rotundato-obtusa, glabra. *Flosc. neut.* 1-valvis, hermaphroditum ita obvolvens, ut margines sui inferne invicem contingant, 7-nervis, inter nervos pilosulo-pubescens. *Hermaphr.* lanceolato-ellipticus, neutrum aequans.

Panicum prionitis N. ab Es. Radiis superne (dense) decompositis, paniculato-jubatis, patulis, Radiolis tertiariis contractis; Pedicellis spicula (multo) brevioribus; Spiculis sublinealibus ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo duplove breviori 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito

acuto, laevi; Foliis angusto-linearibus, (canaliculatis, rigidissimis, margine argute serratis) glabris.

Panicum prionitis N. ab Es. Agr. bras. p. 162.

V. spp. Bras.

Culmus orgyalis, cylindricus, strictissimus, farctus, nodis albopruinosis, aequis. *Vaginae* glaberrimae et laeves. *Ligula* nulla. *Folia* coriaceo-indurata, strictissima, subtrigono-concava, lineas 2 — 3 lata, sesqui — bi-pedalia. E *vaginis* superioribus emergunt paniculae semi-inclusae, adpressae, breves. *Panicula* terminalis pedalis et altior, superne densissima. *Radii* aliquot conferti et solitarii, compressi, subangulati, vix scabriusculi. *Radioli* pertenues: inferiores superne dense et fere thyrsiformi-floriferi. *Gluma* inferior plerumque paulo patens. *Flosc. neuter* 2-valvis.

β. *Radiis pl. min. teretibus.* *)

Panicum acariferum. Radiis superius decompositis, dense jubatis Radiolisque patulis: tertiariis Pedicellisque brevissimis; Spiculis pusillis, lanceolato-ovalibus, acutissimis; Glumis flosculis duplo brevioribus, 5-nervibus; Hermaphrodito acuminato, margine longe ciliato; Foliis latissimo-lanceolatis, glabris.

Panicum acariferum Trin. ic. gr. VIII. tab. 87. Kth. Agr. syn. p. 125.

Melica latifolia Roxb. Schult. Mant. 2. p. 297.

V. spp. Ind. or.

Culmus orgyalis, simplex. *Vaginae* glabrae. *Folia* basi subauriculata amplectentia, pollices $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ lata, ultrapedalia. *Juba* ampla, densissima, sesquipedalis, pallide canescendo-fuscescens. *Racemi* palmares — ultrapedales. *Racemuli* primarii 2-pollicares — dodrantales, ob secundarios brevissimos totidem thyrsos angustissimos interruptos referentes. *Spiculae* in glomerulis circiter 2-linealibus, nitidulae. *Flosculi* intra glumas, parum inaequales, bre-

---

*) Species enumeratae secundum pedicellos sensim longiores.

vissime stipitati: *neuter* 1-valvis, inferne e margine pilos brevissimos emittens. *Hermaphr.* chartaceus, aciculato-acutus: pili e margine glanduloso patentes.

Panicum milioides N. ab Es. Radiis superius compositis, alternis, pl. min. patentibus, Radiolis contractis Pedicellisque brevissimis; Spiculis fere linealibus, sublanceolato-ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo duplove breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (neutro paululum minori) acuto, punctulato; Foliis linearibus, glabris.

Panicum milioides N. ab Es. Agr. bras. p. 175. (an synn?) Trin. Diss. II. p. 225. — Sub *P. melicario Mchx.* Kth. Agr. syn. p. 113.

V. spp. Bras.

Culmus ultrapedalis, simplex, compressus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* lineas 1 — 2 et qu. exc. lata, digitalia — subspithamaea. *Panicula* palmaris. *Radii* distantes. *Radioli* thyrsiformes, breves. *Flosculus neuter* 2-valvis: valv. inferior 5-nervis, superior in nonnullis longior et acutissima.

Panicum angustum. Radiis simpliciusculis, brevissimis, in thyrsum angustum coarctatis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis vix linealibus, elliptico-ovatis, acutis, superne pilis adspersis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (neutro parum minori) acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, glabris.

Panicum angustum Trin. ic. gr. XXVIII. tab. 334.

V. spp. Nepal.

Culmi erecti, digitales — dodrantales, simplices l. inferne contracto-ramosi. *Vaginae* glabrae. *Folia* maximam partem atro-purpurascentia, linea angustiora, pollicaria — palmaria. *Thyrsus* semi — 2-pollicaris, ex atropurpureo, fusco et viridi varius. *Glumae* inferioris nervi laterales marginales. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum indicum L. Mant. 2. p. 184. Radiis simplicibus brevissimis (s. potius Pedicellis ipsis) spicula brevioribus, thyrsum angustissimum constituentibus;

Spiculis ultralinealibus, ovatis, acutis, glabris l. superne strigilosis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore (eosdem nonnihil excedente) 7 — 11-nervi; Hermaphrodito (neutro quartam partem minori) adunco-mucronato, laevi; Foliis linearibus, glabris (superne pilis adspersis).

Aira spicata L. sp. pl. ed. 1. no 1.

Panicum indicum. R. et S. II. p. 429. (sub *P. conglomerato*, quod, cum syn. *Airae indicae L.*, ob „spicam secundam" huc non pertinet). Trin. Diss. II. p. 170. (excl. synn. Linnaei altero et tertio). Ic. gr. XVII. tab. 197. — *P. microstachyum LaM.*

V. spp. Ind. or. Philipp.

Culmus prostratus, semi — 2-pedalis, tenuis, ramosus. *Vaginae* glabrae. *Folia* pl. min. lineam lata, in minori gramine digitalia vel breviora, in majori fere spithamaea. *Thyrsus* semi — ultra-pollicaris, subglaucescens. *Spiculae* compressiusculae, hinc arcuatae, deciduae. *Gluma* inferior marginem versus membranacea, medio 3-nervis; superior valde convexa, in varietate minori glabra, in majori marginem versus superne strigiloso-ciliata. *Flosculus neuter* 1-valvis, 7-nervis.

Panicum decipiens N. ab Es. Radiis fere a basi compositis, in paniculam (brevem) cylindraceam contractis Pedicellisque brevissimis; Spiculis linealibus, sublanceolato-ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, 1-, superiore iisdem paulo minori, 3-nervi; Hermaphrodito mucronulato, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris.

Panicum decipiens N. ab Es! Agr. bras. p. 193. Trin. Diss. II. p. 227. — *P. fallax Kth.* Agr. syn. p. 95.

V. spp. Bras.

Culmus ultrapedalis, basi repens, simplex, compressus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, membranacea. *Folia* lineas 2 — 3 lata, 2 — 3-pollicaria. *Panicula* lineari-angusta, sesqui — bi-pollicaris. *Radii* solitarii breves: ra-

diolis brevissimis, subfasciculatis. *Spiculae* hinc purpurascentes. *Flosc. neut.* vel *masc.* 2-valvis: valv. superior inferiorem hermaphroditumque excedens.

Panicum Pterigodium. Radiis fere a basi compositis (brevibus) in paniculam sublinearem (brevem) contractis; Pedicellis spiculam plerumque aequantibus; Spiculis parvis, rotundato-oblongis, obtusiusculis, glabris; Glumis flosculis 3 — 4 plo brevioribus, subenervibus; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis involutis, glabris.

Panicum Pterigodium Trin. Diss. II. p. 227. Kth. Agr. syn. p. 131.

Otachyrium junceum N. ab Es. Agr. bras. p. 272.

V. spp. Bras.

Culmus pl. min. pedalis, tenuis. *Vaginae* oris barbatae. *Ligula* ciliata. *Folia* digitalia. *Panicula* sesqui — 2-pollicaris, angustata. *Radii* solitarii binive. *Glumae* subaequales: inferior obsolete 1-, superior sub-3-nervis. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inferior sub-3-nervis; superior latior et paulo longior.

Panicum macranthum. Radiis simplicibus, superne floriferis, verticillatis, patentibus (demum contractis); Pedicellis spicula brevioribus brevissimisve; Spiculis trilinealibus, ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis quadruplo duplove breviori, 1 — 3-, superiore (iisdem subminori) 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, pubescente; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris l. piloso-pubescentibus.

Panicum macranthum Trin. Diss. II. p. 209. — *P. vaginatum N. ab Es!* Agr. bras. p. 156. Kth. rev. gr. tab. 166. Agr. syn. p. 119.

V. spp. Bras.

Culmus 3-pedalis, simplex aut ramosulus (decumbens Riedel). *Vaginae* glabrae. *Ligula* nulla. *Folia* lineas 4 et qu. exc. lata, pollices 4 — 7 longa, firma. *Radii* in verticillo infimo 5, tenues, fere racemiformes. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum Teneriffae Br. Radiis a basi decompositis, paniculatis, cum Radiolis patulis l. patentibus patentissimisque; Pedicellis spicula brevioribus l. eandem aequantibus; Spiculis ultralinealibus, sublanceolato-ovalibus, acutis, sericeo-villosis; Gluma inferiore obsoleta, superiore subenervi; Hermaphrodito (masculo paulo breviori) acuto, laevi; Foliis linearibus, subinvolutis, glabris.

Panicum Teneriffae. Kth. Agr. syn. p. 98. — *P. villosum Presl.!* — *P. saccharoides Trin.* Diss. II. p. 245.

Saccharum Teneriffae L. fil. R. et S. II. p. 285. Jacq. Eccl. tab. 34.

Tricholaena micrantha Schrad. Schult. Mant. 2. p. 163.

Agrostis plumosa Ten.!

V. spp. Canar. Calabr. Sic. Mont. Sinai.

Culmus sesqui — bi-pedalis, inferne ramosus et pubescens, rigido-firmus. *Folia* longiora vix digitalia. *Panicula* plerumque sesquipalmaris. *Radii* tenuissimi. *Pedicelli* nunc longe villosi, nunc nudi. *Spiculae* deciduae.

Obs. Hermaphroditus, ut in *Urachne*, apice satis longe aristatus depingitur a Silthorpio in Fl. Graeca.

Panicum capense Lichtenst. Radiis a basi compositis, paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis ultralinealibus, ovalibus, obtusis, villosis; Gluma inferiore flosculis plus dimidio breviori, enervi, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (masculo minori) acuto, laevi; Foliis lanceolato-linearibus, glabris suprave tenui-pubescentibus.

Panicum capense. R. et S. II. p. 457. N. ab Es. in Linnaea 1832. p. 275.

V. sp. Cap. b. sp.

Culmus ultrapedalis, basi rigido-firmus, ramosus, adscendens. *Vaginae* teretes, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* rigida, lineas circiter 2 lata, 2 — 3-pollicaria. *Panicula* 3-pollicaris. *Radii* tenuissimi. *Radioli* subcapillares, flexuosi. *Spiculae* deciduae. *Flosc. masc.* l. *neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum sciurotis. Radiis a basi decompositis, paniculato-jubatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula brevioribus l. eandem aequantibus; Spi-

culis parvis, obovato-ovalibus, nunc obtusiusculis nunc acutiusculis, glabris l. tenerrime pubescentibus; Gluma inferiore flosculis triplo breviori, 1-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito mucronato, laevi; Foliis ovatis, amplexicaulibus, hirtis.

Panicum sciurotis Trin. Diss. II. p. 228. N. ab Es. Agr. bras. p. 209. Kth. Agr. syn. p. 112. rev. gr. tab. 210.

V. spp. Bras. (Bahiens. et Ins. Cathar.)

Culmus pl. min. pedalis, ramosissimus, ramis diffusis, glabris hirtisve. *Vaginae* glabrae l. hirtae. *Folia* numerosa, 1 — 2-pollicaria, majora pollicem dimidium et ultra lata. Panicula 2 — 3-pollicaris, subturbinata, folio supremo involucrata. *Axis comm.* pilosus. *Radii* delapsis spiculis patentissimi. *Flosc. neut.* 1-valvis, 3 — 5-nervis.

† *Panicum coriophorum Kth.* Radiis fere a basi subdecompositis, paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis spiculam pl. min. subaequantibus; Spiculis (cernuis) linealibus, ovalibus (hinc gibbis), acutiusculis, glabris; Gluma inferiore minima, superiore 11-nervi; Hermaphrodito (neutro subduplo minori) acutiusculo, laevi; Foliis lineari-lanceolatis, glabris.

Panicum coriophorum Kth. rev. gr. tab. 107. Agr. syn. p. 88.

Madagascar.

Culmus sesquipedalis. *Vaginae* glabrae. *Folia* basi rotundata, lineas 2 — 3 lata, 2 — 3-pollicaria. *Panicula* 5 — 6-pollicaris, lucidula. *Radii* solitarii, filiformes. Nervi *glumae* superioris cucullatae distinctissimi. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum umbellatum. Radiis (subracemiformi-) simpliciusculis l. paulo superius compositis, subverticillatis sparsisque, patulis (subfastigiatis, pilis adspersis); Pedicellis spiculam pl. min. aequantibus; Spiculis sublinealibus, ovalibus, mucronulato-acutis, glabris; Gluma inferiore minima, superiore 3-nervi; Hermaphrodito obtuso, laevi; Foliis (brevibus, patentissimis) lanceolatis, inferioribus marginem versus pilosulis.

Panicum umbellatum Trin. Diss. II. p. 238. — *P. repens N. ab Es.* Agr. bras. p. 171. (excl. syn. LaM. et, ut videtur, Linn.)

V. spp. Mascar.

Obs. Vid. descr. ap. N. ab Es. — Linnaei definitio *Panici repentis* sui brevissima, et descriptio, ob Folia superiora (culmea) in planta nostra *non* longiora racemosque „tribus quatuorve" semper plures, non quadrans, synon. Linnaei, majori jure ad *Pan. arenarium Brot.* (cui etiam patria, Hispania L., respondet) referendum, dubium reddunt. — *Pan. multinode LaM.* ab ill. N. ab Es. ad plantam nostram relatum, vel ob solam glumam inferiorem, flosculis duplo tantum breviorem, huc duci nequit.

Panicum chnoodes. Radiis superius compositis, paniculatis, patentibus, Radiolis contractiusculis patulisve; Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem paulo longioribus; Spiculis linealibus, oblongis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, mollissime refracto-villosissimis. (Ligula membranacea).

Panicum chnoodes Trin. Diss. II. p. 211. Ic. gr. XXI. tab. 247. N. ab Es. Agr. bras. p. 216.

V. spp. Bras.

Culmus sesquipedalis. Quoad paniculam et spiculas sequentibus 2 simillimum; differt vaginis, foliis (erectis), culmo (superne) axique communi mollissime lanatis, foliis rigidulis quidem sed magis herbaceis, ligula manifesta.

Panicum pungens. Radiis superius compositis, paniculatis Radiolisque patulis hisve contractiusculis; Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem paulo longioribus; Spiculis linealibus, oblongis, acutiusculis (obtusiusculisve), glabris; Hermaphrodito (masculo paulo minori) acutiusculo, striatulo; Foliis linearibus, glabris (coriaceis, squarrosis; Ligula nulla).

Panicum pungens Trin. Diss. II. p. 210. Ic. gr. XXI. tab. 248. N. ab Es. Agr. bras. p. 160.

V. spp. Bras.

Culmus sesquipedalis, simplex, erectus. *Vaginae* infimae imbricatae, hiantes, lanatae. *Folia* subconcavo-plana l. marginibus involuta, lineas 2 — 4 lata, glabra, dura, pungentia, glauca: radicalia subrecurvo-squarrosa, dodrantalia l. longiora, culmea breviora. *Panicula* palmaris. *Radii*, basi saepe barbati, tenues. *Flosc. masc.* bivalvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum loreum. Radiis superius compositis, paniculatis Radiolisque pl. min. patentibus hisve contractiusculis; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis linealibus, oblongis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo breviori 1 — 3-, superiore 3 — 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis linearibus, glabris (coriaceis, erectis; Ligula nulla).

Panicum loreum Trin. Diss. II. p. 211. Ic. gr. XXI. tab. 246. N. ab Es. Agr. bras. p. 217.

V. spp. Bras.

Simillimum praecedenti, vix differens nisi culmo altiori, panicula majori, pedicellis paulo longioribus, hermaphrodito neutrum aequante. *Vaginae* radicales squamiformes, villosulae.

Panicum acuminatum Sw.! Radiis fere a basi compositis, (brevi-) jubato-paniculatis (foliis pl. min. dense obvallatis) Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula paulo longioribus; Spiculis linea brevioribus, ovalibus, obtusiusculis, brevi-pilosis; Gluma inferiore flosculis 3 — 4 — 5-plo breviori, sub- 3-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, laevi; Foliis (brevibus) lineari-lanceolatis, villoso-pubescentibus.

Panicum acuminatum. R. et S. II. p. 453.

V. spp. Ind. occ.

Culmus circiter spithamaeus, decumbens, ramosissimus: ramis brevibus, confertis, subfastigiatis, erecto-foliosissimis. *Vaginae* pl. min. villoso-pubescentes. *Folia* stricta, semi — ultra-pollicaria, inferiora interdum lineas 2 et qu. exc., superiora lineam lata. *Panicula jubalis* pollice pl. min. minor, paupercula, foliis plerumque brevior.

Panicum madagascarense *Sprgl.* Radiis superne decompositis, paniculatis, patentibus, Radiolis patulis; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis sublinealibus, elliptico-ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore minutissima, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis linearibus, glabris.

Panicum madagascarense Sprgl. S. V. I. p. 317. Kth. Agr. syn. p. 131. — *P. airoides Flügg!* N. ab Es. Agr. bras. p. 175. — *P. coloratum Willd.* hb.

V. sp. Mascaren.

Culmus circiter 2-pedalis, geniculato-adscendens, erecto-ramosus. *Vaginae* inferiores teretes, glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* strictiuscula, compressa l. plana, lineas 1 — 2 lata, inferiora semipedalia. *Panicula* florens patens et patentissima, spithamaea et longior. *Radii* tenuissimi. *Spiculae* ex amethystino viridique variae. *Gluma* inferior vix nisi lentis ope conspicua. *Flosc. neut.* l. *masc.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis. *Nervi* palearum pertenues.

Panicum hebotes. Radiis pl. min. a basi compositis, jubato-paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula paulo longioribus; Spiculis parvis (l. vix linealibus), ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis subduplo (magisve) breviori, sub- 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis lanceolatis, glabris.

V. spp. Bras.

Habitus aliquantum *P. brevifolii.* — *Culmus* sesqui — bi-pedalis, adscendens? ramulosus, satis tenuis, compressus, pubescens. *Vaginae* pubescentes. *Ligula* brevissima, subciliaris. *Folia* dissita, patentia, lineas 3 — 5 lata, digitalia — ultrapalmaria. *Panicula* palmaris et longior, satis tenera. *Axis comm.* Radiorumque crassiores pubescentes. *Radii* aliquot conferti l. solitarii. *Gluma* inferior dimidiam spiculam interdum paulo excedit; superior flosculis nonnihil brevior. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum pubescens *Mchx.* (Polymorphum). Radiis a basi compositis l. decompositis, paniculatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula plerumque (paulo multove) longioribus; Spiculis nunc subultralinealibus nunc

linealibus aut parvis, obovatis, obtusis acutiusculisve, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis subtriplo quadruplove breviori, 1 — 5-, superiore 7 (— 9-) nervi; Hermaphrodito obtusiusculo (interdum submucronulato), laevi; Foliis lanceolatis l. lanceolato-linearibus, pl. min. pilosis (infimis saepe ovato-lanceolatis, brevioribus, confertis).

a) Spiculis subultralinealibus; culmo simplici l. ramuloso:

α. Foliis lanceolatis, ciliatis nudiusculisve, circiter digitalibus:

Panicum pubescens. R. et S. II. p. 446. Mant. 2. p. 242. Kth. Agr. syn. p. 108. — ***P. Enslini*** *Trin.* Diss. II. p. 230. N. ab Es. Agr. bras. p. 227. Kth. Agr. syn. p. 128. sub ***P.*** *macro* (an synn?).

(Hujus var. specimen bipedale, foliis spithamaeis, pollicem latis vaginisque subnudis mis. cel. TORREY s. n. ***Pan.*** *nitidi*, *latifolii.* Ipsae spiculae hinc inde nudiusculae).

β. Foliis lanceolato-linearibus, nudiusculis; Pedicellis plerumque longis:

Panicum angustifolium *Ell.* Schult. Mant. 2. p. 257. — ***P.*** *nitidum*, *debile* (gracile?) *Torr.!*

γ. Foliis rigidioribus, angustis, dense pubescentibus:

Panicum villosum *Ell?* (***P.*** *consanguineum Kth.* Agr. syn. p. 106).

V. omn. varr. spp. Am. bor.

b) Spiculis vix linealibus, parvis l. subminimis:

α. Culmo ramoso:

Panicum lanuginosum *Ell.* Kth. Agr. syn. p. 107. — ***P.*** *velutinum Bosc.* in hb. Willd. — ***P.*** *laxiflorum LaM.* R. et S. II. p. 455. Trin. Diss. II. p. 231. Kth. Agr. syn. p. 111. (panicula patentissima). — SPRENGEL mis. s. n. ***Pan.*** *villosi Ell.* — ***P.*** *nitidum*, no. 5. *Torr.* ms.

V. spp. Ind. occ. Am. bor.

β. Culmo simplici:

Panicum heterophyllum *Bosc.* N. ab Es. Agr. bras. p. 227. — ***P.*** *ovale Ell?* —

P. discolor Sprgl. Mant. — *P. laxiflorum Sprgl.* in Mém. Petrop. — *P. unciphyllum Trin.* Diss. II. p. 242.

γ. Gluma inferiore flosculis saepissime dimidio tantum breviori:

Panicum leucoblepharis Trin. Diss. II. p. 219. N. ab Es. Agr. bras. p. 229. (excl. syn. Mühlenb.)

V. spp. Am. bor.

Culmus pl. min. pedalis, praecipue in *b*, *α*, ramosus, plerumque villis rarioribus densioribusve adspersus, rarius glaber. *Vaginae* patenti-villosae, rarissime glabriusculae. *Folia*, quoad pubescentiam variabilia, ubi lanceolata sunt, bipollicaria, rarius longiora, communiter lineas 3 lata; ubi lineari-lanceolata tantum, spithamaea l. fere dodrantalia, lineas vix 2 lata; in *a*, *γ*, angusta, margine subinvoluta. *Panicula* circiter 2-pollicaris, rarius major, in *a*, *β* et *γ* subpauciflora. *Axis comm.* cum radiis plerumque villis adspersus. *Spiculae* in *a* pyriformes, in *b* magis ovales; interdum non nisi lineam dimidiam longae. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 7-nervis.

Obs. Folia radicalia fere in omnibus varr. breviora et ovato-lanceolata occurrunt.

Panicum nitidum LaM. Radiis fere a basi (parum) compositis, paniculatis jubatisve, patentibus, Radiolis patulis; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis linealibus l. sublinealibus, elliptico-obovatis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis subtriplo breviori, 1-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito obtusiusculo, laevi (tenerrime striatulo); Foliis (lineari-) lanceolatis, glabris.

Panicum nitidum. Trin. Diss. II. p. 220. (nec N. ab Es. Agr. Bras. p. 229. nec Kth. Agr. syn. p. 107, cui, ex Purshio, spiculae pubescentes dicuntur. — Nec, ut videtur, Mchx., R. et S. II. p. 446.) — *P. angustifolium Trin.* Diss. II. p. 234. N. ab Es. Agr. bras. p. 226. — *P. lancearium Trin.* Diss. II. p. 223. (Spiculis magis obovatis, foliis brevioribus).

V. spp. Am. bor.

Culmus pl. min. pedalis, tenuis, erecto- foliifero-ramosus, *Vaginae* fauce tantum minute barbulatae. *Ligula* brevissima, lacera. *Folia* lanceolata l. li-

neari-lanceolata, sesqui — 3-pollicaria: infima (ut praecedentis) interdum ovato-lanceolata, breviora. *Panicula* 2 — 3-pollicaris, lucida. *Spiculae* plerumque purpurascentes. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Obs. Specimina nostra exacte descriptioni LaMarckii respondent, qui de nodis barbatis silet. At tamen exemplum asservo angustifolium, nodis barbulatis, ceterum genuino *nitido* ex toto simillimum: anne hoc *Pan. barbulatum Mchx.*? — *Pan. nitidum* a *Pan. pubescente* glabritie sola distinguitur.

Panicum verrucosum Mühlenb. Radiis paulo superius compositis, paniculatis, patulis l. pl. min. patentibus, Radiolis contractiusculis; Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem paulo longioribus; Spiculis parvis, ovalibus, acutis, verrucosis; Glumis obsolete nervosis l. e-nervibus: inferiore glumis quadruplo breviori; Hermaphrodito mucronato-acuto, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris.

Panicum verrucosum. Trin. Diss. II. p. 235. N. ab Es. Agr. bras. p. 226. — *P. umbrosum LeConte?* — *P. rugosum Bosc.* ined. — Sub *P. ramuloso Mchx.* (certo alieno) Schult. Mant. 2. p. 243. Kth. Agr. syn. p. 105.

V. spp. Philad.

Culmus debilis, simplex aut ramulosus. *Vaginae* teretiusculae, internodio dimidio breviores. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* sesquilineam lata, digitalia et breviora. *Panicula* palmaris — spithamaea, lucida. *Radii* subcapillares. *Radioli* pauciflori. *Spiculae* linea breviores, subfuscescendo-virides. *Flosculus neuter* 1-valvis.

Panicum chamaelonche. Radiis paniculae (minutae) a basi parum compositis Radiolisque (simplicibus) patulis; Pedicellis spicula plerumque longioribus; Spiculis pusillis, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis subtriplo breviori, 1-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito mucronulato, laevi; Foliis lineari-lanceolatis, glabris (brevibus)

Panicum chamaelonche Trin. Diss. II. p. 242.

V. spp. Am. bor.

Plantula circiter digitalis, *culmo* tenuissimo, inferne erecto-ramoso. *Folia* semipollicaria, inferiora interdum lineam lata, strictiuscula. *Panicula* folio ipsam aequante involucrata, tenera, semipollicaris. *Flosc. neut.* 1-valvis? 5-nervis.

Panicum nodiflorum LaM. Radiis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque patulis l. patentibus; Pedicellis spicula multo longioribus; Spiculis pusillis, oblongis, acutiusculis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis subtriplo breviori, enervi, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lineari-lanceolatis, pubescentibus.

Panicum nodiflorum. N. ab Es. Agr. bras. p. 231. — Sub *P. dichotomo*, R. et S. II. p. 430. — *P. strictum Bosc!* — *P. ramulosum Mchx.*

V. spp. Am. bor.

Culmus spithamaeus l. vix dodrantalis, subfiliformis, ramosissimus: ramis floriferis. *Folia* numerosissima, pl. min. semipollicaria aut pollicaria, lineam dimidiam l. lineam lata, omnia subaequalia. *Ligula* longe barbata. *Flosc. neuter* 1-valvis? 5-nervis.

† *Panicum ignoratum Kth.* Radiis paniculae (sublinearis) a basi compositis Radiolisque contractiusculis; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis sesquilinealibus, obovato-ellipticis, obtusiusculis, sericeo-pubescentibus; Gluma inferiore nulla, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, apice ciliatulo; Foliis linearibus, glabris.

Panicum ignoratum Kth. rev. gr. tab. 20. Agr. syn. p. 98.

Phalaris villosa Mchx.

Anthenantia villosa PB.

Aulaxanthus ciliatus Ell

Aulaxia ciliata Nutt.

Carolina.

Culmus subbipedalis, simplex. *Folia* vix sesquilineam lata, subdodrantalia. *Ligula* ciliaris. *Panicula* 4 — 6-pollicaris, lucidula. *Radii* solitarii, filiformes. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum Monachne. Radiis superius subdecompositis, paniculatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis linealibus, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore nulla l. minutissima; superiore enervi, Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis linearibus, glabris (firmis).

Panicum Monachne Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 86. Kth. Agr. syn. p. 127.

V. sp. Mascaren.

Culmus pede longior, ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* ciliaris. *Folia* inferne plana, superne subinvoluta, subspithamaea. *Panicula* spithamaea, strictiuscula. *Radii* bini. *Radioli* capillares. *Flosculus masculus* bivalvis: valvula inferior membranacea, enervis. *Flosc. superior* an mere femineus? cartilagineo-chartaceus.

Panicum polycomum. Radiis fere a basi compositis, paniculato-jubatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula (multo) longioribus; Spiculis pusillis, obovatis, mucronulato-obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis duplo triplove breviori, 3-, superiore (iisdem plerumque paulo breviori) 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis sublinearibus, (junioribus) hirsutis.

V. spp. Guian.

Culmi caespitosi, spithamaei — dodrantales, erecti, filiformes, longe plerumque erecto- et paniculifero-ramosi. *Vaginae* hirsutae, rarius glabrae. *Folia* sublanceolato-linearia, medio lineam dimidiam lata, lineas 6 — 8 longa, pleraque hirsuta, alia (praesertim vetustiora) glabra. *Paniculae* sesquipollicares, lucidae, tenerae. *Radii* plerumque solitarii. *Spiculae* pallide virides. *Flosc. neut.* 1-valvis? 7-nervis.

Panicum radicans Retz. Radiis superius decompositis, paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula pl. min. longioribus; Spiculis minimis, subrotundis (hinc gibbis), obtusiusculis, glabris; Glumis 3-nervibus: inferiore flosculis subdimidio-, superiore iisdem quartam partem breviori; Hermaphrodito subadunco-mucronato, laevi; Foliis lanceolatis, basin versus ciliatis.

Panicum radicans. R. et S. II. p. 449. N. ab Es. Agr. bras. p. 206. — *P. obliquum Roth.* R. et S. II. p. 433. Mant. 2. p. 232. — *P. multinode LaM.* (R. et S. II. p. 454)? — *P. accrescens Trin.* ic. gr. VIII. t. 88. — *P. patens Sprgl.* S. V. p. 322. (vix Linn. sp. pl. ed. 1.)

V. sp. Nepal.

Culmus procumbens, radicans, florifero-ramosus. *Vaginae* superne ad margines satis longo-pilosae. *Ligula* membranacea, brevis. *Folia* medio lineas 3 — 4 lata, basin versus e glandulis longiuscule ciliata, in pagina inferiore punctulis pusillis, in superiore interdum pilis brevissimis adspersa, sesqui — 3-pollicaria. *Panicula* semipedalis, lucidissima, subpauciflora. *Axis comm.* tenuissimus. *Radii* bini solitariique, basi callosi, cum *Radiolis* capillares. *Spiculae* vix lineam dimidiam longae, e ferrugineo, viridi et fusco variae (in nostro specimine glabrae). *Flosculus neuter* 1 — 2-valvis: valv. inf. 3-nervis.

Panicum commelinaefolium Rudge. Radiis a basi decompositis, paniculatis Radiolisque patentissimis; Pedicellis spicula multo longioribus; Spiculis pusillis, obovato-ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore minima, superiore 3 — 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, tenerrime striatulo; Foliis e basi cordata lanceolatis, tenerrime pubescentibus.

Panicum commelinaefolium Rudge. Guian. tab. 28. R. et S. II. p. 435. Kth. Agr. syn. p. 114.

Milium capillare Rottb

V. spp. Bras.

Culmus 2 — 3-pedalis. *Vaginae* glabrae l. superne ciliatae. *Folia* lineas 4 — 7 lata, circiter 4-pollicaria, praesertim inferne pubescentia, patentia. *Panicula* pedalis et ultra, diffusissima. *Radii* basi callosi et barbulati. *Radioli* et pedicelli capillares.

Panicum chaetophorum R. et S. Radiis Paniculae (omnium subtilissimae) superius parce compositis Radiolisque (subsimplicibus, longissime capilliferis) patentibus; Pedicellis spicula multo longioribus; Spiculis subminimis, turbinato-

subrotundis, superne hirsutis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore (iisdem paulo breviori) 2-(?) nervi; Hermaphrodito (gibbo) oblique mucronato, punctulato; Foliis lanceolatis, glabris.

Panicum chaetophorum R. et S. II. p. 884. — *P. setigernm PB!* Fl. d'Oware I. p. 82. tab. 49. (figura minus bona).

V. sp. ex Oware.

Culmus repens, ramis adscendendo-erectis, satis tenuibus. *Nodi* barbulati. *Vaginae* superne et foliorum basis ciliatae. *Folia* medio circiter lineas 4 lata, pl. min. digitalia. *Panicula* pl. min. dodrantalis, rara. *Radii* subsolitarii, delicatissimi, elongati. *Radioli* (s. Pedicelli) inferne ciliato-pilosi, e glandulis pusillis sparsim emittentes pilos praelongos quidem, tamen vix nisi lentis ope distinguendos. *Gluma* superior et *Flosc. neutrius* valv. inf. praesertim superne pilis inaequalibus densiuscule adspersi.

Obs. Pessime a Palisotio comparatur cum *Pan. fuscorubente* et *numidiano*, quorum nulla prorsus analogia.

Panicum truncatum N. ab Es. Radiis a basi compositis l. subdecompositis, jubato-paniculatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula plerumque (multo) longioribus; Spiculis ultralinealibus, ovato-oblongis, obtusis, glabris; Glumis flosculis plus duplo brevioribus: inferiore 3-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis linearibus (scabris hirsutisve).

Panicum truncatum N. ab Es. Agr. bras. p. 215. (ubi vid. descr.)

V. spp. Bras.

Specimina nostra a descriptione Neesiana quidquam abludunt, tamen omnino ejusdem speciei, nec nisi varietas censenda. *Folia* (in nostris) pedalia et stricto-erecta, compressa, explicata lineas 4 lata, utrinque hirsuta. *Spiculae* basi hinc gibbae. *Flosculi masculi* valvula inferior, ut in *Thrasyis Kth.*, medio longitudinaliter profunde exarata l. subfissa. *Gluma* inferior paulo brevior, flosculis 3 — 4-plo, superior iisdem triplo duplove brevior, utraque truncato-obtusissima.

b) *Gluma inferiore dimidia spicula longiori.* *)

α. *Radiis subangulosis.*

Panicum rigidifolium. Radiis a basi compositis, in thyrsum densum confertis, contractis Pedicellisque brevissimis; Spiculis bilinealibus, ovalibus, acutiusculis, pilis adspersis; Gluma inferiore flosculis parum breviori, 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, glabris (rigidis).

Panicum rigidifolium Trin. ic. gr. XVIII. tab. 214. — *Pan. Trinii Kth.* Agr. syn. p. 88.

V. spp. Bras.

Siccum totum fuscescendo-stramineum. *Culmus* ultrapedalis, erectus, simplex, nodis pubescentibus. *Vaginae* cum foliis sulcato-striatae: radicales sericeo-pubescentes, altiores margine tantum pilosulae. *Ligula* dense ciliaris. *Folia* stricto erecta, firmissima, latiora lineas 6 lata, margine saepissime involuta, inferiora dodrantalia. *Thyrsus* cylindraceus, ultrapalmaris, lineas 3 — 4 latus. *Axis comm.* et *glumae* pilis teneris adspersi. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis. *Hermaphr.* pedicellatus, saepe apice obsolete barbulatus.

Panicum turgidum Forsk. Radiis a basi compositis, paniculato-alternis Radiolisque patulis; Pedicellis brevissimis brevibusque; Spiculis sesquilinealibus, ovalibus ovatisve, acutiusculis, glabris; Glumis flosculos aequantibus: inferiore 5-, superiore 9-nervi; Hermaphrodito (masculo paulo minori) apice subadunco, laevi; Foliis involutis, glabris (brevissimis, pungentibus).

Panicum turgidum. R. et S. II. p. 889. Trin. ic. gr. XIX. tab. 227.

V. spp. Aegypt.

---

*) Ordo specierum secundum pedicellos, sensim longiores.

Culmus sesquipedalis, decumbens, ramosissimus, subcoriaceus, glaberrimus, cum rel. part. flavendo-pallens. *Vaginae* amplae, ad ramificationes squamiformi-confertissimae. *Ligula* ciliaris, obsoleta. *Panicula* sesquipollicaris — palmaris. *Radii* solitarii. *Radioli* perbreves. *Spiculae* turgidulae, satis distincte nervosae. *Flosc. masc.* 2-valvis: valv. inf. 7 — 9-nervis.

Panicum racemosum Sprgl. Radiis simpliciusculis vel fere a basi subcompositis, alternis, contractis; Pedicellis brevissimis brevibusque; Spiculis ultrabilineali-bus, oblongis, obtusis, tomentoso-villosis (turgidis); Gluma inferiore flosculis circiter ¼ breviori, 7 — 9-, superiore 13-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis involutis, glabris.

Panicum racemosum Sprgl. S. V. I. p. 313. N. ab Es. Agr. bras. p. 112. — *P. reptans* Kth. rev. gr. tab. 21.

Saccharum reptans LaM.

Monachne racemosa PB. R. et S. II. p. 469.

Eriolytrum junceum DesV.

Thalasium montevidense Sprgl. cur. post. Schult. Mant. 3. p. 551.

V. sp. Bras. merid.

Culmus basi repens, simplex, dodrantalis — pedalis. *Vaginae* brevi-villosae, villis deorsum versis. *Ligula* ciliaris. *Folia* subdisticha, rigidula, palmaria — dodrantalia. *Radii* breves, ob spiculas turgidas dense floriferi. *Glumae* ventricoso-concavae. *Flosc. neut.* l. *masc.* valv. inf. glumae superiori simillima. *Hermaphr.* basin versus ad flexurae angulos pilis aliquot ciliatus.

Panicum demissum. Radiis a basi compositis, jubatis, patentissimis cum Radiolis patulis axique hirto-pubescentibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis lineali-bus, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter ⅓ breviori, 5-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis e basi subovata lineari-lanceolatis, glabriusculis.

Panicum demissum Trin. ic. gr. XXVII. tab. 319.

V. spp. Brasil.

Culmus decumbens, spithamaeus, diffuso-ramosus, pubescendo-pilosus, ad jubam usque vaginis tectus. *Vaginae* subcarinatae, pubescendo-hirtae. *Ligula* ciliaris. *Folia* patentia, subamplectentia, lineas 2 — 3 lata, firma, glabra vel ciliatula, ultra- 1 — 2-pollicaria. *Paniculae* fere bipollicares. *Axis comm.* pubescenti-hirtus. *Radii* bini solitariique, demum refracti. *Radioli* breves, densiuscule floriferi. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 7-nervis.

Panicum incomtum. Radiis a basi decompositis, subpaniculatis Radiolisque complexo-patentibus et patentissimis; Pedicellis spicula brevioribus; Spiculis linea brevioribus, ovalibus, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lato-linearibus, glabris.

Panicum incomtum Trin. Diss. II. p. 200. Ic. gr. XX. p. 232. N. ab Es. Agr. bras. p. 207.

V. sp. Manill.

Culmus (abscissus) fortasse bipedalis, infra paniculam puberulus. *Vaginae* glabrae, in extremo apice pubescentes. *Ligula* ciliaris. *Folia* circiter lineas 6 lata, dodrantalia. *Panicula* subjubalis, spithamaea, densiuscula, fuscescendo-viridis, implexa. *Axis comm.* pubescens. *Radii* bini ternive conferti, basi subcallosi, inferiores pubescentes. *Radioli* plerumque rectis angulis patentes. *Gluma* superior apice obsolete pubescens. *Flosc. neuter* bivalvis: valv. inferior 5-nervis.

Panicum trinerve. Radiis superius subdecompositis, paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis spicula plerumque brevioribus; Spiculis linea majoribus, ovalibus, acutiusculis, glabris; Glumis 3-nervibus: inferiore flosculis circiter tertiam partem, superiore iisdem paulo breviori; Hermaphrodito (neutrum subexcedente) acutiusculo, laevi; Foliis linearibus, glabris.

Panicum trinerve Trin. ic. gr. XIX. tab. 226. Kth. Agr. syn. p. 101.

V. spp. Bras.

Culmus tripedalis, gracilis, simplex. *Vaginae* glabrae. *Ligula* membranacea, lineam longa. *Folia* erecta, firma et rigidula, asperiuscula, lineas vix 2 lata, pl. min. pedalia. *Panicula* dodrantalis, lucida. *Radii* bini, pertenues, scabri. *Radioli* pauciflori. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 3-nervis.

Panicum ramosissimum. Radiis a basi compositis l. decompositis (pubescentibus), jubatis, patentibus (demum reflexo-patentissimis), Radiolis contractiusculis patentibusve; Pedicellis brevibus spiculamve aequantibus; Spiculis sublinealibus, ovalibus, acutiusculis, glabris; Gluma inferiore dimidia spicula longiori (vel flosculis $\frac{1}{3}$ breviori), 3 — 5-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lanceolato-linearibus, glabris pilisve adspersis.

Panicum parvifolium γ, 2, *N. ab Es.* Agr. bras. p. 225.

V. sp. Bras. merid.

Culmus decumbens, dense et contracto-ramosissimus, ramis pedalibus, iterum contracto- et florifero-ramosissimis et foliosissimis, glabris l. pube rariuscula adspersis. *Vaginae* villosulae. *Ligula* ciliaris, villis stipata. *Folia* numerosissima, sesquilineam l. lineas 2 lata, 1 — ultra- bi-pollicaria. *Jubae* numerosae, sesqui- vel sub-tripollicares, lucidissimae, e vagina ramulorum suprema emergentes, folio suo nunc subbreviores nunc longiores. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 7-nervis.

Obs. Habitus *Pan. acuminati Sw.* potius quam *parvifolii*, a quo differt spiculis magis ovalibus, majoribus, 7 — 9-nervibus.

Panicum parvifolium LaM. Radiis a basi compositis decompositisve, jubato-sparsis Radiolisque patentibus; Pedicellis spiculam plerumque aequantibus; Spiculis parvis l. subminimis, oblongis, obtusiusculis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis e basi subcordata lanceolatis, pubescentibus glabrisve (parvis).

α. Panicula decomposita, spiculis subminimis, foliis subtus pubescentibus:

Panicum parvifolium. R. et S. II. p. 445. N. ab Es. Agr. bras. p. 224. *α.* Kth. Agr. syn. p. 109. Trin. ic. gr. XX. tab. 236. — *Pan. brasiliense Sprgl.* S. V. I. p. 321.

V. spp. Bras. Guian.

β. Panicula minori, composita tantum, spiculis parvis, foliis glabris:

an *Panicum granuliferum Hb. Kth.?* Agr. syn. p. 109.

V. spp. Bras.

Culmi obliqui vel decumbendo-adscendentes, palmares — spithamaei, tenues, simplices l. pl. min. ramosi. *Vaginae* glabrae aut marginibus pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* satis numerosa, lanceolata l. ovato-lanceolata, lineas 1 — 3 lata, 5 — 9 — 12 longa. *Juba* semi — sesqui-pollicaris, ovata, lucidissima. *Radii* plerumque solitarii. *Gluma* superior flosculis nonnihil brevior. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Obs. Specimina dantur ad *P. cyanescens* transeuntia, non nisi culmo prostrato et radiis magis angulosis dignoscenda.

Panicum malaccense. (Pusillum.) Radiis a basi compositis, jubatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spiculam subaequantibus; Spiculis pusillis, ovalibus, acutiusculis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis paulo breviori, 3-, superiore sub- 5-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) obtusiusculo, laevi; Foliis cordato-ovatis, glabris.

Panicum malaccense Trin. Diss. II. p. 204. N. ab Es. Agr. bras. p. 212.
Agrostis malaccensis Willd. hb.

V. sp. Ind. or.

Culmus repens, basi ramosus, vix 3 — 4-pollicaris. *Vaginae*, praesertim basin versus, hirsutae. *Folia* satis numerosa, lineas 3 — 4 longa, inferiora fere totidem lineas lata. *Juba* semipollicaris, obovata. *Gluma* inferior glabra, decidua. *Flosc. neut.* 1-valvis.

Panicum calvescens N. ab Es. Radiis a basi decompositis, fasciculato-verticillatis Radiolisque pl. min. patentibus; Pedicellis spicula paulo longioribus; Spiculis ultralinealibus, elliptico-ovalibus, obtusis, glabris; Gluma inferiore flosculis vix breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (neutro subminori) obtuso, laevi; Foliis sublineari-lanceolatis, adultioribus glabris.

Panicum calvescens N. ab Es! Agr. bras. p. 189. Trin. Diss. II. p. 193. Kth. Agr. syn. p. 123.

V. sp. Bras.

Culmus 1 — 2-pedalis, gracilis, ramulosus, basi radicans. Turiones juniores villosi. *Folia* turionum latiora, culmea lineas 5 — 6 lata, 6 — 7-pollicaria, utrinque longe attenuata. *Ligula* brevis, ciliatula. *Panicula* dodrantalis. *Radii* basi barbati, inferiores sesquipalmares, principales s. fortiores semi tereti-angulosi, tenuiores filiformes. *Radioli* capillares. *Spiculae* flavescentes. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. obsolete 5-nervis.

Panicum rupestre. Radiis a basi aut fere a basi compositis, jubato-paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula (plerumque multo) longioribus; Spiculis linealibus, oblongis, obtusiusculis, pubescentibus; Gluma inferiore flosculis quartam tertiamve partem breviori, 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis involutis, glabris pubescentibusve (strictis).

Panicum rupestre Trin. Diss. II. p. 109. Ic. gr. XX. tab. 239. N. ab Es. Agr. bras. p. 222.

V. spp. Bras.

Culmus dodrantalis — sesquipedalis, erectus, strictus, simplex aut contracto-ramosus. *Vaginae* teretes, glabrae, rarius cum foliis pilosae. *Ligula* in planta glabra membranacea, brevissima, in pilosa ciliaris. *Folia* subuliformi-involuta, erecta, subpungentia, 2 — 4-pollicaria (fasciculorum longiora). *Panicula* ovata, patens, circiter palmaris. *Radii* solitarii binive, basi barbati, tenuissimi. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum glutinosum Sw. Radiis (compresso-teretiusculis) superne compositis, paniculatis Radiolisque patentibus; Pedicellis spicula (plerumque multo) longioribus: Spiculis ultralinealibus, obovatis, obtusiusculis, glutinosis; Gluma inferiore flosculis vix breviori, 5-, superiore 7 — 9-nervi; Hermaphrodito apice obsolete pubescente; Foliis e basi ovata lanceolatis, glabris.

Panicum glutinosum. R. et S. II. p. 154. (excll. synn.) N. ab Es. Agr. bras. p. 202. (excll. synn. LaM., Hb. et Kth. et Meyeri, ad *Pan. latifolium L.* referendis.)

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 6-pedalis, subsimplex. *Folia* pl. min. pollicem lata, spithamaea — pedalia. *Panicula* pedalis, lucidissima. *Radii* basi brevi-barbati, distantes: inferiores verticillati, elongati (fere fastigiati), superiores bini l. solitarii. *Radioli* tenuissimi, flexuosi, 2 — 3-flori, 1 — $1\frac{1}{2}$-pollicares. *Flosc. neuter* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

β. *Radiis teretibus.*

Panicum procurrens N. ab Es. Radiis medio brevi- et contracto-compositis, apice unifloris, paniculatis, patulis; Pedicellis brevissimis; Spiculis sesquilinealibus, ovalibus, acutiusculis, superne hirsutis; Gluma inferiore flosculis circ. tertiam partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (neutro breviori) obtusiusculo, laevi; Foliis sublanceolato-linearibus, hirsutis.

Panicum procurrens N. ab Es! Agr. bras. p. 130. Trin. ic. gr. XIX. p. 224.

Echinolaena? procurrens Kth. Agr. syn. p. 173.

V. spp. Bras.

Culmus pl. min. pedalis, prostratus, tenuis, versus medium interdum pubescens, inferne ramosulus. *Vaginae* e glandulis pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 2 lata, ultrapollicaria, laete viridia. *Panicula* pl. min. pollicaris. *Axis comm.* tenuis, patenti-pilosus. *Radii* tenuissimi. *Glumae* superne et e nervis

lateralibus hirsutae. *Flosc. masc.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis. *Hermaphr.* brevissime pedicellatus.

Panicum hirtum LaM. Radiis simpliciusculis l. basi subcompositis, jubatis, patentibus, Radiolis (Pedicellis, spicula plerumque longioribus) contractiusculis patulisve; Spiculis minimis, (plerumque superne gibbo-) ovalibus, acutiusculis, hirsutis (cernuis); Glumis flosculos aequantibus: inferiore 3-, superiore 7-nervi; Hermaphrodito (neutro paulo minori) apice adunco, laevi; Foliis cordato-lanceolatis, basi ciliatis.

Panicum hirtum. R. et S. II. p. 456. N. ab Es. Agr. bras. p. 208. Kth. rev. gr. tab. 24. Agr. syn. p. 111.

V. spp. Bras.

Culmus pl. min. pedalis, basi repens, ramosus, nodis barbatis. *Vaginae* pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 5 — 6 lata, 1 — 2-pollicaria. *Paniculae* pl. min. 2-pollicares, lucidae. *Axis comm.* piliferus. *Radii* dissite subracemiflorae. *Gluma* inferior interdum glabra, superior subcucullata, e glandulis pusillis hirsuta. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum tumescens. Radiis a basi l. paulo altius compositis, paniculatis Radiolisque patulis hisve contractis; Pedicellis spiculam aequantibus l. eadem paulo longioribus; Spiculis circiter 3-linealibus, sublanceolato-ovalibus, acutis, glabris; Glumis flosculos aequantibus l. subsuperantibus, 7-nervibus; Hermaphrodito (neutro paulo minori) obtusiusculo, laevi; Foliis compressis, e basi cordata latiusculo-linearibus, margine ciliatulis.

V. spp. Bras.

Culmus pl. min. bipedalis, patulo-ramosulus. *Vaginae* lanceolato-ampliatae (medio tumentes), carinato-compressae, glabrae aut margine ciliatulae. *Ligula* margo angustissimus, ciliolatus. *Folia* amplectentia, carinato-compressa et in hoc statu lineas 3 — 4 lata, 4 — 8-pollicaria. *Panicula* 3 — 4-pollicaris, lucidula, spadiceo-fuscescens. *Axis comm.* tenuis. *Radii* solitarii l. aliquot

fasciculato-semiverticillati, tenuissimi. *Radioli* plerumque biflori. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inf. sub- 7-nervis.

Panicum longiflorum. Radiis simpliciusculis, superne floriferis aut fere a basi parce compositis, paniculatis, contractiusculis: Pedicellis spiculam aequantibus vel eadem paulo longioribus; Spiculis 4-linealibus, lanceolato-ovalibus, acutiusculis, villoso-marginatis; Glumis flosculos aequantibus: inferiore (latiori) 7 — 9-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis linearibus, glabris l. basin versus villosulis.

V. spp. Bras.

Culmus basi subbulboso-tumens et squamatus, circiter tripedalis, gracilis, simplex, nodis glabris. *Vaginae* compressae, radicales confertae: aliae molliter villosae, aliae glabratae. *Ligula* ciliaris. *Folia* erecta et rigidula, compressa, explanata sesquilineam lata, laete viridia: inferiora dodrante longiora. *Panicula* spithama brevior, contractiuscula. *Radii* semiverticillati, pertenues, simpliciores apicem versus 2 — 3-flori. *Radioli* capillares. *Spiculae* virides. *Glumae* membranaceo-marginatae, utraque aut superior sola circumcirca ad nervum marginalem subamethysteo-villosa. *Flosc. masc.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis, villoso-marginata. *Hermaphr.* lanceolatus, subchartaceus, pallens.

Obs. Habitu quodammodo accedit ad *P. aturense Hb.Kth.*

Panicum arnacites. Radiis simpliciusculis l. pl. min. a basi parce compositis, paniculato-alternis Radiolisque (Pedicellis, spicula longioribus) contorto-patentibus; Spiculis bilinealibus, ellipticis, obtusis, lanatis; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito (saepe adunco-) acuto, laevi; Foliis angustissimis, canaliculato-subinvolutis, inferioribus pilosis.

Panicum arnacites Trin. ic. gr. XXVII. tab. 317.

V. spp. Bras.

Culmus ultrapedalis, erectus, tenuissimus, simplex, nodis barbatis. *Vaginae* radicales squamiformes, culmeae inferiores pilosae. *Ligula* ciliaris, utrinque membranaceo-aurita. *Folia* erecta, rigidula, faciculorum fere spithamaea, culmea superiora brevissima. *Panicula* 2 — 3-pollicaris, lucidissima. *Radii* alii patentes, alii contracti, solitarii, capillares. *Radioli* simplicissimi (Pedicelli) 2 — 4, tortuosi, apice clavati. *Spiculae* deciduae. *Flosculus masc.* l. *neut.* 2-valvis: valv. inf. 5 — 7-nervis.

Panicum auricomum N. ab Es. Radiis superius subdecompositis, (tenero-) paniculatis Radiolisque patulis; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis minimis, ellipticis, acutiusculis, hirtulo-pubescentibus; Gluma inferiore flosculis $\frac{1}{4}$ breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito mucronato, laevi; Foliis angustissimo-linearibus, glabris.

Panicum auricomum N. ab Es! Agr. bras. p. 221.

V. sp. Bras.

Culmus pedalis, tenuis, medio contracto- et florifero-ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevis, membranacea, villis cincta. *Folia* 1 — ultra- bi-pollicaria. *Panicula* e vagina suprema prodit 1 — sesqui-pollicaris, subcapillaris, lucida, fulvescens. *Flosc. masc.* l. *neut.* bivalvis: valv. inf. 5-nervis.

Panicum subulatum Sprgl. Radiis nunc simpliciusculis, nunc fere a basi compositis l. decompositis, paniculato-alternis sparsive, cum Radiolis pl. min. patentibus; Pedicellis spicula longioribus; Spiculis parvis, subrotundo-ovalibus, obtusis, glabris (interdum puberulis); Gluma inferiore flosculis pl. min. tertiam partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito subadunco, laevi; Foliis linearibus, saepissime setaceo-involutis, glabris.

Panicum subulatum Sprgl. S. V. I. p. 319. Kth. Agr. syn. p. 129. — *Pan. stenocladium Trin.* Diss. II. p. 200. Ic. gr. XX. tab. 240. — *P. distichophyllum N. ab Es.* Agr. br. p. 234. — *P. setifolium N. ab Es.* l. l. p. 233. (var. spiculis pubescentibus).

Aira distichophylla Sprgl! nov. prov. Schult. Mant. 2. p. 379.

V. spp. Bras.

Culmus sesquipedalis, adscendens, plurinodis: latifolius minus-, tenuifolius magis et a basi sensim ramosior, superne ramosissimus: ramis contractis, subfastigiatis, floriferis. *Vaginae* glabrae. *Ligula* nil nisi margo angustissimus. *Folia* copiosissima, nunc setaceo-involuta, nunc plana et lineam 1 — 1½ lata, 1 — 2-pollicaria vel parum longiora. *Paniculae* satis tenerae, lucidae, in gramine angustifolio 1 — sesqui-, in latifolio (longius exsertae) 3-pollicares. *Radii* tenuissimi, longe plerumque solitarii, in planta angustifolia simpliciores. *Spiculae* linea dimidia pl. min. longiores. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inferior 5-nervis.

Panicum cyanescens N. ab Es. Radiis (inferioribus) pl. min. superius compositis, jubatis Radiolisque nunc patentibus nunc contractis; Pedicellis spicula (plerumque multo) longioribus; Spiculis parvis l. subminimis, subrotundo-oblongis, obtusis obtusiusculisve, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter tertiam partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lineari-lanceolatis (l. lanceolato-linearibus), glabris vel pubescentibus.

Panicum cyanescens N. ab Es! Agr. bras. p. 220. Trin. ic. gr. XX. t. 230.

V. spp. Bras.

(Varietates notabiles: α, Panicula patente, lucida, β Panicula contracta, satis densa, γ Foliis subhirsuto-pubescentibus).

Culmus pedalis, erectus? simplex vel contracto-ramosulus. *Vaginae* glabrae, in var. γ pilosulae. *Ligula* membranacea, brevissima, interdum obsoleta. *Folia* erecta, lineas 2 — 4-lata, sesqui — ultra- 3-pollicaria, rigida et firma. *Juba* in α et γ patens, 3-pollicaris, in β lineari-contracta (radiolis non nisi aliquot patenti-productis), vix 2-pollicaris. *Radii* tenuissimi, solitarii l. aliquot conferti. *Flosc. neut.* 2-valvis: valv. inf. 5-nervis.

Obs. Affinitas magna *Panici parvifolii*, a quo differt culmo cum reliquis partibus robustiore, Foliis non nisi versus culmi basin numerosis, longioribus, Radiis magis filiformibus.

XI. Ichnanthus.*)

Panicum nemorosum Sw.! Radiis simpliciusculis (brevibus, paucifloris); Spiculis pl. min. brevipedicellatis, sesquilinealibus, ovalibus, acutis, glabris; Glumis trinervibus: inferiore flosculis parum breviori; Hermaphrodito masculo quartam partem minori, laevi, basi utrinque scrobiculato; Appendicibus nullis; Foliis ovali-lanceolatis, glabriusculis.

Panicum nemorosum. R. et S. II. p. 439. Trin. ic. gr. XVIII. tab. 210.

Milium nemorosum Mönch.

Echinolaena nemorosa Kth. Agr. syn. p. 172.

V. spp. Ind. occ.

Culmus decumbens, 1 — 2-pedalis, ramosus. *Vaginae* pilis teneris adspersae, ciliatae. *Folia* medio lineas 6 lata, sesqui — bi-pollicaria, praesertim supra pilis rariusculis e tuberculis pusillis enatis adspersa. *Spiculae* compressiusculae. *Gluma* inferior acuminata, superior superne ad carinam denticulata. *Flosc. masc.* rarius pistillum fovet.

Panicum pallens Sw.! Radiis compositis; Spiculis pl. min. aequaliter brevi-vel longiusculo-pedicellatis, subsesqui — ultra- bilinealibus, dum clausae sunt lanceolato-ovalibus et acuminatis, glabris; Gluma inferiore (saepe caudata) flosculis circiter quartam partem breviori (aut cauda, si adest, iisdem longiori), 5-, superiore (flosculos superante) 5 — 7 nervi; Hermaphrodito neutro quartam partem minori, laevi, basi utrinque scrobiculato; Appendicibus nullis; Foliis ovato-lanceolatis l. lanceolatis tantum, glabris.

Panicum pallens. R. et S. II. p. 443. Trin. Diss. II. p. 174. (excll. varr. δ et ζ). Kth. Agr. syn. p. 89.

Apluda Zeugites Aubl.

---

*) Species recensitae secundum longitudinem appendicum (in prioribus speciebus nullarum).

α. Culmo pl. min. pedali, Spiculis subsesquilinealibus, Gluma inferiore acutissima l. acuminata flosculo incompleto breviori, Foliis latioribus: Trin. ic. gr. XVIII. tab. 211.

V. spp. Ind. occ. Guian.

β. Spiculis ultrabilinealibus, laxioribus; Gluma inferiore caudulata, Foliis angustioribus: Trin. l. l. tab. 212. A.

V. spp. Bras.

γ. Culmo 4 — 6-pedali; Spiculis subultra- bi-linealibus, Cauda glumae inferioris flosculum incompl. aequante l. superante, Foliis magis lanceolatis, paulo longioribus.

V. spp. Bras.

Culmus repens, ramosus. *Vaginae* ciliatae. *Ligula* brevis, lacero-ciliaris. *Folia* numerosa, basi ovata l. subcordata amplectentia, medio lineas 4 — 12 lata, 2 — 5-pollicaria. *Juba* 2 — 4-pollicaris. *Flosc. inferior* masculus vel neuter.

Obs. Specimen vidi, (nisi fallor, ex Ind. occ.), quoad inflorescentiam et spiculas *pallenti* soli adnumerandum, sed vaginis foliisque hirsutis.

***Panicum candicans** N. ab Es.* Radiis (subracemiformibus) compositis (cum axi pubescentibus); Spiculis aequaliter pl. min. brevipedicellatis, bilinealibus, dum clausae sunt lanceolatis et acuminatis, ad glumas superne hirsutis; Glumis (superiore saltem) flosculos excedentibus: inferiore 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito neutro paulo minori, laevi, basi utrinque scrobiculato; Appendicibus nullis vel brevibus et angustissimis; Foliis lanceolatis, pubescentibus.

Panicum candicans N. ab Es! Agr. bras. p. 133. (an syn. Bert. et Radd.?) — *P. pallens* δ, *Trin.* Diss. II. p. 176. Ic. gr. XVIII. tab. 212. fig. B.

Sub *Echinolaena? loliacea*, Kth. Agr. syn. p. 173.

V. spp. Bras.

Culmus ramosus, superne puberulus. *Vaginae* pubescentes. *Ligula* membranacea, brevissima. *Folia* satis numerosa, lineas 4 — 6 lata, sub- 3 — 4-pollicaria. *Panicula* circiter 4-pollicaris.

Panicum planotis. Radiis compositis, (cum axi Radiolisque pubescentibus); Spiculis parum inaequali-brevipedicellatis, bilinealibus, ovalibus, acutiusculis aut obtusiusculis, glabris l. (plerumque) pilis adspersis; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito masculum subaequante, laevi; Appendicibus aut nullis aut flosculo quadruplo duplove brevioribus; Foliis lanceolatis, glabris l. (subtus) pubescentibus.

α. Panicula subdodrantali, Radiis solitariis, Spiculis apice tomentoso-barbulatis, Append. nullis, Foliis utrinque (praesertim subtus) pilosulo-pubescentibus.

β. Panicula subdodrantali, Radiis congesto-subverticillatis, Glumis pilis adspersis, Append. hermaphrodito quadruplo brevioribus, Foliis glabris aut infra tenuissime pubescentibus.

γ. Panicula brevi, Radiis solitariis, Spiculis apice tantum pilosis, Append. hermaphrodito dimidio minoribus, Foliis utrinque rariusculo-piliferis.

V. spp. Bras.

Culmus sesqui — 2-pedalis, erectus? pl. min. ramosus, pubescens. *Vaginae* undique pilosulo-pubescentes. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 6 — 8 lata, 4 — 6-pollicaria. *Axis*, *Radii*, *Radiolique* pl. min. molliter s. villosulo-pubescentes.

Panicum inconstans. Radiis simpliciusculis compositisve; Spiculis parum inaequali-brevi- l. breviuscule pedicellatis, 2-linealibus, dum clausae sunt ovalibus et acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis pl. min. tertiam partem breviori, 3 — 5-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito neutro vix vel parum minori, laevi; Appendicibus brevissimis; Foliis lineari-lanceolatis, glabris l. infra pubescentibus.

Panicum *inconstans Trin.* ap. N. ab Es. Agr. bras. p. 132. — ***P.*** *pallens* ζ, *Trin.* Diss. II. p. 176.

α. *dumetorum:* Culmo 4-pedali, florifero-ramoso et foliosissimo, Radiis simpliciusculis. (Trin. ic. gr. XXVII. tab. 320).

β. *montanum:* Culmo circiter 2-pedali, subramoso, Radiis distinctius compositis. (Trin. l. l. tab. 321).

V. spp. Bras.

Vaginae juniores (et in β radicales) pubescentes, adultae glabrae. *Ligula* membranacea, brevissima, ciliata. *Folia* in α ramorum plurima, lineas 2—4-, in β lineas 6 lata, in α pollices 1 — 2, in β poll. 3 — 5 longa. *Panicula* in α ultrabipollicaris, in β interdum spithamaea. *Gluma* inferior in uno eodemque radio inconstans: nunc obtusiuscula, nunc acuminata; flosculis modo tertiam quartamve partem vel parum tantum, modo duplo brevior.

Panicum bambusiflorum. Radiis compositis l. decompositis; Spiculis confertis, subaequaliter brevissime pedicellatis, subultrabilinealibus, dum clausae sunt ovalibus et acutiusculis, superne hirsutis glabrisve; Glumis aut 5-nervibus, aut inferiore (caudulata) flosculis vix l. parum breviori, 3 — 5- superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito neutrum l. masculum subaequante vel eodem parum minori, laevi; Appendicibus brevissimis; Foliis lanceolatis, utrinque asperis.

Panicum bambusiflorum Trin. Diss. II. p. 188. — *P. penicillatum N. ab Es.* Agr. bras. p. 145. Kth. Agr. syn. p. 102.

Oplismenus? penicillatus Kth. rev. gr. p. 45.

V. spp. Bras.

Priori robustius. *Culmus* 4 — 6-pedalis, erectus, superne ramosus. *Vaginae* glabrae. *Ligula* membranacea, brevissima, crenulata. *Folia* lineas 8 — 12 lata, palmaria — dodrantalia, graminis fuscescentis infra pruinoso-glauca. *Juba* palmaris — dodrantalis, interdum patentissima, in varietate viridi et spiculis glabris densior magisque contracta.

Obs. Nomen *P. penicillati*, in Agr. bras. ter proveniens (p. 144. 145. 242), melius supprimendum.

Panicum Hoffmannseggii R. et S. Radiis decompositis (Radiolisque hirsutissimis); Spiculis in α laxis, longo-, in β brevi-pedicellatis, linealibus vel sesqui-linealibus, ovalibus, pl. min. acutis, patenti-pilosis; Glumis flosculos subaequantibus vel inferiore iisdem paulo breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito neutro paulo vel quartam partem minori, laevi; Appendicibus ipso triplo quadruplove brevioribus; Foliis lanceolatis, praesertim infra pubescentibus.

Panicum Hoffmannseggii R. et S. II. p. 450. — *Pan. villosum Hoffmannseg.* ined.

α. Culmo pedali, Radiis pertenuibus, superne compositis, Spiculis linealibus.

β. Culmo sesquipalmari, Radiis crassioribus, a basi compositis, Spiculis sesquilinealibus. (Trin. ic. gr. XIX. tab. 219).

V. spp. Bras.

Culmus a basi florifero-ramosus, ramis in α iterum floribundo-ramosis, in β simplicioribus et simpliciter paniculiferis. *Vaginae* in α patenti-villosae, in β pubescentes. *Folia* lineas 3 — 5 lata, pollices 1 — 2½ longa. *Paniculae* axillares et terminales (in β terminales tantum), palmares — spithameae. *Radii* in α plerumque plures subverticillato-conferti, in β magis solitarii et manifestius angulosi.

Panicum lejocarpum (Sprgl.) N. ab Es. Radiis compositis; Spiculis laxis, altera brevius altera longo-pedicellata, bilinealibus, dum clausae sunt ovalibus et acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis tertiam partem l. subdimidio breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito neutro paulo minori, laevi; Appendicibus ipso tri-quadruplove brevioribus; Foliis lanceolatis, praesertim subtus pilosulo-pubescentibus (Vaginis mollissime denseque lanatis).

Panicum lejocarpum Spreng. S. V. p. 317? N. ab Es. Agr. bras. p. 147.

Navicularia lanata Raddi Agr. bras. p. 40.

Ichnanthus lejocarpus Kth. Agr. syn. p. 135. (an rev. gr. tab. 168?)

V. spp. Bras.

Culmus (in nostris) basi repens, ramis obliquis l. erectis, 1 — 2-pedalibus. *Folia* (in nostris) pollicem dimidium (pollicem *Nees*) lata, pollices 3 (8, *Nees*) longa, superne pilis raris adspersa, inferne densius et appresso- molliterque (sed tenuissime) villosula. *Panicula* dodrantalis — ultrapedalis. Saepe *Axis* et interdum etiam *radii* villosulo-pubescentes, hi basi barbati.

OBS. a *Panici Martiani* varietate vaginis totis lanatis diversum spiculis acutis, hermaphrodito neutro manifeste breviori.

Panicum cynotis. Radiis (tenuibus) compositis; Spiculis laxiusculis, altera brevius altera paulo longius pedicellata, sesqui- l. subbilinealibus, dum clausae sunt ovalibus et acuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis circiter quartam partem breviori, 3-, superiore (eosdem subexcedente) 5-nervi; Hermaphrodito neutro paulo minori, laevi; Appendicibus ipso triplo brevioribus; Foliis lanceolatis, glabris.

V. spp. Bras.

Culmus circiter sesquipedalis, decumbens, inferne radicans, exceptis vaginis aliquot infimis e reliquis omnibus pedunculos exserens, pertenues, laxos, superne floriferos. *Vaginae* inferiores totae, superiores margine pubescentes. *Folia* lineas 4 — 5 lata, sesqui — 3-pollicaria. *Panicula* 2 — 3-pollicaris. *Radioli* breves, plerumque biflori. *Gluma* inferior caudulata.

Panicum Martianum N. ab Es. Radiis compositis; Spiculis laxis, altera brevi-altera longe pedicellata, bilinealibus, dum clausae sunt lineari-ovalibus, obtusiusculis (rarius acutis), glabris; Gluma inferiore flosculis tertiam quartamve partem breviori, 3-, superiore 5-nervi; Hermaphrodito masculum aequante (nec nisi in spiculis acutis eo paulo minori), laevi; Appendicibus ipso triplo l. plus dimidio brevioribus; Foliis lanceolatis l. lanceolato-ovatis vaginisque glabris, illisve obsolete pubescentibus, his (villoso-) ciliatis, rarius totis tomentoso-lanatis.

Panicum Martianum N. ab Es. Agr. bras. p. 158. — *P. almadense N. Es. ms.* Trin. Diss. II. p. 186. Ic. gr. XIX. t. 217. — *P. lejocarpum Sprgl.* ms. —

P. nemorale Schrad. Schult. Mant. 2. p. 255. Kth. Agr. syn. p. 129. — *P. naviculare N. ab Es.* Agr. bras. p. 136.

Navicularia glabra Radd. Agr. bras. p. 39.

Ichnanthus almadensis Kth. Agr. syn. p. 135. — *I. lejocarpus Kth.* rev. gr. tab. 168? (huc potius spectat quam ad *P. lejocarpum*).

V. spp. Bras.

Culmus 1 — 3 — 5-pedalis, erectus vel adscendens, saepe inferne ramosus. *Ligula* nunc perbrevi- nunc longius biaurita. *Folia* pro plantae statura pollices nunc vix dimidium, nunc 1 l. $1\frac{1}{2}$, nunc 2 lata, palmaria — ultra-dodrantalia. *Panicula* palmaris — pedalis. *Radii* bini, terni l. solitarii. *Radioli* fere pollicares, pl. min. patentes. *Spiculae* in radiolis paucae, inferiores saepe abortientes. — Cf. *Obs.* sub *P. lejocarpo.*

Panicum lagotis. Radiis simpliciusculis l. parce compositis; Spiculis laxis, altera perbrevi- altera longius pedicellata, trilinealibus, dum clausae sunt lineari-ovalibus, acutis, glabris; Gluma inferiore flosculis dimidio breviori, 3-, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito neutrum subaequante, laevi; Appendicibus ipso dimidio brevioribus; Foliis lanceolato-ovatis, glabris.

V. spp. Bras.

Culmus erectus? bipedalis, simplex l. ramosus. *Vaginae* ciliatae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas 9 — 20 lata, 3 — 4-pollicaria. *Pedunculi* terminales vel e vaginis superioribus axillares cum axi radiisque (hi tamen minus) pubescentes. *Panicula* simplex, subdepauperata.

Panicum Ichnanthus N. ab Es. Radiis subcompositis; Spiculis laxiusculis, inferioribus parum inaequali- brevi-pedicellatis, 4-linealibus, dum clausae sunt lanceolato-ovalibus, subacuminatis, glabris; Gluma inferiore flosculis circ. tertiam partem breviori, 7 — 9-, superiore 9 — 11-nervi; Hermaphrodito neutrum subaequante, villoso; Appendicibus dimidio flosculo longioribus; Foliis ovalibus, glabris.

Panicum Ichnanthus N. ab Es. Agr. bras. p. 149.

Ichnanthus panicoïdes PB. Kth. Agr. syn. p. 135. Rev. gr. tab. 34.

V. sp. Guian.

Culmus 2-pedalis? simplex, puberulus. *Vaginae* glabrae vel puberulae. *Ligula* brevissima, membranacea, lacera. *Folia* pollices $1\frac{1}{2}$ — 2 lata, pollices 3 — 6 longa, reticulata. *Juba* palmaris — spithamaea. *Hermaphr.* praecipue inferne apiceque villosulus. *Flosculi neutr.* valv. inf. 7-nervis.

Obs. Lodiculae squamas genuinas in omnibus, quotquot examinavi, spiculis eodem, quo in reliquis Panici speciebus, loco collocatas, eademque, qua in illis, forma inveni; numquam autem, ut cel. Kunthio dicuntur et depinguntur, *externas*. Plantam nostram vero exacte eandem esse ac Kunthianam, nullum dubium est. — Appendices hermaphroditi fronti adpressas, in hac specie et sequente maximas, non possumus quin cum Palisotio pro flosculo vel flosculis abortivis habeamus; quod vel ob squamulam pusillam, basi obliquae stipitis s. pedicelli Hermaphroditi ita quidem adnatam, ut non nisi extremo apice (emarginato) libera exstet, judicare fas est, quippe quam squamulam fasciculi palearum amorphi, e lateribus Hermaphroditi torosi exeuntis, paleam tertiam sistere censere licet. Pingue enim et carnosum hermaphroditi Panicorum corpus materia florali, in Ichnanthis tandem imperfecto modo expansa, utique praegnare, non solum appendicibus illis, sed etiam villis hermaphroditum Panici Ichnanthi obtegentibus, in aliis autem hujus subdivisionis speciebus scrobiculis probatur, qui, marginem valvulae coriaceae excavantes, receptacula (ut v. gr. in Stenotaphro) pro flosculis exserendis sistunt.

Panicum Riedelii. Radiis compositis; Spiculis laxiusculis, altera brevi- altera longius pedicellata, lineas 2 cum dimidia longis, dum clausae sunt lineari-ovalibus, obtusiusculis, glabris; Glumis 7-nervibus: inferiore flosculis parum vel fere tertiam partem breviori; Hermaphrodito neutrum aequante, laevi; Appendicibus ipso tertiam quartamve partem (interdum vix) brevioribus; Foliis (petiolatis) lanceolatis, glabris.

Panicum Riedelii Trin. ic. gr. XXVII. tab. 323.

V. spp. Bras.

Culmus cum juba fere sesquipedalis, erectus, simplex, compressus, nodis villosis. *Vaginae* inferiores plerumque dense canescendo-villosae, reliquae glabrae l. marginem versus villosulae. *Ligula* satis longe ciliaris. *Folia* in pe-

tiolum attenuata compressum, saepe semi — 1-pollicarem, graminis debilioris lineas 3 — 4, vegetioris 7 — 9 lata: radicalia pollices 2 — 4, superiora poll. 5 — 6 longa. *Juba* interdum dimidium culmi partem occupans, in gramine debiliori brevior. *Radii* in planta latifolia stricto-erecti, contracti et fortiores, in angustifolia debiliores, laxiores. *Glumae* interdum basi et e marginibus pilo uno alterove munitae.

XII. Isachne.

a) *Flosculo utroque glabro.*

Panicum antipodum Sprgl. Jubae (2 — 3-pollicaris) radiis teretiusculis; Pedicellis spicula plerumque paulo longioribus; Spiculis linealibus, obovatis l. obovato-subrotundis; Glumis laeviusculis l. superne substrigiloso-asperis; Flosculo utroque glabro; Foliis lanceolato-linearibus, asperis.

α. Pallidum, glaucescens, Glumis laevibus l. parum exasperatis:

Panicum antipodum Sprgl. S. V. I. p. 314.
Isachne australis Br. R. et S. II. p. 476.

V. spp. nov. Holl.

β. Atrovirens, glumis asperioribus, saepe superne strigilosis:

Panicum atrovirens Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 88. Kth. Agr. syn. p. 127.
Isachne atrovirens Trin. Diss. II. p. 251.
Aira ischaemoides Koen. in hb. Banks.

V. sp. Ind. or.

Culmus ultrapedalis, pl. min. ramosus. *Vaginae* superne ciliatulae. *Ligula* ciliata. *Folia* lineas 2 — 3 lata, sesqui — 3 — 4-pollicaria. *Radii* solitarii binive, non longe supra basin compositi. *Flosculus* superior in gramine indico hermaphroditus. *Glumae* obsolete 7-nerves.

Panicum rigens Sw. Jubae (sesqui — 2-pollicaris) radiis angulatis, rigidis pedicellisque brevibus; Spiculis parvis, obovatis; Glumis superne sub lente strigilosis; Flosculo utroque glabro; Foliis (sublanceolato-) linearibus, laeviusculis (distichis, rigidis).

Panicum rigens. R. et S. II. p. 439. Kth. Agr. syn. p. 111.

Isachne rigens Trin. Diss. II. p. 252.

V. spp. Martin. (Sieb. Herb. Mart. no. 265.)

Gramen nostrum a descriptione Swartzii et definitione Kunthii aliquantum discrepat. *Culmus* prostratus, pl. min. pedalis, ramosus. *Vaginae* superne ciliatae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* sub-semiamplexicaulia, circiter sesquilineam lata, pl. min. sesquipollicaria, subpungentia, praesertim superne in ramis conferto-disticha, patentissima, supra laete viridia, subtus glauca, sulcata, in nostris speciminibus plane laevia. *Juba panicularis* patens. *Radii* satis stricti (non „capillares"), breves, glabri et laeves, secundo-ramulosi, cum spiculis atropurpurei.

Panicum arundinaceum Sw. Jubae (spithamaeae) radiis teretibus, tenuibus; Pedicellis brevissimis; Spiculis pusillis, obovato-subrotundis; Glumis laevibus l. superne pilo uno alterove substrigilosis; Flosculo utroque glabro; Foliis lanceolatis, laevibus (acuminatissimis).

Panicum arundinaceum. R. et S. II. p. 448. — *P. dispermum LaM.*

Isachne paniceа Trin. Diss. II. p. 253. — *J. dubia Kth.* Agr. syn. p. 137.

V. spp. Martin.

Culmus 4 — 6-pedalis, erectus, pl. min. ramosus. *Vaginae* glabrae l. superne ciliatulae. *Ligula* ciliaris. *Folia* lineas circiter 8 — 10 lata, spithamaea, subtus glaucescentia. *Juba panicularis* densiuscula.

Panicum Meneritana Sprgl. Paniculae jubalis (spithamaeae) radiis teretiusculis Pedicellisque elongatis subcapillaribus; Spiculis parvis, obovatis; Glumis laeviusculis; Flosculo utroque glabro; Foliis lanceolato-linearibus, glabris vel scabris subtusque hirtis.

Panicum Meneritana Sprgl. S. V. I. p. 321.

Isachne Meneritana Poir. Kth. Agr. syn. p. 136. R. et S. II. p. 475. (sub Neurachne). — *J. miliacea Trin.* Diss. II. p. 252.

V. spp. Mascar. (Sieb. herb. Maurit. no. 32.)

Bipedalis? adscendens? *Vaginae* glabrae aut tuberculatae et superne hirsutae. *Ligula* in var. glabra obsoleta, in aspera satis longe ciliaris. *Folia* lineas circiter 3 lata, pollices 4 — 5 longa, glaucescentia, glabra vel supra scabra et infra hirta. *Panicula* patula (fortasse demum diffusa), subcapillaris. *Radii* et *pedicelli* in var. aspera scabri, in glabra laevissimi.

Obs. Specimina nostra figurae Burmannianae (Thes. Zeyl. tab. 47. f. 3.) bene congruunt. — Fortasse huc etiam *Isachne mauritiana Kth.* rev. gr. tab 33. Agr. syn. p. 136, excll. synn. LaM. (panicula divaricata, depauperata).

b) *Flosculo superiore pubescente.*

Panicum trachyspermum N. ab Es. Jubae (1 — 2-pollicaris) radiis teretiusculis pedicellisque breviusculis; Spiculis linealibus, subrotundis; Glumis junioribus pl. min. hirsutis, adultis laevigatis; Flosculo superiore pubescente; Foliis ovali-lanceolatis, strigiloso-asperis; Vaginis tuberculato-hirsutis.

Panicum trachyspermum N. ab Es! Agr. bras. p. 212.

V. spp. Bras.

Culmus circiter pedalis, basi repens, ramosus. *Ligula* ciliaris. *Folia* amplexicaulia, lineas 4 — 5 lata, pollicaria l. paulo longiora, praesertim supra, ubi profundius striata, ad nervos setulis pusillis hirta. *Juba* basi vagina suprema subinvolucrata. *Pedicelli* apice incrassati. *Spiculae* pallidae, deciduae. *Gluma* inferior 5, superior 7-nervis. *Flosculus inferior* masculus? chartaceus, viridulus, acutiusculus, *superiorem* hermaphroditum albentem obtusum subexcedens.

Panicum dispar. Jubae panicularis (subbipollicaris) radiis teretiusculis pedicellisque breviusculis; Spiculis linealibus, elliptico-obovatis; Glumis laevibus l. superne hispidulis; Flosculo superiore pubescente; Foliis cordato-ovatis, scabriusculis, albo-marginatis; Vaginis glabris.

Isachne dispar Trin. ic. gr. VIII. tab. 86. Kth. Agr. syn. p. 136.

V. sp. Nepal.

Culmus semipedalis, basi repens, valde ramosus: ramis floriferis. *Vaginae* glabrae aut marginem versus ciliatulae. *Ligula* membranacea, brevissima, ciliatula. *Folia* amplexicaulia, lineas 4 — 5, lata, lineas 6 — 11 longa. *Jubae paniculares* prope supra folium supremum exsertae, adultae subbipollicares. *Gluma* inferior 5-, superior 7 — 9-nervis. *Flosc. inferior* masculus, herbaceo-chartaceus.

Panicum minutulum Gaudich. Paniculae jubalis (1 — 2-pollicaris) radiis teretiusculis pedicellisque brevibus; Spiculis semilinealibus, obovato-subrotundis; Glumis laevibus l. sub lente superne puberulis; Flosculo superiore pubescente; Foliis lanceolatis, hirto-pilosulis; Vaginis glabris, ciliatis.

Panicum minutulum Gaudich. in it. Freycin.

Isachne minutula Kth. Rev. gr. tab. 117. Agr. syn. p. 137.

V. spp. e Guahan (Marian.)

Culmus tenuis, repens, ramos exserens plures floriferos, simplices l. ramosos, palmares — subspithamaeos. *Vaginae* superne ciliatae. *Ligula* ciliata. *Folia* lineam — lin. 2 lata, lin. 4 — 6 — 12 longa.

c) *Flosculo utroque pubescente.*

Panicum albens. Jubae (subspithamaeae) radiis tenuissimis; Pedicellis brevibus; Spiculis semilinealibus, subrotundis; Glumis laevibus; Flosculo utroque pubescente; Foliis lanceolatis, asperiusculis, (albo-marginatis).

Isachne albens Trin. ic. gr. VIII. tab. 85. Kth. Agr. syn. p. 137.

V. sp. Nepal.

Culmus 3-pedalis, basi repens, ramosus, ramis aliquot floriferis. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, rigido-ciliata. *Folia* pallide glaucescentia, lineas circiter 5 lata, sesquipalmaria, palmaria et breviora. *Juba* flavescendo-albens. *Radioli* dissitiuscule secundi-flori. *Flosculus* uterque hermaphroditus.

Arundinella *Raddi.*

Panicula composita. *Spiculae* (1 — 3-lineales) solitariae. *Flosculus fructiferus* basi pilis cinctus, apice aristatus.

Gramina utriusque orbis tropica l. regiones tropicas gradus paucos excedentia, pl. min. erecta, arundinacea, 1 — 6-pedalia, culmo plerumque simplici.

Folia linearia l. sublanceolato-linearia.

Ligula ciliaris, rarius membranacea, brevissima.

Panicula plerumque contractiuscula et longa. *Radii* verticillati, semiverticillati l. fasciculati, rarius pauci (solitarii binive), radiolis saepissime racemiformibus. *Spiculae*, dum clausae sunt, lanceolato-ovatae, teretiusculae, hemiologamae, rarius hemigamae. *Glumae* herbaceo-membranaceae l. herbaceo-chartaceae, 3 — 5-nerves, plerumque acuminatae: inferior brevior. *Flosculus inferior* fere semper masculus (interdum cum pistillo, ut v. gr., Kunthio teste, in *Brandtia* sua *holcoide*), rarius neuter, bivalvis, substantia glumarum, muticus. *Flosc. superior* hermaphroditus l. femineus, coriaceus, ovato-lanceolatus, e callo subjecto brevissimo pilis brevibus cinctus, superne exasperatus l. pilosulus, apice, nunc integro nunc bifido l. biseto, aristatus, arista longe plerumque torta et geniculata. Valvula inferior superiorem arcte amplectens.

Lodiculae squamae 2, subquadrato-cuneatae, emarginatae.

Ovarium ovale, glabrum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 3. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis ovalis, teretiuscula, intra valvulas arcte clausas libera, eberbis, scutello suo duplo longior.

a) *Perianthio fructifero apice juxta aristam bifido l. biseto.*

Arundinella flammida. Radiis verticillatis, paniculato-compositis; Pedicellis sub spicula subtrilineali brevi-, obsolete l. vix barbulatis; Hermaphrodito piloso, bifido, gluma sua, inferiore dimidio longiori, paulo minori, masculo sua duplo majori; Arista aequa, flexuosa, valvulis quater longiori.

Arundinella flammida Trin. ic. gr. XXIII. tab. 267.

V. spp. Bras.

Culmus 4 — 7-pedalis, stricto-erectus, nodis barbatis. *Vaginae* nunc glabrae, nunc brevi-pilosae. *Ligula* ciliaris. *Folia* inferiora lineas 4 lata, in majori planta bipedalia, fronte scabriuscula. *Panicula* sesqui — bi-pedalis, contracta, pl. min. densa, flavescens. *Radii* verticillorum intermedii a medio-, laterales a basi compositi, tenuissimi. *Glumae* acutae, 3-nerves: inferior infra apicem utrinque e nervo laterali emittens pilos (2), satis longos. *Flosc. masculi* l. *neutrius* valv. inf. 3-nervis. *Hermaphroditus* a medio pilis longis laxe vestitus. Arista circiter pollicaris.

Arundinella setosa. Radiis subsolitariis, subcompositis et subracemosis; Pedicellis sub spicula bilineali piliferis; Hermaphrodito hispidulo, biseto, gluma sua, inferiore fere quartam partem longiori, duplo-, másculo sua paulo minori; Arista torta, valvulis sub-triplo longiori.

Arundinella setosa Trin. Diss. II. p. 63.

V. sp. Nepal.

Culmus (abscissus) videtur sesqui — 2-pedalis, satis tenuis. *Vaginae* pilosulae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* (suprema) angusta (vix lineam lata), digitalia et breviora, praesertim supra pilis adspersis hirta. *Panicula* speciminis nostri palmaris, contractiuscula, lucidula, subfuscescens. *Glumae* acuminatissimae, 5-nerves. *Flosc. masculi* valv. inf. 3-nervis. *Flosc. superior* femineus, filamentis tamen evolutis.

b) *Perianthio fructifero apice integro.*

Arundinella brasiliensis Radd. Radiis verticillatis, racemoso-compositis; Pedicellis sub spicula subultralineali barbulatis; Hermaphrodito scabro, gluma sua, inferiore paulo longiori, quartam partem minori, neutro sua totidem majori; Arista torta, geniculata, valvulis subsesqui-longiori.

Arundinella brasiliensis. Trin. Diss. II. p. 62. Ic. gr. XXIII. tab. 266. — *Ar. Mikani N. ab Es.!* Agr. bras. p. 465. — *Ar. pallida Id.!* ibid. (non diversa).

Andropogon hispidus Willd. — *And. virens Sprgl.* S. V. p. 287.

Aira brasiliensis Sprgl. ibid. p. 278.

Goldbachia Mikani Trin. in Sprgl. n. Entd. II. p. 81.

Ischaemum hispidum Hb. et Kth. Kth. rev. gr. tab. 110. Agr. syn. p. 515. (excl. syn. Presl.)

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis. *Vaginae* superne hirtae. *Ligula* membranacea. *Folia* modo angusta, modo pollice dimidio fere latiora, ultrapedalia, nunc scabra tantum, nunc hispida l. pl. min. hirsuta. *Panicula* sesquipedalis, e glauco fuscoque varia, aut tota viridis. *Radii* inferiores superius, superiores a basi compositi. *Glumae* acutae, 3- vel sub- 5-nerves. *Flosc. neutrius* valvula inf. 3-nervis.

Arundinella martinicensis. Radiis verticillatis, racemoso-compositis; Pedicellis sub spicula subultralineali hispidis; Hermaphrodito gluma sua, inferiore tertiam quartamve partem longiori, duplo-, neutro suo quartam partem minori; Arista torta, geniculata, valvulis bis longiori.

Arundinella martinicensis Trin. Diss. II. p. 62.

Thysanachne scoparia Presl. rel. Haenk. I. p. 253.

V. spp. Martin. (Sieb. herb. Martin. no. 262 et 264.)

Culmus videtur 3 — 4-pedalis, stricto-erectus. *Vaginae* hirtulae. *Ligula* longo-ciliaris. *Folia* (superiora) lineas 3 lata, siccitate marginibus involuta, dodrantalia, supra pilis brevibus hirta. *Panicula* ultrapedalis, contracta, densa, fuscescendo-viridis. *Radii* tenuissimi, a basi divisi. *Glumae* 3-nerves. *Flosculi inferioris* valv. inf. 3-nervis.

Arundinella nepalensis. Radiis binis solitariisve, subracemoso-compositis; Pedicellis sub spicula bilineali nudiusculis; Hermaphrodito gluma sua, inferiore parum longiori, duplo minori, masculo suam subaequante; Arista torta, geniculata, valvulis bis longiori.

Arundinella nepalensis Trin. Diss. II. p. 62. Ic. gr. XXIII. tab. 268.

Acratherum miliaceum Lk. hort. reg. berol. I. p. 230. Kth. Agr. syn. p. 521.

V. spp. Nepal.

Culmus 2 — 3-pedalis, erectus, basi ramosus. *Vaginae* glabrae l. glabriusculae. *Ligula* membranacea, brevissima, dorso pilis stipata. *Folia* plana l. margine involuta, lineas 2 — 3 lata, satis firma, glabra: infima pedalia, sensim minora. *Panicula* spithamaea — ultrapedalis, pallide fuscescens, demum pl. min. patens, lucida. *Radii* tenues, a basi divisi, laxe floriferi. *Gluma* inferior 3-, superior et *Flosc. masc.* valv. inf. 5-nerves.

Arundinella agrostoides. Radiis fasciculato-semiverticillatis, subpaniculato-compositis; Pedicellis sub spicula sublineali nudis; Hermaphrodito gluma sua, inferiore tertiam partem l. fere dimidio longiori, duplo minori, neutro suam subexcedente; Arista torta, geniculata, valvulis plus triplo longiori.

Arundinella agrostoides Trin. ic. gr. XXIII. tab. 265.

V. spp. ex. Inss. Philipp. et Sandw.

Culmi caespitosi, dodrantales — ultrapedales, erecti l. obliqui, simplices. *Vaginae* glabrae. *Ligula* brevissima, ciliaris. *Folia* linearia l. lanceolato-linearia, lineas 2 — 3 lata, glabra, inferiora sesquipalmaria, sensim breviora. *Panicula* 3 — 6-pollicaris, contractiuscula, lucidula, viridis, demum fusces-

cendo-gilvescens. *Radii* pertenues, a basi compositi. *Glumae* acuminatissimae, aut utraque aut superior sola medio e nervo dorsali pilis (2) longiusculis munitae: inferior 3-, superior, apice truncato subfimbriata, 5-nervis. *Flosc. neut.* valv. inf. 3-nervis.

Obs. Huic affinis species *Brandtia holcoides Kth.* rev. gr. tab. 170. Agr. syn. p. 310., differt glumis, vaginis foliisque pilosis, flosculo inferiore hermaphrodito (an et seminifero?) superiore femineo.

Tristachya *N. ab Es.*

Panicula simplicissima. *Spiculae* (7 — 20-lineales) ternatae. *Flosculus fructiferus* basi pilis cinctus, apice aristatus.

Gramina utriusque orbis tropica, campos graminosos habitantia, 3 — 4-pedalia, erecta, culmo simplici.

Folia angusta, pl. min. involuta et hirta, firma.

Ligula ciliaris.

Panicula simplicissima: Radiis solitariis, alternis, aut simplicissimis aut semel divisis, apice discedentibus in stipites 3 brevissimos et fasciculum spicularum ferentibus. *Spiculae* maximae, ternae, fastigiatae, sublineari-lanceolatae, hemiologamae. *Glumae* membranaceae, 3-nerves, inferior brevior. *Flosculus inferior* masculus l. neuter, substantia glumarum, sessilis, muticus, bivalvis: valv. inf. 3 — 5-nervis. *Flosc. superior* hermaphroditus, demum coriaceus, incompleto brevior, teretiusculus, stipiti villoso insidens, glaber vel villosus: valv. inf. 7 — 11 — 13-nervis, apice bifida, e sinu laciniarum aristata: arista tortili. Valvula inferior superiorem amplectens.

Lodiculae squamae 1 — 2, subquadratae, emarginatae, ovario sublongiores.

Ovarium cylindraceo-oblongum, glabrum- l. apice barbatum. *Styli* 2. *Stigmata* plumosa.

Stamina 2 — 3. *Antherae* lineares.

Fructus Caryopsis cylindracea, depressiuscula, libera, eberbis (an constanter?), dorso sulco exarata, scutello suo 3 — 4-plo longior.

Tristachya chrysothrix N. ab Es. Glumis subsemipollicaribus, fulvo-hirsutis; Hermaphrodito villoso; Ovario nudo.

Tristachya chrysothrix N. ab Es. Agr. bras. p. 460. Kth. rev. gr. tab. 141. Agr. syn. p. 308.

V. spp. Bras.

Culmus bipedalis et ultra, nodis barbatis. *Vaginae* cum *Foliis* angustissimis, planis, radiisque paniculae parum compositis fulvo- l. aureo-pilosae. *Stamina* in utroque flosculo 2.

Tristachya leucothrix. Glumis pollicaribus: inferiore albo-hirsuta, superiore ciliata; Hermaphrodito glabro; Ovario barbato.

Tristachya leucothrix Trin. ap. N. ab Es. Agr. bras. p. 460.

Avena hispida Thbg. prodr. R. et S. II. p. 673. (non *Av. capensis L. sppl.*)

Anthistiria hispida Thbg. Fl. Cap.

Danthonia hispida Sprgl. S. V. p. 331.

V. sp. Cbsp.

Culmus (abscissus) videtur bipedalis, pilis raris adspersus. *Vaginae* cum *Foliis* involutis canescendo-pilosae. *Paniculae* 3-pollicaris axis glaber, emittens (in specim. nostro) radios 3, solitarios, simplicissimos, superne pilosulos et glanduliferos, apice discedentes in stipites s. pedicellos 3 aequales, lineam et qu. exc. longos, singulos ferentes spiculam suam. *Gluma* inferior in subulam brevissimam attenuata, ad nervos 3 fusco-glandulosa et e glandulis albo-pilosa; superior paulo longior, ad nervum medium nuda, ad laterales ciliata. *Flosc. masculi* valv. inferior substantia et forma glumarum, 5-nervis, nervis extimis tenero-ciliatis; valv. superior duplo brevior. *Hermaphr.* primum membranaceus, valvula masculi superiore paulo longior: valv. inf. 7-nervis: nervis

binis exterioribus utrinque confluentibus in subulam tenuem, bilinealem; tribus mediis in aristam bipollicarem, glabram. *Lodicula* in utroque flosculo squama 1 (2 connatae), quadrata, filamentorum brevium longitudine. *Stamina* 3.

Tristachya lejostachya N. ab Es. Glumis ultra-sesquipollicaribus, glabris; Hermaphrodito villoso; Ovario nudo.

Tristachya lejostachya N. ab Es. Agr. bras. p. 459. Kth. rev. gr. tab. 140. Agr. syn. p. 308. (cum *Tr. mexicana*).

Monopogon avenaceus Presl. rel. Haenk. I. p. 325. tab. 44. (Spiculis paulo brevioribus).

V. spp. Bras.

Culmus 3 — 4-pedalis, simplex, nodis barbulatis. *Vaginae* dorso pubescentes. *Folia* involuta, glabra. *Panicula* pl. min. semipedalis. *Axis* cum *radiis* simplicibus vel semel divisis glaber. *Spiculae* e viridi-flavo et amethystino variae. *Arista* 4 — 5-pollicaris. *Stamina* 3.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 111. lin. 7. ab inf. post: *glabris*, adde: *l. ciliatulis.*

— 113. — 1. — — — *dodrantalia*, adde: *l. pedalia.*

— 113. — 4. — — loco: *apice truncato brevissime fimbriato, denticulata*, pone: *laciniata.*

— 132. *Paspalo obtusifolio Raddi* adjunge syn: *Pasp. hyalinum Beyrich ms.* (e *Georgia Amer.*)

— 136. lin. 2. ab inf. loco: *orbiculare* lege *orbiculatum.*

— 137. *Paspalum caespitosum* hoc loco deleatur, et inseratur pag. 157. post *Pasp. mandioccanum;* Spiculae enim non *subminimae*, sed *parvae* tantum.

— 139. *Paspalum malacophyllum*, ob eandem causam, rectius pag. 154, post *Pasp. coryphaeum* ponatur.

— 152. *Paspalo denso* Axis potius *sub* ⩦, et spiculae inaequaliter *sub- brevipedicellatae.* — Aegre a *Pasp. densi* var. axibus nudis, distinguitur *Pasp. purpurascens Ell.* (*Bot. of S. Car. and Georg.* I. p. 108.) quod ita definiendum foret: Bi-tripedale, adscendens. Racemis 3 — 12 alternis (jubatisve); Axi ⩦, glabro; Spiculis linealibus, 4-serialibus, inaequaliter brevipedicellatis, subrotundo-obovatis, glabris; Foliis linearibus (longis), facie inferne pilosis. V. sp. Georg. — *Culmus vaginae*que compressae: inferiores cum culmo purpureae. *Ligula* membranacea, fere lineam longa. *Folia* inferne compressa, lineas 2.— 3 (5 — 6, *Ell.*) lata, margine hispida, purpurascentia, inferiora pedalia et longiora. *Racemi* basi villis aliquot barbati. *Axes partiales* glauci. *Spiculae* pallide fuscescentes. *Glumae* 3-nerves.

43*

Pag. 156. *Paspalo setaceo* add. Syn. *Pasp. ciliatifolium Mchx. et Ell!* — Hujus varietas, Racemo solitario, gracili, Spiculis parvis, Foliis sublanceolatis, hirsutis, est *Pasp. debile Mchx.* (*P. infirmum R. et S.* II. p. 307). Varietati * autem, sive *Paspalo supino* Bosc., addatur syn. *Pasp. dasyphyllum Ell. Bot. of S. Car. and Georg.* I. p. 105. (foliis hirsutioribus).

— 160. *Paspali laevis Mchx.* duae fortasse distinguendae erunt varietates: altera foliis glabris; altera foliis, praesertim inferne, pilosis: ad quam tum referendum videtur *Pasp. floridanum Mchx.* R. et S. II. p. 310. Mant. 2. p. 174.

— 175. lin. 5. ab inf. dele ad finem lineae: *supe-*

— 206. Sub *Panico cuyabensi* deleatur *Observatio*, et ante *Panicum connivens* inseratur:

Panicum violascens Kth. Decumbens. Racemis (2 —) 8 — 13, subfasciculato- l. conferto jubatis, pl. min. laxiuscule floriferis; Spiculis geminis, parvis, lanceolato-ellipticis, acutis, ad nervos villosulis; Gluma inferiore nulla, superiore flosculos aequante; Foliis linearibus (vaginisque) glabris.

Panicum violascens Kth. Agr. syn. p. 84.

Digitaria violascens Lk.! hort. reg. I. p. 229.

Paspalum fuscum Presl.! rel. Haenk. I. p. 214. Kth. Agr. syn. p. 46.

V. spp. Peruv? et cc.

Culmus sesqui — bi-pedalis, in spp. nostris parum ramosus. *Vaginae* (inferiores) in spontanea planta superne pilosae, in culta glabrae. *Folia* inferiora breviora, culmea circ. 5-pollicaria. *Racemi* tenues. *Axis partialis* latitudine spiculae. *Gluma* 3-nervis. *Flosc. neut.* 7-nervis. *Herm.* demum fuscus aut subviolascens.

— 217. lin. 2. ab inf. ante *huc* parenthesis claudatur.

Pag. 220. *Panici sulcati* thyrsus non semper *densissimus* sed saepe *densiusculus* tantum.

— 240. *Panicum uncinatum* venit: *α*, Racemis sub- 4, interstitiis brevioribus l. eosdem aequantibus, Spiculis minus distantibus: quo pertinent synn. Radd. et N. ab Es. — *β*, Racemis pluribus (6 — 12), interstitiis longioribus, Spiculis dissitis: cujus v. spp. Peruv., et quo spectant synn. Hb. et Kth. et *P. heteranthum Lk.*

— 241. *Panico paspaloidi Pers.* anteponatur:

Panicum tenerum Beyr. Racemis 5 — 3-linearibus, alternis, interstitia aequantibus; Spiculis solitariis, laxiusculis, (sub-) linealibus, ovali-lanceolatis, acutis, glabris (basi villis aliquot stipatis); Gluma inferiore flosculis fere dimidio breviori; Hermaphrodito acutiusculo, laevi (neutro breviori); Foliis angustissimis (planis l. subinvolutis), glabris.

V. spp. Georg. Amer. (in paludibus nemorum cresc.) Beyrich ms.

Culmus circiter sesquipedalis, filiformis, tamen satis tenax, aequus, cum nodis glaberrimus, simplex, inferne atropurpurascens. *Vaginae* teretes, glabrae l. fauce villosulae. *Ligula* brevissima. *Folia* erecta, firmula: ubi plana, lineam circiter dimidiam lata. *Axis comm.* fere bipollicaris, tenuissimus, 4 — 5-parus; partiales angulati, erecti, tenues. *Spiculae* virides. *Gluma* inferior paulo minus quam dimidio brevior, 1- vel subtrinervis; superior 5-nervis. *Flosculus neut.* bivalvis.

— 251. lin. 2. ab init. post *ovato-lanceolatis* adde: *vel ovatis.*

— 253. — 13. — — Racemi dicantur: solitarii *vel fasciculati.*

— 260. Post *Panicum megastachyum* inseratur:

Panicum cognatum Schult. Radiis subsimplicibus, virgatis (subfastigiatis), paniculatis Radiolisque (s. potius Pedicellis longissimis)

patentibus; Spiculis linealibus, ovali-lanceolatis, acutis, (junioribus) villosulis; Gluma inferiore minima l. nulla, superiore 5 — 7-nervi; Hermaphrodito acuto, laevi; Foliis angusto-lanceolato-linearibus, glabris.

Panicum cognatum Schult. Mant. II. p. 285. — *P. divergens Mhlbg.* — *P. fragile* et *cognatum* Kth. Agr. syn. p. 105.

V. sp. Carol.

Graminis nostri culmus quidem minus fragilis, tamen absque dubio ad plantam Mühlenbergianam et Elliottianam (*Bot. of S. Car. and Georg.* I. p. 130) referendum. *Culmus* contracto-ramosus, adscendens, geniculato-plurinodis, satis tenuis, cum panicula sesqui — bi-pedalis. *Nodi* glabri. *Vaginae* teretes, internodio sublongiores, glabrae. *Ligula* membranacea, breviuscula, obtusa. *Folia* patentia, circiter digitalia, strictiuscula, subulato-attenuata, medio lineam et qu. exc. lata. *Panicula* circiter dodrantalis. *Radii* in verticillis per interstitia minus longa ab invicem remotis minusque regularibus bini — quaterni, strictiusculi, angulato-compressi, sub lente (vix tactu) scabri, ad axillas barbati, radiolos (pedicellos) emittentes longissimos, unifloros, alternos. *Spiculae* viridulae, demum pl. min. glabratae. *Gluma* inferior, si adest, minuta, angusta. *Flosc. neut.* 1-valvis, 7-nervis. *Hermaphr.* tandem fuscescens.

Pag. 262. *Panicum latifolium L.* melius ita dividitur: α, Vaginis ore extus barbatis; β, Vaginis ore extus glabris. — Varietati priori *Ligula* est brevis, ciliata; posteriori plerumque (nam et in hac rarius brevem et ciliarem inveni) membranacea, interdum satis exserta. Ceterum utriusque varietatis radii et radioli occurrunt nunc erecti, nunc divaricati.

Pag. 269. *Panici chlorotici var. α, agrestis*, simillima est *Panico attenuato* W. (p. 271. quod non nisi gluma inferiore paulo longiori, et gluma superiore saepe plurinervi differt). Var. *β*, (cui quidem radii etiam superius *compositi* occurrunt), a cel. Beyrich nom. *Pan. miliaris* LaM. (e Guiana), et *Pan. proliferi* LaM. (e Virginia) missa.

— 271. Post *Panicum attenuatum* ponatur *Panicum milioides* (p. 294), cui radii superiores triangulares.

— 283. Ante *Pan. pellitum* inseratur:

Panicum carinatum Presl. Radiis paulo superius decompositis, alternis Radiolisque (pilis adspersis) patulis; Glumis 3-nervibus: inferiore spicula dimidia paulo longiori; Hermaphrodito acutiusculo, laevi; Foliis lanceolatis, (demum?) glabris.

Panicum carinatum Presl.! rel. Haenk. I. p. 309. Kth. Agr. syn. p. 112.

V. sp. Luzon.


Culmus pl. min. pedalis, inferne prostratus, nodis (pluribus) barbulatis. Tam *vaginae*, quam *folia*, quae patentia, poll. 2 longiora, lin. 4 et qu. exc. lata, in specimine a cel. Presl misso glabra. *Ligula* membranacea, brevis, truncata. *Panicula* palmaris, fusca. *Radii* solitarii, pilis adspersi. *Radioli* et *pedicelli* basi plerumque fasciculo pilorum barbati. *Spiculae* compressiusculae, dorso paulo convexiores, distinctissime nervatae, in specim. nostro (adultiori) totae glabrae. *Glumae* dissitiusculae. *Flosc. neut.* bivalvis: valv. inferiore 3-nervi, superiore parva et angusta.

— 294. *Panicum milioides* inseratur supra pag. 271, post *Pan. attenuatum*. Hujus etiam specimina vidi in Georgia lecta, et a cel. Beyrich sub nom. *Panici hiantis* Ell. missa, quod (*Bot. of S. Car. and Georg.* I. p. 118., an cum syn. Michauxii?) omnino huc referendum, tum vero nomen *milioidis* supprimendum videtur.

Pag. 302. *Panici pubescentis Mchx.* varietatem *a*, *γ*. (*Pan. villosum Ell.*) misit cl. Beyrich sub nom. *Panici dichotomi L.*, certo *Sprgl.* (in *Mém. de St. Pét.* II. p. 290. tab. 5.) — Alia hujus graminis maxime polymorphi varietas, eaque *b*, erit: spiculis linealibus, culmo ramoso, foliis angusto-lanceolatis, brevibus, pl. min. ciliatis; quam mis. cl. Beyrich s. n. *Pan. nitidum Ell.* (cum!, quod tamen ob spiculas non „minutas", vix crederem). — Varietatis *b*, quae nunc *c*, synonymis subjungendum etiam *Panicum sphaerocarpon Ell. l. l.* p. 125.

INDEX.





MAMMALIUM RODENTIUM

EXOTICORUM NOVORUM VEL MINUS RITE COGNITORUM

MUSEI ACADEMICI ZOOLOGICI DESCRIPTIONES ET ICONES.

AUCTORE

J. F. BRANDT.

(Conv. exhib. die 17. Jan. 1854.)

SECTIO I.

HYSTRICUM, QUAE IN MUSEO ACADEMICO SERVANTUR GENERUM ATQUE SPECIERUM ILLUSTRATIONES.

Rajus (*Synops. method.* p. 206), *Brissonius* (*Regnum animale* p. 125), *Linnaeus* (*Syst. nat. ed.* 12. Tom. I. p. 76), *Schreberus* (*Säugethiere* Th. IV. p. 599) aliique autores nomine generico Hystrix mammalium rodentium omnes intellexerunt, qui Hystrici vulgari seu cristatae integumentis similes apparent. *Lacepedius* autem jam anno 1797 (*Mem. de l'Institut* Vol. III., *Wiedemann Archiv für Zoologie und Zootomie.* Bd. III. St., 2. et *G. Fischer Zoognosia* Vol. II. Mosquae 1813. p. 443) primus ostendit, glirium illos, quos *Linnaeus* aliique *Hystricum* nomine comprehenderent, secundum caudae structuram in duo genera esse dirimendos, in *Hystrices* cauda haud prehensili praeditas, seu *Hystrices* sensu strictiori dicendas, et in Hystrices cauda prehensili instructas seu *Coendu's*. *Dumerilius* (1806) in Zoologia analytica (*Uebers.* p. 18 et 19) et serius *G. Fischerus* (*Zoognosia* Vol. III. Mosquae 1814. 8. p. 99 et 102) nec non *Ranzanius* (*Elementi della storia naturale dei*

Mammiferi Vol. II. Bologna 1820. p. 456 et p. 451) *Lacepedii* dividendi methodum jure acceperunt. Nihilo secius tamen ab aliis Celeberrimis Zoologis, quae *Lacepedius* proposuerat genera sunt neglecta et non solum apud Tiedemannum (*Zoologie* Landshut 1808. I. p. 462), *Illigerum* (Prodromus Berolini 1811. p. 90) et *Okenium* (*Naturgeschichte, Zoologie*, Abth. II. Jena 1816. p. 875), sed etiam in prima Regni animalis *Cuveriani* editione (à Paris 1817. T. I. p. 208) et in *Desmarestii* Mammalium historia (*Mammalogie* P. 2. à Paris 1822. p. 344), nec non in *Kuhlii* animadversionibus (*Beiträge zur Zoologie.* Frankfurt 1820. p. 70) *Hystricum* genus sensu Linnaeano compositum invenimus. Paucos annos post labores modo laudatos (1822) tractatus a *Fr. Cuviero* conscriptus in nono Musei Parisiensis Memorabilium tomo (*Mémoires d. Museum* T. IX. p. 413)*) prodiit, ubi Cel. Auctor de Hystricum speciebus accuratiores communicavit observationes easque in duas sectiones seu subfamilias, in *Hystrices* orbis terrarum veteris et H. orbis terrarum novi dentium molarium coronarum figura externa et vitae genere respectis distribuit.

Hystrices quidem, quae orbis terrarum veteris plagas incolunt pro cranii parte frontali plus minusve convexa in duo divisit genera (*Hystrix* et *Acanthion*); Americanas autem simili modo, caudae ratione vero insimul assumta, in tria dispescuit genera (*Erethizon*, *Synetheres* et *Sphiggurus*). Quae *Fr. Cuvierus* proposuerat divisiones a *Lessonio* in Manuali (*Manuel d. Mammalogie* à Paris 1827. p. 288) sunt acceptae. *Lessonius* tamen nomen *Synetheres* in Coendu mutavit, quia *Lacepedius* jam Synetherem prehensilem *Fr. Cuvieri* proprio nomine generico (*Coendu prehensilis*) proposuerat. *Isidore Geoffroy St. Hilaire* (*Dictionnaire classique d'hist. nat.* T. 40. à Paris 1828. *Art. Porc-épic.*) pari modo in Hystricum divisione *Fr. Cuvierum* sequitur, sed non omnes naturae scrutatores sectiones a *Fr. Cuviero* exhibitas comprobaturos esse putat.

Griffithius (*The animal kingdom* London 1827. Vol. V. *Synopsis of the mammalium* n. 680 et Vol. III. p. 87), porro *J. B. Fischerus* (*Synopsis mammal.* p. 366)

---

*) Quae *Fr. Cuvierus* l. l. dixerat repetita invenimus in *Diction. des Sciences natur.* Vol. 42. 1826. *Art. Porc-épic.* p. 326.

et *Wiegmannus* (*Handb. der Zoologie.* Berlin 1832. 8. p. 59) non solum omnia genera a *Fr. Cuviero* composita, sed etiam *Laccpedianum* genus *Coendu* cum reliquis Hystricibus conjungunt et genus Hystrix sensu *Linnaeano* proponunt. Ipse etiam *G. Cuvierus* in secunda regni animalis editione (Vol. I. p. 215) non omnia, quae frater exhibuerat genera recepit, sed Hystrices cauda brevi pedibus posticis distincte pentadactylis et cranio magis convexo praeditas sub genere *Porc-épics proprement dits* pertractat, cranio autem depresso aculeisque brevibus pilis involutis instructas *Les Ursons* (Éretisons Fr. Cuv.) appellat, porro quae caudam elongatam, haud volubilem pedesque posticos pentadactylos habent „*Les Atherures*" vocat, quae cauda prehensili, pedibusque posticis digitis quatuor tantum unguibus falcularibus instructis gaudent denique sub nomine *Les Coendous* (*Synetheres Fr. Cuv.*) comprehensas esse vult.*) *Voigtius* (*Cuvier's Thierreich übers. von Voigt.* Bd. I. p. 243) *Cuvieri* divisiones retinuit. *Waglerus* (*Natürliches System der Amphibien.* München 1830. p. 18) omnes Hystricum species in duo genera distribuit, in genus *Hystrix*, cui *Hystrices* et *Erethizontes Fr. Cuvieri* et genus *Sphingura Fr. Cuvieri*, cui *Spiggguros* et *Synetheres Fr. Cuvieri* adnumerat.

Quae quum ita sint recentes de Hystricum speciebus et generibus observationes haud abs re esse videbantur. Omnes igitur, quibus Museum Academicum ad Hystricum historiam dilucidandam conferre poterat partes novo subjeci examini. Est autem Museum Academicum quod ad Hystrices ditissimum, non solum enim Hystricum octo specierum pelles effarctas, sed etiam septem specierum (*Hystricis cristatae*, *H. hirsutirostris*, *Erethizontis epixanthi* (?), *Cercolabis prehensilis*, *Cercolabis atrati*, *Cercolabis insidiosi* et *Cercolabis affinis*) crania**) continet.

---

*) *G. Cuvierus* autem generi Les *Coendou's* etiam *Couiy'um Azarae* (qui *Fr. Cuviero* est *Sphiggurus villosus*, *Lichtensteinio Hystrix insidiosa*) adscribit. Exinde vero sequitur *G. Cuvierum* sub nomine Les *Coendus* non solum genus *Synetheres* fratris sui, sed etiam genus *Sphiggurus* ejusdem intelligere et utrumque conjungere.

**) Notandum est *Hystricis cristatae*, *H. hirsutirostris*, *Erethizontis dorsati* (vel potius *epixanthi?*) *Cercolabis prehensilis*, *Cercolabis atrati*, *Cercolabis insidiosi* et *affinis* crania sub ipsissimis auctoris oculis e pellibus esse extracta.

Quibus quidem disquisitionibus institutis non solum *Fr. Cuvieri* de Hystricibus orbis terrarum antiqui et novi in duas sectiones seu subfamilias distribuendis sententiam probare; sed ipsarum etiam sectionum notas emendare characteribusque majoris momenti recenter detectis longe amplius atque exactius definire et circumscribere, vel, si mavis, stabilire contigit.

Generum characteres pari modo non solum emendavi, sed multis novis notis essentialibus auxi et fusius pertractavi. Quod ad generum numerum *G. Cuvieri* sequutus sum opinionem in secunda regni animalis editione propositam. Quamvis enim *Fr. Cuvieri* de Hystricibus tractatus melioribus sine dubio adnumerandus sit de zoologia laboribus, genus tamen *Acanthion* ejus, secundum unum cranium et unum sceleton, deficientibus partibus externis, propositum approbari nequit. Primum enim ipse *Fr. Cuvierus* l. l. p. 431 asserit, sceleton, quo *Acanthion Daubentionii* fundavit, ex *Hystricum* a *Perraultio* (*Mémoires pour servir à l'hist. nat. d. anim.* II. p. 206) dissecatarum una fuisse desumtum; quae quidem *Hystrices*, ut e descriptione et figura *Perraultiana* elucere videtur, etsi ab *Hystrice cristata* Italiae diversae, habitu externo tamen et colore ei simillimae fuerunt. Deinde *Hystricis hirsutirostris* cranium in tabulae nostrae VIII. fig. 3 — 6 exhibitum cum *Acanthii javanici Fr. Cuvieri* cranio, quod in Memorabilibus Musei Parisiensis l. l. tab. 20. fig. 3. et 4 depictum invenimus, tantam ostendit similitudinem, ut fere suspicare posses inter ipsum atque *Acanthii javanici* nullum existere discrimen. *Hystricis* autem *hirsutirostris* (vide infra) partes externae magnam, non solum cum *Hystrice cristata* offerunt affinitatem, sed etiam colorum distributione adeo conveniunt, ut vix ad stabiliendam speciem sufficiant, quamvis cranii partis frontalis ratione *Hystrix cristata* et *hirsutirostris* valde discrepent (vide infra). Quum autem exemplum modo allatum in *Hystricibus* partem cranii frontalem magis vel minus evolutam ceteris paribus typis genericis disjungendis non sufficere probare satis videatur, genus quoque *Synetheres* et *Sphiggurus* admitti nequeunt, etiamsi subdivisiones genericas seu subgenera praebere possint, quales in genere *Cercolabes* stabilivimus. Ipse

quoque *Fr. Cuvierus* (*Mém. d. Mus. l. l.* p. 437) non pro certo affirmare audet, num divisiones, quas in genere Hystrix proposuit, sint genera vel subgenera tantum appellandae.

HYSTRICUM FAMILIAE*).

Character generalis.

Caput mediocre. Rostrum obtusum vel minus obtusum. Labium superius ante dentes incisivos fissum et excisum, aut parum fissum, aut paulisper tantum emarginatum. Dentes incisivi insignes, supra infraque simplices, glabri, esulcati, pagina antica flavi vel aurantiaci, forcipum modo invicem agentes. Molares supra infraque utrinque utrinsecus quatuor**), abrupti, tritores, complicati, monorrhizi, vel obducti et in corona tantum complicati polyrrhizi. Superiorum coronae paulisper extrorsum directae coronidibus subextrorsis, inferiorum coronae paulisper introrsum spectantes coronidibus subintrorsis. Oculi parvi. Vibrissae plus minusve evolutae. Supra oculum et pone oculum quemvis setae singulae tres vel quatuor, vibrissis quod ad usum, ut videtur, similes. Auriculae aut mediocres, rectae, exsertae, rotundatae, aut breves, supra meatum auditorium plus minusve oblique antrorsum vergentes magis oblongae et pilis vel pilis aculeisve obvolutae. Collum breve. Corpus torosum vel subelongatum, nunc setis vel setis aculeiformibus vel aculeis plerumque teretibus, exsertis

---

*) Genus *Hystrix* Linnaeanum cum genere *Loncheres* (*Echimys Geoffr.*) propriae familiae *Aculeatorum* nomine propositae typos primus exhibuit *Illigerus* in *Prodromo* p. 81. Sequutus est nuper *Wiegmannus* (*Handbuch der Zoologie* p. 59). *Lessonius* autem solummodo genus *Hystrix Linnaei* propriae familiae typum pertractat, quo quidem sensu nos quoque hoc loco Hystricum familiam consideramus, quamvis pro certo affirmare non audeamus, num genus Loncheres re vera Hystricum familiae sit allegandum, nec ne.

**) Nonnulli auctores, sicuti *Illigerus* in *Prodromo* p. 90, Hystricibus quinque molares utrinque utrinsecus tribuunt; fere semper autem quatuor tantummodo evoluti inveniuntur. Interdum tamen utrinque utrinsecus quinque apparent, ut in Musei Academici *Hystricis cristatae* craniorum uno, in quo autem molaris quivis ultimus, utpote accessorius, reliquis minor et multo brevior observatur et coronam, sicuti animalium juniorum molares, tuberculatam habet.

et pilis codarioque rarissime vel rarius intermixtis, nunc pilis codarioque largis vel largissimis et aculeis plus minusve absconditis et involutis tectum. Aculei e lineis in cute ad quincuncem dispositis terni ad senos, vix plures, seriatim prodeuntes basi pilis vel codario cincti. Pedes, breves longitudine subaequales tetradactyli vel pentadactyli. Ungues falculares, interdum subungulaeformes, vel lamnati. Cauda aut brevis vel elongata haud volubilis, aut elongata et volabilis. Mammae apertae vel inguinales sex (*Hystrix* teste *Fr. Cuviero*) vel quatuor, quarum duae saltem pectorales (in *Cercolabe* secundum *Azaram*). Claviculae sternum haud attingentes, sed ligamenti fere cartilaginei ope tantummodo ei adhaerentes.

Asiae mediae et australis, Africae vel Americae australis et borealis incolae phytophagae, radicibus, fructibus foliisque victitantes. Asiaticae et Africanae in terra vel sub terra, Americanae omnes vel semper in arboribus obviae, vel saltem omnes arbores ascendentes et per magnum vitae spatium in arboribus degentes. Quod ad magnitudinem ad glirium maximos referendae, pedem 1¾ ad 2½ pedes longae, corpore solo inde a rostri apice ad caudae basin demenso 1 — 2 pedes longo. Omnes nocturnae, plus minusve lentae et stupidae. Iratae pilos aculeosque erigentes.

Hystricum familia secundum dentium molarium structuram in duas subfamilias, similibus sectionibus jam a *Fr. Cuviero* propositis, ut supra jam indicavimus correspondentes, dividi potest, quarum unam *Philogaearum*, alteram vero *Philodendrarum* nomine afficere haud incongruum videtur.

SUBFAMILIA I.

PHILOGAEAE.

Character essentialis.

Dentium molarium singuli radice simplici vel apice tantum fissa. — Fossores.

Descriptio.

Molares oblongi, curvati vel subrecti, quod ad magnitudinem inter se differentes et coronis a radicibus strictura haud disjunctis, sed cum parte radicali confluentibus

instructi. Molaris primus omnium plerumque maximus, secundus ultimo paulo major vel (nominatim in mandibula) interdum minor, vel vix minor, penultimus secundo et ultimo plerumque paulo major vel vix paulo major*). Maxillae molarium primi (Tab. VII. Fig. 1. *a*) et ultimi (ib. *d*) radix simplex, apice fissura fere semilunari (*a*) curvata, pro nervi vasorumque introitu instructa, quae quidem fissura non solum in speciminibus vetustioribus semper obliterata invenitur; sed etiam in ejusdem individui singulis dentibus (ut in Fig. 1. *b*, *c*) tota vel saltem magna ex parte evanida conspicitur. Secundi (ib. *b*) et tertii (*c*) maxillae molaris radix in apicis pagina externa longitudinaliter sulcata et eminentiis seu tuberculis duobus minimis (radicularum rudimentis) instructa. Mandibulae molarium anterioris (ib. *e*) radix duobus sulcis longitudinalibus oppositis, radicis divisionem indicantibus exarata et apice extremo bifida eamque ob causam apice subdirhiza. Mandibulae molarium secundus (*f*) radicis apice trifido et in tria tubercula parva, conica (radicularum rudimenta) subaequaliter diviso, tertius (*g*) radice apice trituberculata, tuberculis conicis, inaequalibus et uno reliquis magis evoluto; quartus (*h*) radicis apice subtrituberculato, tuberculo tertio tamen vix indicato.

In iis individuis, quorum dentes sunt parum detriti**) in cujusvis maxillae molaris coronae latere externo plerumque duae (ib. Fig. 4. *a*, *b*) rarius tres vel quatuor (ut ib. Fig. 1. *a*) inveniuntur impressiones, rimas fere exhibentes, substantia vitrea plicam formante intus cinctae, in interiore latere autem una plerumque tantummodo impressio (ib. Fig. 4. *c*) reperitur (rarius duo), pari modo substantia vitrea plicam efficiente intus circumdata. Tali quidem modo plicae illae substantiae vitreae tres, in molarium coronis modice detritis conspiciendae (ib. Fig. 4. *a*, *b*, *c*)

---

*) Molares inter se secundum varia individua magnitudine varii, qua de causa etiam, quos depingendos curavimus utpote magnitudinis typum stabilem exhibentes neutiquam sunt considerandi.

**) Admodum juvenum Hystricum dentes inquirere haud licuit, quantum autem e dentibus nonnullis, qui in specimine adulto fere integri mansere, concludere licet coronae apex quinque circiter plerumque offerre videtur tubercula substantia vitrea circumdata et impressionibus disjuncta, a quibus quidem tuberculis substantia vitrea in dentis internam partem usque ad radicem sub plicarum forma prolongatur (vide infra).

efformantur. Maxillae molarium substantiae vitreae plicarum exteriorum posterior (i. e. quae coronae impressionem posteriorem terminat) (Tab. VII. Fig. 4. *b*) omnium longissima, apice retrorsum curvata, plicarum exteriorum anterior (*a*) autem interiori (*c*) plus minusve antrorsum vergenti fere opposita, sed paulo longior et magis recta. Ante plicam exteriorem anteriorem (*a*) atque plicam interiorem (*c*) annulus ellipticus (*d*) e substantia vitrea formatus osseam substantiam includens in coronae substantia ossea observatur. Similis annulus (*e*) sed minor, fere ellipticus vel subrotundus pone substantiae vitreae plicam exteriorem posteriorem (*b*) occurrit. Si dentes sensim sensimque magis deteruntur plicae externae et internae, sed non omnes eodem tempore, evanescunt. Plicae quidem interiores in maxilla, plicae exteriores autem in mandibula diutius in universum persistere solent, quod a molarium coronarum directione (vide supra) dependere videtur.

In maxillae molaribus admodum detritis (ib. Fig. 3, 6, 5) plicae interioris (Fig. 4. *c*) et exterioris anterioris (ib. *a*) loco annuli plerumque duo elliptici vel oblongi (Fig. 5. *a*, *c*) e substantia vitrea formati, aream substantiae osseae ellipticam includentes apparent, quorum quidem annulorum exterior (*a*) a plica exteriore anteriore (ib. Fig. 4. *a*) a dentis margine sejuncta, interior (*c*) vero a plica interiore (ib. Fig. 4. *c*) efficitur; plicae exterioris posterioris loco (ib. *b*) vero annuli subelliptici duo (ib. Fig. 5. *b*, *f*), saepius (praesertim in dentibus minus detritis) in unum curvatum conjuncti (Fig. 3. *b*) animadvertuntur, ita ut in dentium detritorum, regulariter conformatorum quavis corona annulos ellipticos, e substantia vitrea effectos plerumque quinque (Fig. 5. *a*, *b*, *f*, *c*, *d*) et annulum posteriorem parvum, rotundum (*e*), in universum igitur annulos sex (ib. *a*, *b*, *f*, *c*, *d*, *e*) invenire liceat. Saepissime vero annulorum sex loco quinque rarius tres (ib. Fig. 6) vel quatuor (fere ut in Fig. 3) tantummodo observantur*), quod partim ab annulorum duorum mutuo confluxu, partim vero a substantia vitrea plicarum singularum parum profunde in dentis radicem intrante dependere videtur.

*) De annulorum in molaribus detritis numero et ratione cf. etiam tabulae octavae figuram quintam.

Mandibulae molares similem structuram habent maxillae molaribus, sed eorum coronae impressiones, plicae et annuli, quos in maxillaribus externos diximus in ipsorum interna et quos internos in maxillae molaribus appellavimus in externa eorum facie reperiuntur.

Molaris singulus longitudinaliter dissectus (ib. Fig. 7) e stratis fere parallelis, densis, alternantibus substantiae osseae vel cementosae flavicantis et substantiae albae parum coerulescentis vitreae compositum se praebet, ita quidem, ut paries externus ejus e substantiae osseae strato substantiae vitreae strato insigni supra inducto, tota interior pars autem e substantiae vitreae processibus nonnullis (ib. *e*, *e*, *e* et Fig. 8, 9) plicas formantibus, clausis usque ad radicis apicem non extensis, substantia ossea circumdatis et impletis (*c*) consistat, qui quidem processus in corona prominentes coronae plicas et annulos, de quibus supra fusius egimus, efficiunt. In radicis apicis (Fig. 7. *a*) latere molaris quivis foramine (ib. *c*) perforatus evadit et intus cavitatem parvam, subtriangularem offert, e qua rimae tenuissimae ad internorum substantiae vitreae processuum basin tendunt eosque ex parte a dentis pariete externo disjungunt. Ipsa vero corona (ib. *b*, *b*) haud excavata, sed solida apparet*).

Labium superius ante dentes incisivos excisura triangulari exaratum et supra excisuram, sub narium septo, area longitudinali, calva instructum. Auriculae (Tab. VI. Fig. 1) mediocres, majores quam in sequenti sectione, rotundatae, dilatatae, exsertae et pilis tantummodo recumbentibus, parum confertis in anteriore parte paulisper obvelatae, erectae, parcius pilosae. Corpus plus minusve torosum, ex parte aculeis veris, vel aculeis setiformibus exsertis pilis teretibus rarioribus, tenuioribus codarioque tenui, brevi plus minusve parco, et sparso intermixtis, ex parte vero setis aculeiformibus, compressis, vel setis, vel pilis rigidis, setaceis, saepius complanatis, obsessum. Cauda brevis vel elongata, numquam volubilis, vel maxima ex parte squamis, vel per totum

---

*) Quas dedimus de Hystricum dentibus descriptiones repetita observatione nituntur et ab illis differunt, quas *Fr. Cuviero* (*Mém. d. Mus.* X. p. 419 et *Dents d. Mammifères* p. 177) debemus; fusius enim dentes describere sumus conati, dentium radicibus et interna structura, de quibus *Cuvierus* tacet, insimul consideratis.

ambitum aculeis tecta, in apice summo semper aculeis formam peculiarem praebentibus, supra basin angustam dilatatis, solidis vel tubulosis, rectis, vel interdum nodulosis, apice truncatis et apertis vel clausis et acuminatis circum circa obsessa. Digiti satis breves. Pedes antici digitis quatuor tantum evolutis, unguiculatis, pollice verrucam lamna obtectam exhibente. Pedes postici digitis quinque evolutis et unguiculatis.

Pars cranii nasalis in universum paulo magis elongata, quam in sequenti subfamilia. Ossium intermaxillarium processus nasales magis elongati et versus cranii superiorem et posteriorem partem producti, ita ut ossa incisiva dimidiam fere totius cranii longitudinis partem sua longitudine adaequent. Ossa intermaxillaria in sutura, qua invicem conjunguntur ante foramina incisiva in cristulam depressam elevata. Foramina incisiva distincta, angusta, linearia margine interiore vix depresso instructa. — Ossa maxillaria in partis palatinae superficiei inferioris anteriore parte, pone foramina incisiva, in sutura, qua invicem conjunguntur non in posteriore parte fere solummodo (ut in sequenti subfamilia) semper in cristam elevata et ante dentem molarem primum impressionis tantum vestigio. Ossis maxillaris processus zygomaticus et orbitalis multo fortius reclinati quam in sequenti subfamilia. Processus orbitalis ejus dentem molarem tertium contra obvius, pro longitudine latior, quam in *Philodendris*, longitudine ejus latitudinem ipsius, e medio desumtam, circiter duplo vel triplo superante. Processus zygomaticus paulo longior, parte sua postica molarem tertium contra situs, et parte antica multo angustior, quam in sequenti subfamilia. Processus orbitalis et zygomaticus vel confluxi vel suturae ope conjuncti. — Os zygomaticum multo brevius, et in margine superiore demensum sextam circiter cranii longitudinis partem sua longitudine aequans. Orbita et fossa temporalis invicem confluxae, rotundae, multo minus amplae quam in sequenti sectione, a marginis anterioris medio ad posterioris medium demensae diametrum quintam cranii longitudinis partem fere tantummodo aequantem offerunt et in cranii posterioris dimidio demum incipiunt. Ossa lacrymalia distincta, evoluta, et in cranii facie superiore supra maxillae processum orbitalem conspicua, imo adeo protuberantia seu

processu parvo instructa. Ossis temporum pars petrosa supra meatum auditorium hiatu insigni subcurvo, rimae simili, a parte squamosa diremta. Bullae osseae minus, quam in sequenti sectione evolutae. Mandibulae processus condyloidei margine posteriore subrecto vel parum intracto. Mandibulae anguli in prosessum haud elongati. Mandibulae partes versus symphysin in angulum acutissimum convergentes, in ipsius symphyseos interna pagina fossa angusta, satis profunda instructae et in pagina interna supra marginem inferiorem sub alveolis, inde a symphysi usque ad processus condyloidei basin in cristam insignem, arcuatam, obtusam tumidae. Cujusvis dentis molaris alveolus in maxilla cavitatem simplicem, in mandibula vero basi ima, ad molarium apicis radicularum rudimenta recipienda, parietibus tenuissimis et brevissimis divisam exhibet.

Asiaticae vel Africanae forsan etiam Europaeae, in terra vel sub terra degentes *).
Huc spectant genera *Hystrix. Cuv.* et *Atherura Cuv.*

HYSTRIX. Cuv. (*Regn. an. 2 ed.*)

Hystrix, *Rajus*, *Linn.*, *Briss.*, *Penn.*, *Schreb.*, *Tiedem.*, *Illig.*, *G. Fischer*, *Oken*, *Kuhl*, *Goldfuss*, *Griffith.*, *J. B. Fischer*, *Wiegmann* et aliorum auctorum e. p. — *Hystrix* et *Aconthion* **), *Fr. Cuv.* et *Less.*

---

*) Notandum est in stabiliendis *Philogaearum* characteribus nos tantummodo *Hystricem cristatam* et *hirsutirostrem* in auxilium vocare potuisse, genere *Atherura* in Museo nostro, ut in plurimis, deficiente. Quum vero *G. Cuvierus* in secunda regni animalis editione (Vol. I. p. 216) de *Atherura fasciculata* (*Hystrice fasciculata Linn. Buff.* Suppl. VII. t. 77, *Schreb.* t. 170) annotet: „elle a les dents et les autres caractères intérieurs et extérieurs des porc-épics" quas e solo genere *Hystrix* desumsimus notae forsan sufficient. Hoc eo magis statui posse videtur, quod etiam *Bennetius*, qui nuper accurationem *Hystricis fasciculatae* auctorum descriptionem (The gardens and Ménagerie of the Zoolog. Society Cheswici 1831. Vol. I. p. 175) dedit, de genere *Atherura* ab Hystricibus dirimendo adhuc dubitet.

**) Genus *Aconthion Fr Cuvieri* generi *Hystrix* addo, ob similitudinem cranii *Hystricis hirsutirostris* cum *Aconthii D'Aubentonii* cranio (vide supra p. 360). — *G. Cuvierus*, quamvis novum genus *Atherura* proposuit, de genere *Aconthion* in novo regni animalis editione ne verbulum quidem fecit. Ex ipsius autem verbis, quae in genere *Hystrix* p. 215, leguntur: „Il y en a (scilicet in genere *Hystrix*) des espèces à tête moins bombées" fere concluderem, ipsum quoque genus *Aconthion* et *Hystrix* unum idemque habuisse.

Character essentialis.

Cauda admodum brevis, sine aculeis octavam vel nonam corporis longitudinis partem a rostri apice ad caudae basin demensi circiter aequans, tota aculeis vestita *).

Character naturalis.

Corpus sat torosum, abbreviatum. Caput mediocre. Rostrum subconicum, obtusum. Labia (Tab. VII. Fig. 17) sat tumida, insignia. Labium superius supra dentes superiores profunde fissum et excisura triangulari instructum (ita ut dentes incisivi in fissura sint) et supra fissuram sub narium septo area impressa, calva, oblonga instructum. Labium inferius superiore multo angustius. Narium aperturae fissuras insignes, lineares, subcurvas, valvula cutanea distincta, fere semilunari extrinsecus occlusas offerentes; sublata autem valvula impressio angusta, sub ipsa valvula sita conspicitur, quae in foramen subrotundum, parvum, antice juxta narium septum situm (narium aperturam propriam) transit. Lingua papillis corneis scabra, quarum exteriores minores, subrotundae, interiores magis elongatae et fere cristis similes apparent. Auriculae (Tab. VI. Fig. 1) mediocres, erectae, sat dilatatae, rotundatae, exsertae. Cauda admodum brevis, sine aculeis circiter octavam vel nonam, cum aculeis sextam ad decimam partem corporis a rostri apice ad ipsius apicem demensi circiter longitudine sua adaequans. Pedes sat validi, breves. Pedes antici (Tab. VI. Fig. 4) digitis quatuor evolutis et pollicis loco verruca parva (*a*) instructi. Pedes postici (ib. Fig. 6) pentadactyli. Antipedum digitorum medius reliquis longior, quartus medio seu tertio

---

*) Character generis Hystrix ita exhibitus est, ut genus *Atherura* admittere possis, quod quidem differt, ut etiam *Bennetius* l. l. p. 177 affert:

„Cauda elongata, $\frac{1}{3}$ corporis longitudinis circiter aequante, squamis per annulos dispositis vestita et apice tantum aculeorum complanatorum penicillo instructa." — Ipse autem *Bennetius* fluctuat cui formationi partes illae caudae penicillum efficientes sint adnumerandae. Equidem eas, ob analogiam cum similibus partibus in Hystricum cristatae caudae apice occurrentibus (vide infra notam p. 370), aculeis adnumerandas esse putarem.

brevior, secundo fere aequalis, quintus seu externus secundo brevior. Ungues (ib. Fig. 5), pollicis rudimento, ungue lamnato instructo (Fig. 4. *a*), excepto, falculares, mediocres, satis validi, apice parum acuti, pagina inferiore parum fortiter atque profunde canaliculati, pagina superiore convexi, lateribus modice compressi. Pedum posticorum digiti (ib. Fig. 6) antipedum digitis breviores, omnes unguibus falcularibus (ib. Fig. 7) instructi, brevioribus autem et magis subungulaeformibus quam in antepedibus. Hallux omnium digitorum brevissimus, sed pollice longior. Digitus quintus seu externus halluce longior. Digitus medius, secundo et quarto aequalibus longior et omnium digitorum longissimus. Plantae et palmae (ib. Fig. 4 et 6) depiles, et, sicuti digitorum pagina inferior, epidermide glabrata obductae, sulcis tamen satis profundis, quibus eminentiae sunt interpositae, exaratae. Rostrum pilis brevibus et brevissimis, plus minusve rigidis, interdum admodum tenera lanugine parcius intermixtis densius obsessum vel rarius obtectum. Frons setis mediocribus vestita. In vertice, occipite et cervice, nec non in dorsi parte anteriore seu interscapulio setae elongatae, validae, versus dorsum crassitie et longitudine sensim auctae, $\frac{1}{2}$ — 1′ longae, jubam erectilem, cristae similem efficientes. In mento et ingluviei initio pili breves vel brevissimi, teneri vel vix subrigidi. Maniculorum et podariorum dorsi pars superior setis rigidis, $1\frac{1}{2}''$ circiter longis, supra basin dilatatis, compressis et striae longitudinalis vestigio instructis, inferior autem digitis propinquior setis teretiusculis vel teretibus, curvatis, ungues superantibus et obtegentibus vestita. Gula, extremitatum interior facies, et abdominis posterior pars seu inguina setis brevioribus fortibus, supra basin attenuatam paulisper dilatatis, tereti-compressis vel compressis, plus minusve distincté per longitudinem striatis vel subsulcatis, in apicem setiformem, tenuissimum, admodum elongatum desinentibus cooperta. In jugulo et paraucheniis, porro in pectore, abdomine, nec non in corporis laterum infima parte et extremitatum mediae partis externa facie pari modo setae abdominis gulaeque setis similes, sed multo fortiores et longiores et paulo magis aculeiformes inveniuntur. In armis et epigastriis, nec non in hypogastriis et hypochondriorum anteriore parte et extremitatum supremae partis exteriore facie

setae pectoris abdominisque setis similes quidem, sed fortiores, longiores aculeisque magis adhuc vicinae, compressae vel vix compressae, apice setaceo vel aculeorum modo brevi, forti, pungenti instructae observantur, quae versus dorsum ambitu accrescentes sensim sensimque in aculeos veros transeunt. Medium dorsum seu tergum, hypochondriorum posterior pars, lumbi, prymna et uropygium aculeis veris, pollices duos ad decem vel ultra longis, 1‴ ad 3‴ latis, teretibus, vel apice setiferis, vel subulatis, vel compressis et acutis, erectilibus obsessa. Aculeorum omnium longissimi (haud raro pedales) et latissimi, pennarum scapis elongatis similes, plerumque in apicem rectum, subulatum, plus minusve compressum et ancipitem, pungentem, interdum etiam (et quidem in aculeorum longiorum, medio dorso impositorum longioribus potissimum) in apicem elongatum, attenuatum, setiformem *), rarius complanatum desinentes, in tergo et hypochondriorum superiore parte conspiciuntur. Prymnae latera aculeis fortibus, sed tergi aculeis multo brevioribus tecta. Prymnae mediae partis aculei laterum aculeis multo breviores et angustiores; sed paulo frequentiores et apicibus convergentes. Uropygii aculei laterales pari modo aculeis mediis fortiores et longiores, sed prymnae aculeis lateralibus breviores et minus fortes. Cauda maxima ex parte quidem aculeis veris, rectis vel curvatis, subulatis, tres pollices et ultra longis obsessa, in baseos inferiore pagina setas et setas aculeiformes aculeosque apice setiferos teretes offert, in apicis summo autem aculeos plures (8 — 12) $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ pollices longos (Tab. VII. fig. 19 et 21) in parte basali (*a*), pedicellum tenuissimum, longum exhibente, admodum angustos, supra partem basalem autem insigniter dilatatos (ib. *b*), pennarum anserinarum scapos ambitu aemulantes vel superantes, teretes vel compressos, in tota parte dilatata (*b*,) tubulosos et parietibus tenuibus, paulisper pellucidis, elasticis et sonoris instructos, in apice (*c*) plerumque (Fig. 19 et 21) truncatos et apertos, interdum aculeis singulis, admodum planis, (Tab. VII. Fig. 20) apice (*c*) clausis et acuminatis **) intermixtos ostendit. Codarium

*) Considerari possunt hi aculei, quasi jubae setaceae cervicalis continuatio seu aemulatio.

**) Aculei apice clausi, non in omnibus individuis obvii, transitum quodammodo parant a reliquis caudae aculeis ad aculeos peculiares apice truncatos et apertos et forsan aculeorum apice trun-

brevissimum, admodum parcum, tenerum, fere sericeum, juxta setas aculeosque e cute erumpens, in nonnullis individuis fere evanidum. Inter setas et aculeos corpus obtegentes pili sparsi, ex parte subrigidi, vel flexuosi, aculeos vix vel parum superantes observantur, quorum quidem, qui aculeis longioribus sunt interpositi reliquis longiores evadunt. Praeterea vero quoque setae sparsae, solitariae, rigidae (num forsan quod ad functionem, vibrisis aequiparandae?) praesertim in corporis laterum inferiore et extremitatum superiore parte animadvertuntur.

Asiae et Africae, forsan etiam Europae australis *) incolae.

Speluncas vastas, simplici exitu vel pluribus instructas effodiunt, in quibus diem degunt et dormientes hibernant, quas vero vere, aestate et auctumno, sed nocturno tantum tempore ad pabulum quaerendum caute deserunt. Herbis, radicibus, fructibusque vescuntur. Vox grunniens. Quotannis 2 — 4 pullos edunt. Iratae pedibus terram pulsant insimulque caudam moventes aculeis tubulosis, apice truncatis invicem pulsatis crepitant et tutelae causa aculeos dorsum obtegentes erigunt vel etiam conglobantur.

1. HYSTRIX CRISTATA Linn.

Hystrix cristata Linn. syst. nat. ed. 12. T. I. p. 76. n. 1. — *Gmel.* syst. nat. T. I. P. I. p. 118. n. 1. — *Erxleb.* syst. p. 340. — *Zimmermann* Geogr. Gesch. II. p. 395. — *Schreber* Säugeth. p. 599. tab. 167. — *Tiedemann* Zool. I. p. 463. — *Oken* Naturgesch. Zool. II. p. 875. — *G. Fischer* Zoognos. Vol. III. p. 100. — *Ranzani* elementi della storia naturale dei Mammiferi Vol. II. Bo-

---

catorum juniorem statum sistunt et dum ipsorum apex deteritur in aculeos apice apertos et truncatos mutantur. Aculei vero peculiaris formae et apice clausi et aperti in *Hystricum* caudae apice obvii aculeorum illorum propriorum in *Hystricis fasciculatae* caudae apice occurrentium analoga videntur, cui quidem sententiae potissimum etiam aculei apice clausi plani (ab auctoribus, quantum scio, nondum commemorati) favent.

*) Quae in Europa australi (nominatim in Italia) inveniuntur *Hystrices* secundum variorum auctorum testimonia in Europam transvectarum et efferatarum progenies esse dicuntur.

logna 1820. p. 448. — *Cuvier* règne anim. 2. ed. Vol. I. p. 215. — *J. B. Fischer* Synopsis mammal. p. 366. — *Griffith* anim. kingd. Vol. III. 87, Vol. V. Synops. n. 680. — *Wiegmann Handbuch der Zoologie.* Berlin 1832. p. 59.

Le porc-épic Buff. Hist. nat. XII. p. 409. tab. 51.

Le porc-épic d'Europe ou d'Italie (Hystrix cristata Linn.) *Fr. Cuvier* in Mémoires du Museum T. IX. p. 430; Dictionnaire des sciences nat. T. XLII. p. 528; *Ejusdem* et *Geoffroy*, Histoire des mammifères Livr. 34. — *Isidore Geoffroy St. Hilaire* Dictionn. classique d'hist. nat. Vol. XIV. p. 213. — *Lesson* manuel de Mammalogie p. 288.

Le porc-épic commun (Hystrix cristata) *Desmarest* Mammal. p. 344. n. 555.

The crested porcupine (Hystrix cristata *Linn.*) The gardens and menagerie of the Zoological Society Vol. I. p. 171.

Porcupine European variety. Griffith anim. kingd. T. III. p. 203.

Hystrix. Rajus synops. anim. quadruped. p. 206. (Descriptio partium externarum accurata, imo descriptione aliorum naturae scrutatorum recentiorum, qui eum secuti sunt, accuratior!!) — *Gesn.* Quadrup. p. 563. *c.* Fig. — Aldrov. digit. p. 471. *c.* Fig. p. 474. — *Jonst.* Quadrup. p. 173. tab. 68.

Hystrix manibus tetradactylis, plantis pentadactylis, capite cristato (The porcupine) *Hill* the history of animals p. 528.

Character essentialis.

Rostri nasique apex pilis parum densis, brevibus ita obtectus, ut cutis plus minusve transmicet.

Descriptio.

Caput crassum, subelongatum. Labia tumida, pilis sparsis, brevibus vel brevissimis, rigidis vel subrigidis, cutem haud prorsus occultantibus, parum dense obsessa. Labium superius profunde fissum. Rhinarium pilis sparsis, brevibus, rigidis vel subrigidis, cutem transmicantem haud occultantibus vestitum. Vibrissae semipedales et ultra, atrae. Prope vibrissarum basin pili breves, solitarii, ita ut cutis non

sit obvelata, et fere prorsus transmicet. Narium aperturae rimas subcurvatas, admodum longas (1″ 3‴ longitudine aequantes) exhibentes. Supra narium dorsum pili setacei, brevissimi, vix semipollicares, sat sparsi, cutem transmicantem parum obtegentes. Pili frontem operientes modice vel parum densi, setacei. Regio oculos ambiens fere calva, et pilis perpaucis, brevibus tantum obsessa. Menti et ingluviei anterioris partis pili rigidi, vel vix subrigidi, teneri, parum densi. Aculei apice aperti in caudae apice obvii (Tab. VII. fig. 19), $2\frac{1}{2}$″ longi, in parte apicali 2‴ lati, fere teretes vel parum compressi. Codarium tenuissimum, parcum, breve vel brevissimum. Caput et nucha vel caput, nucha et collum griseo-nigricantia vel nigricantia. Setae elongatae occiput et nucham occupantes 1′ et ultra longae, griseo-nigricantes, in medio et apice vero albae. Setarum aculeiformium medium collum occupantium pars apice alba et semicollare album efficiens. Abdomen, et regio anum ambiens, sicuti extremitatum latus interius, nec non manicula et podaria brunneo-nigra, vel nigro-brunnea. Setae aculeiformes humeros, corporis latera et extremitatum latus exterius occupantes basi tantum albi, maxima ex parte vero e subbrunneo griseo-nigricantes vel nigricantes. Humeri et latera igitur e subbrunneo griseo-nigricantia vel nigricantia. Setae aculeiformes corporis laterum posteriorem partem occupantes saepius apice albae. Aculei medio dorso inserti plerumque albo et nigro annulati et apice plerumque albi, aculei vero prymnae latera obtegentes, sicuti aculei e corporis laterum parte superiore et anteriore originem ducentes, basi albi, apice nigri. Aculeorum prymnae medium et caudae superiorem paginam occupantium omnes basi apiceque albi, medio nigri. Caudae baseos inferioris partis setae et aculei albi vel flavescentes vel fuscescentes. Pedum posticorum latus extremum saepe brunneo irroratum.

Cranium (Tab. VIII. Fig. 1, 2) cum sequentis speciei cranio (ib. Fig. 3, 4) comparatum brevius, in parte jugali paulo angustius, in anteriore et media parte altius, admodum convexum, versus latera magis convexum et devexum. Processus nasales ossium intermaxillarium angustiores, basi magis convexi, apice valde angusto vero ossis cujusvis singuli nasalis partis adjacentis latitudine et processus

maxillae orbitalis marginis posterioris longitudine fere triplo angustiores. Processus orbitalis maxillae magis sursum versus processus nasalis ossis intermaxillaris postremam partem elongatus, supra os lacrymale sursum prominens et marginis sui posterioris longitudinis tertia parte longior. Processus orbitales et zygomatici maxillae sutura non conjuncti, sed connati. Ossa nasi latiora, supra admodum convexa, parte posteriore multo magis retrorsum, imo adeo ultra cranii medium tendentia et usque ad orbitae medium contra porrecta atque ante apicem posteriorem insigniter dilatata et quarta circiter parte latiora, in apicis posterioris margine interno autem devexa et intracta, ita ut in ossium nasalium invicem conjunctorum suturae postrema parte sulcus brevis exoriatur, qui cum sulco ab ossium frontalium margine interno effecto confluit. Os zygomaticum tenuius et parte postica duplo vel plus duplo angustius. Ossis lacrymalis antica pars paulo magis deorsum elongata, superior pars autem ab ossis maxillaris parte frontali superata. Ossa frontalia admodum convexa et devexa et prope suturam, qua invicem conjuguntur introrsum etiam devexa, in ipsa autem sutura sulcato-impressa, ita ut ossium frontalium margines interni invicem conjuncti sulcum longitudinalem constituant. Margo internus cujusvis ossis frontis longitudine sua $\frac{1}{6}$ fere totius cranii longitudinis partem aequans et tertia circiter suae longitudines parte brevior quam in sequente specie. Cristula a margine orbitali ossis frontis versus marginem ipsius posteriorem discurrens parum distincta. Ossa bregmatis lateribus minus convexa. Ossis temporum partis squamosae posterior pars latior. Hiatus supra meatum auditorium obvius magis insignis. Processus pterygoidei paulo magis extrorsum directi. Mandibulae angulus paulo angustior et limbo minus incrassato instructus.

Mensurae.

Corporis longitudo inde a rostri apice usque ad caudae apicem	2′ 5″
Capitis longitudo a rostri apice ad aurium basin	4″
Rostri longitudo ab apice nasi ad canthum oculorum anteriorem . . .	$2\frac{1}{3}$″
Caudae longitudo	5″

Patria. Species, quam descripsimus, in collectionibus vulgaris, in regno Neapolitano, in civitate Romana, porro in Hispania et Sicilia, nec non in Africa boreali (*Cuvier*) reperitur, forsan autem in Europa haud indigena est.

Vivendi genus. Loca culta fugit. Colles lapidosos, aridos, versus meridiem vel ad Africum spectantes amat, ibique profundas effodit cavernas pluribus exitibus instructas, in quibus secure vivit, quasque nocturno tantum tempore pabuli quaerendi causa deserit. Crepusculo elapso caute appropinquatur portae speluncae primariae et exit tantummodo, si nullum percipit strepitum. In hortos quoque interdum invehitur. Hieme in habitaculo dormit et nullum assumit pabulum, sed simulac primi veris dies sereni et calidi intrant expergiscitur. Aegre in universum movetur. Olfactus organon valde evolutum, reliqua autem sensus organa minus perfecta habet. Ad quindecim vel viginti annorum aetatem pervenire fertur. Praeter homines, qui carnis sapidae causa ipsam inquirunt neminem timet. Alia enim animalia ei vix mali aliquid afferre possunt, dum semper hosti partes aculeis munitas obvertat, et dentibus quoque vehementer mordeat. Captae tantummodo in cavis laminis ferreis vestitis retineri possunt, brevi enim tempore asseres crassos praerodunt. Quodammodo quidem mansuescunt, sed vix familiares fiunt. Majo, et quidem nocturno tempore, copulantur aliorum animalium more, dum femina aculeos demittit et mas dorsum ejus ascendit teste *Fr. Cuviero.* Augusto mense, igitur 60 — 70 dies post coitum, pulli circiter 7 — 8 pollicares oculis apertis instructi aculeisque tecti et colore parentibus similes nascuntur.

2. HYSTRIX HIRSUTIROSTRIS. Nob.

Character essentialis.

Rostri nariumque apex pilis brevibus admodum dense obtectus.

Descriptio.

Reperitur in Museo Academico specimen *Hystricis* vetustum, quod pro *Hystrice*

cristata habebam cuique cranium extrahere curavi*). Inspecto autem cranio et cum *Hystricis cristatae* craniis duobus, invicem similibus, comparato ad eam sum adductus opinionem, de similitudine specifica cum *Hystrice cristata* haud posse cogitari. Examine igitur comparativo inter tres *Hystricis cristatae* pelles et pellem, de quo loquimur, instituto, diversitates quoque externae sunt repertae, quae assumtis cranii differentiis memorabilibus speciem peculiarem sane indicare videntur.**)

Caput paulo crassius et admodum dense setis, vel pilis obsessum. Rostrum pilis cutem prorsus occultantibus dense tectum. Nasus pilis brevissimis, rigidis, dense vestitum, *Hystricis cristatae* naso, ut videtur, paulo angustior. Narium aperturae externae breviores. Supra narium dorsum et circa vibrissas pili setacei, parum elongati, circiter pollicares, rigidissimi, densissimi, cutem prorsus obtegentes. Pili frontem obtegentes admodum densi, elongati, setacei. Regio oculum ambiens paulo minus calva. Auriculae paulo breviores et rotundiores videntur. Pili setacei elongati, cristam setaceam vertici, occipiti et cervici impositam efficientes vix paulo largiores atque longiores. Aculeorum elongatorum apice setaceo, elongato instructorum, medii dorsi parti anteriori impositorum numerus major et ipsi aculei graciliores, et distinctius adhuc quam in antecedente specie affinitatem cum setis jubam cervicalem formantibus manifestantes. Aculei aream oblongam, in dorsi posterioris partis et prymnae medio obviam occupantes, anterioribus basi nigris exceptis, omnes albi. Aculei apice truncati in caudae apice summo obvii breviores, vix $1\frac{3}{4}''$ longi, sed supra basin fere duplo latiores et $3\frac{1}{2} - 4'''$ lati (vid. Tab. VII. Fig. 21). Reliqui caudae aculei albi. Regionis anum ambientis setae paulo rigidiores, fortiores, albae

---

*) Ne quis forsan suspicaretur, cranium extractum ab alio animali desumtum et pelli inditum fuisse, ut deficiente in pellibus effarciendis cranio haud raro fit, notandum est, cranium extractum cum capitis pelle ex parte adhuc coalitum esse repertum.

**) Pertinet forsan nostra species ad illas *Hystricum* formas, de quibus *Cuvier* s (*Règne anim.* 2. *ed.* Vol. I. p. 215) in descriptione *Hystricis cristatae* in universum ait: Il y en a (i. e. des Porc-épics) mais à têtes moins bombées dans les Indes et en Afrique. Quae *Fr. Cuvierus* (*Mém. du Muséum* T. IX. p. 431) de Hystrice e Cayenne allata cum *Hystrice cristata* comparata affert: „que les teintes des ses parties sombres sont plus pâles et que ses épines sont sensiblement plus minces" etiam ad nostram speciem quadammodo quadrant.

vel maxima ex partae albae et basi tantum nigricantes; regionis anum ambientis color igitur albus.

Cranium (Tab. VIII. Fig. 3, 4, 5, 6) cum *Hystricis cristatae* cranio (ib. Fig. 1, 2) comparatum quod ad molem majus, paulo magis elongatum, parietibus fortioribus instructum, in parte nasali depressum, in parte frontali parum convexum et subdepressum et in parte jugali latius. Processus ossium intermaxillarium nasales latiores, basi magis depressi, apice truncato multo latiore ossis cujusvis singuli nasalis parti adjacenti latitudine fere aequales vel paulo latiores, sed maxillae processus orbitalis adjacentis marginis posterioris longitudinis tertia parte latiores. Processus maxillae orbitalis supra os lacrymale haud elongatus, et margine suo superiore truncato ossis lacrymalis marginem superiorem haud superans, atque posteriore margine dimidia circiter longitudinis parte, processus nasalis ossis intermaxillaris margine posteriore vero tertia circiter longitudinis suae parte brevior. Ossa nasi angustiora, supra depressa, fere plana, versus latera parum devexa, parte posteriore minus retrosum tendentia et orbitae anteriorem quartam partem contra obvia, ante apicem posteriorem vero vix latiora et in marginis interni postrema parte haud impressa et introrsum devexa. Os zygomaticum paulo brevius, sed multo fortius et latius, in posteriore parte duplo latius. Ossis lacrymalis exterior pars minus deorsum elongata. Ossa frontalia minus convexa, supra in anteriore parte subdepressa et in sutura qua invicem conjunguntur haud impressa. Margo internus cujusvis ossis frontis longitudine sua quartam circiter totius cranii longitudinis partem aequans et tertia circiter longitudinis parte longior quam in antecedente specie. Cristula arcuata, obtusa, e margine orbitali ossis frontis versus marginem ejus posteriorem retrorsum assurgens distincta. Ossa bregmatis magis convexa. Ossis temporum partis squamosae pars posterior latior. Hiatus supra meatum auditorium obvius, paulo minus insignis. Processus pterygoidei paulo minus extrorsum directi. Mandibulae angulus latior et limbo magis incrassato instructus *).

---

*) Quas modo laudavimus *Hystricis hirsutirostris* cranii differentiae observationibus in duorum craniorum speciminibus institutis nituntur.

Mensurae.

Corporis longitudo inde a rostri apice usque ad caudae apicem	2′, 5″
Capitis longitudo a rostri apice usque ad aurium basin	3½″
Rostri longitudo a nasi apice usque ad oculorum canthum anteriorem .	2″
Caudae longitudo	3″

Patria ignota.

SUBFAMILIA II.

PHILODENDRAE.

Character essentialis.

Dentes molares omnes radicibus duabus, tribus vel quatuor instructi. Scansores.

Character naturalis.

Molares recti, quod ad magnitudinem varii. Ultimus plerumque reliquis paulo minor, sed interdum penultimo major, primus secundo et tertio interdum major, saepe vero etiam paulo minor. Molarium singulorum corona in universum magis tumida, quam in antecedente subfamilia et supra radicem impressione parva circulari (cingulo) instructa, qua a radicibus disjungitur. Maxillae molares (Tab. VII. Fig. 2. *a*, *b*, *c*, *d*) omnes trirhizi, radice interiore (α) omnium maxima, oblonga, dilatata, compressa, recta, radicibus duabus exterioribus (β γ) conicis vel compresso-conicis, subrectis (in molari ultimo [ib. *d*]), vel apice parum divergentibus (in molari secundo [ib. *b*] et tertio [*c*]) vel fortiter divergentibus, sicuti in molari primo (*a*). Mandibulae molarium (ib. *e*, *f*, *g*, *h*) cujusvis lateris anterior (*e*) plerumque dirhizus, radice anteriore (α) elongata, conica, antrorsum vergente vel compressa, radice posteriore (γ) autem anteriore interdum fere duplo latiore, compressa, apice emarginata et fere dirhiza, interdum etiam trirhizus, et tunc antice dirhizus, postice monorhizus. Mandibulae molarium secundus (*f*) et tertius (*g*) radicis posterioris divisione tetrarhizi et radicibus (α, β, γ, δ) conicis, compressis instructi, quarum duae

posteriores (γ, δ) basi plus minusve sunt conjunctae. Mandibulae molarium ultimus (*h*) trirhizus, radice posteriore (γ) duabus anterioribus (α, β) duplo latiore et magis compressa. Molarium singulus longitudinaliter dissectus (ib. Fig. 13 et 16) cavitatem (*c*) coronae basin maxima ex parte occupantem, in sectione fere trapezoidalem ostendit, et in corona (*b*) et substantia vitrea (*e*, *e*, *e*, *e*) obductus et substantiae vitreae plicis in substantiam coronae osseam intrantibus instructus observatur. In cujusvis radicis (*a*, *a*) e substantia ossea tantummodo compositae et in medio canali excavatae apice vero plus minusve truncato foramen, sine dubio nervis vasisque intrantibus destinatum, conspicitur*). Molares parum detriti coronam margine superiore paulisper intractam offerunt, quae in medio cujusvis lateris (et externi et interni) impressionem seu emarginationem in maxillae molarium pagina externa et mandibulae molarium pagina interna subrectam (Fig. 10, 12, 14. *a*) oblongam, in maxillae molarium pagina interna et mandibulae molarium pagina externa autem subobliquam et subtringularem (ib. *c*) exhibet**). Ambae quidem impressiones (*a*, *c*) apicibus internis saltem sibi sunt oppositae, et in coronam intrantes, fere invicem attinguntur, et coronam in duas partes aequales, fere aequales vel inaequales, in partem anteriorem, et partem posteriorem, spatio intermedio angusto conjunctas, disjungunt.

---

*) Molares igitur quod ad texturam quasi medium quodammodo tenent inter dentes complicatos et obductos.

**) In junioribus animalibus, quorum dentes haud detriti sunt, in maxillae molarium externi e mandibulae malarium interni lateris superiore parte, praeter emarginationem laudatam duae adhuc, sed minores occurrunt, quas *Renggerus* in mandibula tantum inveniri exhibet; quarum quidem una ante emarginationem supra descriptam, altera pone eam observatur. Utraque autem emarginatio pari modo substantia vitrea est cincta, quae, si evanescit, annulos ellipticos in coronae parte anteriore et posteriore obvios (Fig. 10, 11, 14. *b*, *d*) efficit. — Interdum vero etiam in animalium adultorum molaribus emarginationum modo commemoratarum vestigia invenimus, sicuti e. c. in dente Fig. 12 exhibito, ubi in maxillae molari tres sunt emarginationes, quarum quae litera *a*, *c* designantur emarginationes sunt in adultorum dentibus obviae, quae vero sub litera *b* intelligitur emarginationem in junioribus animalibus plerumque tantum obviam sistit. — Notandum ceterum est emarginationum et substantiae vitreae plicarum in corona ratione molares similes esse *Philogaearum* molaribus, sed vitreae substantiae plicarum et emarginationum numerum et longitudinem minorem observari.

Singulae coronae impressiones dentis substantia vitrea intus cinguntur, quae quidem substantia plicam elevatam in corona exhibet. In quavis coronae parte seu dimidio annulus (Fig. 10, 14. *b*, *d*) ellipticus, insignis, e substantia vitrea formatus, in dentibus parum detritis elevatus et fossulam oblongam, substantiae osseae coronae impressam includens conspicitur. Praeter hosce annulos interdum annulus minimus subrotundus (Fig. 12. *e*) occurrit. Si dentes magis deteruntur impressiones et plicae plus minusve evanescunt (Fig. 11), atque in dentibus admodum detritis annuli illi e substantia vitrea formati etiam plus minusve inconspicui, imo interdum fere nulli inveniuntur.

Labium superius ante dentes incisivos parum triangulariter excisum, supra incisuram, sub narium septo, vix calvum, vel vix parum emarginatum, et sub narium septo pilis brevissimis obsessum. Vibrissae minus elongatae quam in antecedente subfamilia. Auriculae (Tab. VI. 2, 3) supra meatum auditorium oblique antrorsum vergentes, breves, angustae, oblongae, plus minusve dense pilosae, imo aculeis hoc illove loco obsessae, semper pilis, setis vel parvis aculeis undique cinctae et inclusae. Narium aperturae anticae fere semilunares vel subrotundae cutis plica (vix valvulam exhibente) obtectae. Corpus vel torosum, vel magis elongatum, quam in antecedente sectione, aut pilis largis et setis, aculeisve pilis inclusis, aut aculeis exsertis setisque pilis sparsis seu rarioribus intermixtis obsessum. Aculei fere semper teretes, rarius plani, apice acuti, subulati et pungentes, aut setiferi. Aculeorum apice subulatorum pars apicalis denticulis minimis, subtriangularibus, facillime deciduis, acutissimis circum circa dense obsessa (Tab. I. Fig. *E*, *F*, et Tab. IV. Fig. *C*) et scabra. Denticulis elapsis eorum loco areolae minimae, albidae (Tab. I. Fig. *E*) apparent, quae vero pari modo saepissime detritae inveniuntur. Cauda aut brevis, haud prehensilis et supra usque ad mediam partem aculeis pilis inclusis, in parte apicali tota autem setis obsessa, aut elongata et apice sursum prehensilis atque in baseos superiore facie aculeis solis vel aculeis pilis plus minusve intermixtis, in medio setis tecta, ultra medium in apicis superiore pagina calva. Pagina tota caudae inferior ad apicem usque summum semper setis tecta, quae in parte basali et in medii initio

fortiores, longiores, rigidiores, confertissimae et apice truncatae apparent, ita ut fere scopam*) oblongam constituant. Antipedes tetradactyli, verruca pollicari vel lamna pollicari haud instructi. Scelides aut digitis quatuor evolutis et unguibus falcularibus armatis et quinti seu hallucis loco verruca parva lamnata instructae, aut pentadactylae. Palmarum et plantarum (Tab. VI. Fig. 8, 10, 12, 14) epidermis calva, sed verrucis, vel complanatis, vel parum elevatis, subconicis, subacutis, et subaequalibus reticulatim tecta et fere subscutellata. Digitorum inferior pagina subscutellata.

Maniculorum podariorumque dorsum vel pilis rigidis, densis, ungues ad medium usque obtegentibus et involventibus tectum (*Erethizon*) vel pilis rigidis brevioribus, rarioribus, ungues parum obtegentibus et haud involventibus vestitum (*Cercolabes*). Ungues falculares aut mediocres, admodum curvati, compressi et acuti (*Cercolabes*) aut elongati, modice acuti, curvati, latiores et parum compressi (*Erethizon*).

Sectionis hujus crania cum antecedentis sectionis craniis comparata quae sequuntur offerebant differentias.

Pars cranii nasalis in universum paulo minus elongata. Ossium intermaxillarium processus nasales minus elongati et minus in cranii partem frontalem producti et cranii dimidia longitudine breviores vel tertiam tantum cranii longitudinis partem sua longitudine aequantes; partes palatinae in ipsorum sutura ante foramina incisiva impressae et fossulam (fere canalem) oblongam, angustam, ad dentes incisivos usque extensam efficientes. Foramina incisiva margine interno valde depresso instructa et eam ob causam in foramen unum amplum, magnum, subovale extra confluentia. Ossa maxillaria in partis palatinae inferiore pagina ante dentem molarem primum quovis latere impressione plus minusve insigni, subangulata, intus margine prominente acuto terminata, instructa, et in partis palatinae anterioris medio pone foramina incisiva in ipsorum sutura impressa. Ossis maxillaris processus zygomaticus et orbitalis invicem connati, fere extrorsum tantum vergentes, vix paulisper

---

*) Scopa supra descripta in scandendo utilitatem praebere et *Picorum* et *Dendrocolaptum* pogoniis pungentibus comparabilis videtur.

retrorsum directi et unus supra alterum supra et contra molarem primum obvii. Processus zygomaticus ceterum paulo brevior et antice latior, processus orbitalis autem longior et fere quadruplo angustior quam in antecedente subfamilia, longitudine ejus latitudinem e medio ejus exterioris faciei desumtam sexies vel duodecies circiter superante. Ossis zygomatici longitudo in margine superiore demensa quartam fere cranii longitudinis partem aequans, os zygomaticum igitur multo longius quam in antecedente subfamilia. Orbita et fossa zygomatica confluxae foramen seu cavum oblongum, postice dilatatum, et a marginis anterioris medio ad posterioris medium demensum tertiam cranii longitudinis partem circiter diametro sua aequans constituunt, quod pone ipsam anteriorem tertiam cranii partem incipit. Ossa lacrymalia minutissima, angustissima, cum maxilla antice, ut videtur, coalita et tantummodo in cranii facie laterali (numquam in superiore facie) in juniorum animalium craniis, et aegre quidem, conspicua. Ossis temporum pars petrosa supra meatum auditorium cum parte squamosa suturae ope arcte coalita. Bullae osseae magis quam in antecedente subfamilia evolutae et antrorsum elongatae. Mandibulae processus coronoidei margine posteriore profunde emarginati. Mandibulae quivis angulus in processum insignem, subtriangularem, paulisper introrsum et sursum curvatum protractus. Mandibulae (Tab. X. Fig. 4) rami pone symphysin magis inter se distantes, versus symphysin in angulum fere obtusum convergentes et in ipsius symphyseos pagina interna tota excavati et fossam latam efficientes, porro in pagina interna pone symphysin, supra marginem inferiorem vix paulisper elevati, sub dente molari ultimo autem depressi, et pone molarem ultimum, in processu condyloideo, crista multo angustiore et minore, sed acutiore plerumque quam in antecedente subfamilia instructi. Cujusvis molaris alveolus in maxilla in cavitates tres, in mandibula autem in cavitates duas, tres vel quatuor, septis insignibus disjunctas, ad recipiendas singulas molarium radices divisus.

Omnes Americanae, vel semper, vel maximum vitae tempus in arboribus degentes. Scansores expediti, quamvis stupidi et satis lenti. — Adnumeranda sunt huic subfamiliae genus *Erethizon Fr. Cuv.* et *Cercolabes Nob.*

I. ERETHIZON. Fr. Cuv.

Erethizon G. Cuv., (*Regn. an.* 2. *ed.*) *Less.*, *Voigt.* — *Hystrix Linn.*, *Penn.*, *Briss.*, *Schreb.*, *Dum.*, *Tiedem.*, *G. Fischer*, *Oken*, *Desm.*, *Griffith.*, *J. B. Fischer*, *Wiegmann* et al.

Character essentialis.

Cauda brevis, haud prehensilis. Pedum posticorum, pentadactylorum digiti omnes unguibus falcularibus instructi.

Character naturalis.

Corpus satis crassum, torosum et subinforme. Caput mediocre. Rostrum (T. VII. Fig. 18) obtusiusculum. Labium superius sub narium septo pilis brevissimis, interdum aegre conspicuis obsessum, supra dentes superiores fissum, sed parum fortiter quam in genere *Hystrix*, ita tamen, ut dentes incisivi in labii fissura parum profunda et acuta observentur. Pone dentes incisivos quovis latere labium superius tumidum apparet. Nasus abruptus, supra planiusculus. Narium aperturae externae antice fere semilunares, plica parva cutanea clausiles; sub plica cutanea extrorsum volva fere triangularis, prope volvam autem juxta narium septum propria narium apertura seu interna ad cavum narium ducens. Molaris primus reliquis major, ultimus penultimo paulo major vel ei aequalis. Molarium radices breviores et fortiores quam in sequente genere. Oculi parvi, nitidi, mansuetudinem et innocentiam produnt. Auriculae (Tab. VI. Fig. 2) oblongae, breves, parvae, densissime pilosae, prorsus pilis obvelatae et pilis tantummodo circumdantibus sepositis conspicuae, magis supra quam pone meatum auditorium sitae et oblique antrorsum vergentes. Pedes breves, robusti. Antipedes tetradactyli, pollicis vestigio extrinsecus prorsus non conspicuo. Antipedum digitus secundus et tertius aequales, duobus reliquis fere aequalibus longiores unguibusque longioribus et fortioribus instructi. Scelides pentadactylae. Scelidum digitus internus digito externo fere duplo brevior, digitus externus tribus reliquis,

longitudine fere aequalibus, vix sexta longitudinis parte brevior. Palmae (T. VI. Fig. 8) plantaeque (ib. 10) depiles, sed epidermide verrucis parvis, reticulatim positis, magnitudine fere aequalibus, vel depressis, vel etiam subconicis, parum acuminatis et parum elevatis instructae. Ungues falculares (ib. 9, 11) modice curvati, sat fortes et elongati, dorso convexi, lateribus modice compressi, pagina inferiore fortiter canaliculati. Unguium longiores quinquies vel sexies longiores, quam lati. Cauda oblonga, linguae, quod ad formam, haud dissimilis, corporis ab apice rostri ad ipsius apicem demensi quartam, ab apice rostri ad ipsius basin demensi autem tertiam partem longitudine sua circiter aequans et in superiore pagina liquorem oleosum, foetidum e parvis pustulis exsudans, qui aculeos pingues reddit. Corpus totum codario admodum evoluto, densissimo, in capite brevissimo vel breviore, in collo, abdomine et extremitatibus satis, in dorso autem maxime evoluto et elongato, 3 — 4″ longo obductum. Ex ipso codario in anteriore capitis parte tenuiori, quam in posteriore capitis parte, pili sparsi vel parum conferti, setacei, in corporis pagina superiore et lateribus longiores et fortiores, in anteriore capitis parte et latertibus ejus, nec non in gutture, abdomine, extremitatumque latere interno breviores et tenuiores prominent. In maniculorum podariorumque dorso codarium admodum parcum et plus minusve evanescens, sed ejus loco pili rigidi, subsetacei, mediocres vel subelongati, magis evoluti. Maniculorum podariorumque pili superiores magis elongati, retrorsum directi, inferiores autem breviores, rigidiores, setacei, magis conferti, adpressi, deorsum spectantes et palmarum plantarumque depilium margines superantes, apice vero deterendo quasi derasi *). Digitorum dorsum et unguium basis pilis setaceis breviusculis dense obtecta et ex parte superata et circumdata. Caudae pagina dorsalis et latera ejus codario evoluto pilisque elongatis intermixto dense obsessa, pagina inferior autem et apex totus codario quidem tenuissimo, raro, vix conspicuo, sed setis admodum confertis, pagina inferiore confertissimis, conniventibus, apice truncatis et pungentibus vestita. Praeter cordarium et pilos setaceos in fronte, vertice, occipite, cervice et

*) Maniculorum podariorumque pili plantarum palmarumque marginibus adpressi earum diametrum augent et in scandendo et permeanda nive auxilium praebere possunt.

colli corporisque lateribus, nec non in caudae superiore facie, excepto apice, aculei plus minusve evoluti, codario obtecti et inclusi, frequentissimi, retrorsum directi inveniuntur. Ingluvies, guttur, pectus, abdomen et extremitates, nec non caudae latera, sicuti inferior ejus pagina et apex aculeis prorsus sunt destituta. Frontis aculei aculeorum omnium sunt gracillimi, brevissimi et angustissimi (11‴ longi, $\frac{1}{3}$‴ circiter lati), sed versus verticem magnitudine augentur. Verticis aculei, et magis adhuc occipitis et cervicis aculei $1\frac{1}{2}$″ longi et $\frac{1}{2}$‴ lati, non solum frontis aculeis fortiores reperiuntur, sed etiam corporis laterum anterioris et mediae partis et interscapulii et tergi anterioris partis aculeos crassitie superant, quamvis hisce breviores observentur. Dorsi anterioris partis, collique et corporis laterum anterioris et mediae partis aculeorum (qui in universum occipitis aculeis paulo longiores sunt) alii, et maxima quidem eorum copia, fortiores breviusque acuminati evadunt, alii vero, aculeis longissimis admumerandi, tenues et flexibiles sunt et apicem tenuem, admodum elongatum, setaceum habent atque transitum in setas parant. Tergi posterioris partis et lumborum aculei omnium longissimi (2 — 3″ longi vel paulo longiores), fortissimi, 1‴ lati *), rigidi, haud flexibiles. Lumborum tamen aculei tergi posterioris partis aculeis paulo breviores apparent. Prymnae aculei lumborum aculeis dimidio vel plus breviores et tenuiores animadvertuntur. Aculei caudae superius latus vestientes in universum quidem lumborum aculeis paulo breviores, sed praeterea etiam, praesertim in medio, aculeis brevioribus, minoribus, quasi prymnae aculeorum continuationem efficientibus, intermixti reperiuntur.

Cranium (Tab. IX. Fig. 1, 2, 3) cum generis sequentis specierum craniis comparatum in universum fortius in parte rostrali et frontali angustius atque in parte jugali latius. Pars frontalis plerumque magis depressa, quam in sequente genere, supra fere plana. Ossa intermaxillaria in partis alveoris superiore pagina ante narium aperturam fere per totam longitudinem conjuncta, depressa et ante narium aperturam tantum impressa, ita ut sub narium apertura fossa triangularis, minus pro-

---

*) Inveniuntur igitur iisdem locis aculei longissimi, in quibus etiam in *Hystricibus* sensu strictiori animadvertuntur.

funda, antrorsum parum elongata conspiciatur. Ossa frontis in partis orbitalis margine posteriore, ubi cum ossis temporum squamae margine anteriore conjunguntur, in cristam longitudinalem, perpendicularem, fortem et insignem elevata, et juxta hujusce cristae marginem interiorem seu anteriorem impressa; in cranii superiore pagina, autem praesertim in margine interno, ossibus nasi multo breviora. Ossa nasi magis retrorsum elongata*) et apice posteriore marginis orbitalis ossis frontis medium contra obvia, parte antica paulo magis convexa, apice posteriore paulo angustiora. Ossa bregmatis minus convexa. Lineae semicirculares musculorum temporalium insertioni destinatae cristas insignes, obtusas, e marginis orbitalis eminentia insigni originem ducentes, partibus posterioribus invicem confluentes efformant. Ossa zygomatica parte posteriore angustiora, magis extrorsum curvata et pagina exteriore plerumque paulo magis convexa. Meatus auditorius osseus supra bullam satis insigniter prominens. Bulla ossea brevior minusque inflata, sed praesertim pagina interna et posteriore depressa. Ossis occipitis processus mastoideus liber, conicus, compressus et a bullae osseae ossis temporum postiore pagina spatio parum angusto disjunctus. Mandibula paulo latior et in laterum medio paulo magis convexa.

Americae septentrionalis plagas etiam maxime boreales ad sinum usque Hudsonium habitant et corticibus, foliis et gemmis pinorum, salicum, tiliarum, corni aliarumque arborum vivarum, sed etiam herbis recentibus vescuntur et arbores Bradypodum more foliis spoliant. Edentes pabulum antipedibus sustinent. Arbores quidem unguium acutorum ope pabuli quaerendi causa facillime ascendunt, sed magnum etiam vitae tempus in domiciliis suis, quae in arborum truncis vel radicibus excavatis habent, dormientes degunt et vix milliarii spatio ab iis recedunt. In sylvis potissimum densis inveniuntur, praecipue in regionibus montosis vel sabulosis, sed interdum, quamvis rarius, etiam sylvas deserunt et in campis herbis delectantur. Aestate canum more aquam assumunt, hiberno autem tempore aquae loco

---

*) *Fr. Cuvierus* (*Mém.* p. 425) ossa nasi breviora appellat (vide infra notam).

nivem lambunt, quamvis aquam in universum fugiant. Animalium rapacium, ursorum, luporum etc. hominumque insidias effugere tantummodo possunt dum arbores ascendunt et tenuissimis ramis adhaerent, vel dum arborum cavitates capite et anteriore corporis parte intrant et corporis partem posteriorem spinis majoribus munitam hosti obvertunt, vel dum conglobantur, vel dum abdomen pedesque solo firmiter appliquant et dentibus incisivis, validis vehementer mordent, vel caudae ictu sauciant. Ob corpus obesum, et quia in incessu tibia et tarso nituntur, admodum lente moventur, qua de causa etiam a venatoribus facile capiuntur et haud raro unico ictu in rostrum dato occiduntur. Incedentes caudam in solo trahunt. Vexati vocem gementem seu ejulantem infantum clamori similem et fere a septem vocum discriminibus ad sex descendentem edunt. Septembre coeunt, ventre, ut ajunt, supino. Mares coitum appetentes admodum feroces sunt et dentibus atque aculeis invicem atrociter pugnant. Unum tantummodo pullum (teste *Sarrasin**)) vel duos (teste *Richardson*) vel tres ad quatuor (*Harlan*) quotannis Aprili pariunt. Pulli pilis aculeisve tecti nascuntur et a matre per unum tantummodo mensem, ut tradunt, lactantur. — Caro sapida dicitur.

Genus non solum partium externarum craniique notis allatis, sed etiam vita peculiari a veris Hystricibus admodum diversum.

1. Erethizon dorsatus.

Culmi arborescentis, 4 — 6-pedalis *Ramos* vidi pedales, crassitie pennae anserinae vel corvinae, solidos, lignosos, teretes, ob ramulos foliiferos, qui confertissimi, digitales l. ultrapalmares et stricto-erecti, scopam secundam referentes, dum floriferorum ramuli superiores patuli eosdem superne latiores reddunt. — *Internodia* ramorum pl. min. bipollicaria. — *Ramuli* semiverticillati, plurimi ex eodem nodo, tenues, juniores basi squama vaginante scariosa decidua tecti, brevius et adpresso-ramulosi: ramulis hisce inferne denudatis, superne confertim foliosis.

Vaginae ramulorum plures, altera alteram vaginantes, breves, sulcato-striatae, glabrae: inferiores aphyllae. — *Ligulae* loco apex vaginae rotundatus.

Folia patula, sublanceolato-linearia, pungentia et quasi acerosa, ramulorum suprema ultrapollicaria (inferiora breviora), vix lineam lata, utrinque laete viridia, glabra.

Flores in jubulis racemoso-thyrsoidibus, pl. min. pollicaribus, ramulos terminantibus, lineari-oblongis, densis, basi foliolo involucratis, pl. min. secundis. *Axis* subtriqueter, satis tenuis, plurimam saltem partem ex altero tantum latere emittens radios brevissimos, approximatos, nunc solitarios et statim supra basin divisos, nunc aliquot fasciculatos, quorum alii uniflori alii compositi, sub lente pubescentes: radiolis pedicellos formantibus spicula plerumque pl. min. longiores.

Spiculae 3-florae, subfusiformes, 3-lineales, compressiusculae, nunc obtusiusculae nunc acutiusculae, demum fuscescentes. — *Glumae* minutae, chartaceae, ovatae, obtusae, cum pedicello continuae: inferior pl. min. brevior.

Flosculi chartacei, ob rhacheos articulos brevissimos nec nisi callum referentes arcte imbricati: duo inferiores *neutri*, 1-valves, subaequales, hermaphrodito dimidio vel fere dimidio breviores, 3-nerves, submucronulato-acuti, sub lente dorso asperiusculi, carinato-compressiusculi. — *Hermaphroditus* terminalis, clausus, bivalvis: valvulis chartaceis, aequilongis, concavis potius quam compressis: inferiore mucronulato-acutiuscula, 7-nervi, superiore plerumque obtusa, 3-nervi: nervis subobsoletis.

Lodiculae squamae 3, ovario paulo longiores, membranaceae, ovatae, acutiusculae, apice fimbriatae, inferne nervatae.

Ovarium oblongum, glabrum. — *Styli* 2, breves. *Stigmata* plumosula, alba.

Stamina 3. *Filamenta* (juniora) brevia. *Antherae* lineares, luteae.

Hab. in Brasilia: specimina nostra e monte Itacolumi et e S. da Carassa. *Taquara* Bras. (quo nomine et reliquae Bambusaceae, v. gr. *Bamb. virgata*, *capitata*, *barbata*, *Arundinaria parviflora* rel. incolis dici solent).

Obs. I. Species cognitas ita definiendas esse censemus:

1) *Chusquea pinifolia nob.* Spiculis racemoso- et compacto-paniculatis, 3-linealibus (glabris); Glumis minutis, obtusis; Valvulis neutris subaequalibus, hermaphrodito dimidio brevioribus; Foliis angustissimo-sublineаribus (subacerosis), concoloribus.

Bras. — *Arundinaria? pinifolia N. ab Es!* Agr. bras. p. 525.

2) *Chusquea Dombeyana Kunth.* Spiculis patule et lucidule paniculatis, 3-linealibus (pubescendo-hirtulis); Glumis minutis, obtusis; Valvulis neutris subaequalibus, hermaphrodito dimidio brevioribus; Foliis lanceolatis, subtus glaucescentibus.

Peruv. — Kunth. rev. gram. tab. 191. Agr. syn. p. 428. app. p. 350.

3) *Chusquea scandens Kunth.* Spiculis contracto-paniculatis, 3-linealibus; Glumis flosculis ⅔ brevioribus, acutissimis; Valvulis neutris inaequalibus: superiore hermaphrodito circiter quartam partem breviori; Foliis lineari-lanceolatis, concoloribus.

Chile. — Kunth. Agr. syn. p. 428.

Nastus Chusque Humb. et Kth. R. et S. VII. p. 1360.

Bambusa Chusque Poir.

4. *Chusquea Quila Kunth.* Spiculis lucide paniculatis, 3-linealibus?; Glumis acuminatis: superiore flosculis dimidio breviori; Valvulis neutris subaequalibus, hermaphrodito ⅓ brevioribus; Foliis lineari-lanceolatis, subtus glaucescentibus.

Chile. — Kunth rev. gram. tab. 77. Agr. synopt. p. 428. app. p. 351.

Arundo Quila Poir. (an *Molina?*)

Nastus Quila R. et S. VII. p. 1361.

5) *Chusquea Gaudichaudii Kunth.* Spiculis conferto-paniculatis, 5-linealibus; Glumis parvis, acuminatis; Valvulis neutris inaequalibus: superiore hermaphrodito paulo breviori; Foliis lineari-lanceolatis, subconcoloribus.

Bras. (prope Rio Janeiro). — Kunth rev. gram. tab. 78. Agr. syn. p. 428. app. p. 352.

Rettbergia bambusoides Raddi (sine dubio).

6) *Chusquea capituliflora nob.* Spiculis suborbiculato-capitatis, 3 — 4-linealibus; Glumis acuminatis: superiore flosculis plus dimidio breviori; Valvulis neutris pl. min. inaequalibus: superiore hermaphroditum aequante; Foliis lanceolatis, vix discoloribus.

Bras.

Obs. II. *Chusquea* fortasse non aliter ab *Arundinaria* differt, quam *Nastus* a *Bambusa* distingui solet, i. e. flosculis inferioribus univalvibus et neutris; numerus stigmatum enim et rudimenta terminalia vaga. Inter ipsas *Arundinarias* genuinas occurrit species (*Ar. parviflora*) flosculo infimo 1-valvi, sterili, sicut in *Chusquea capituliflora* interdum flosculi ejusmodi *tres* infra hermaphroditum inveniuntur.

ARUNDINARIA SPATHIFLORA.

Rami coram sunt duo, circiter pedales, lignosi, inanes, crassitie pennae gallinaceae, glabri, rubendo-fuscescentes, alter folii- alter floriferus, emittentes ex altero nodi latere ramulos 3 — 4, fasciculatos, adpresso-erectos, tenuiculos, multinodes et pl. min. laxe ramosissimos, dodrantales — pedales.

Vaginae chartaceae et lutescentes, plerumque laxae imo hiantes, internodiis longiores et altera alteram vaginantes, striatae, glabrae, cum folio articulatae: inferiores aphyllae. — *Ligulae* loco apex vaginae utrinque lanceolato-, brevi- et erecto-auriculatus et ad auriculae basin posteriorem saepe emittens cirrulos aliquot perbreves.

Folia numerosa, patula, lanceolato-linearia, acuminatissima, basi in petiolum brevissimum attenuata, pollices 2 — 3 — 4 longa, lineas pl. min. 3 lata, glabra,

utrinque punctulis sub-exasperata, marginibus vix scabriuscula, laete viridia, concolora.

Florum racemi in ramulorum ramulis laxis, tenuissimis, multinodibus, inferne denudatis terminales et axillares, tam hi quam illi involucrati vagina ipsis subduplo longiori, paulo ampliata s. spathiformi et plerumque aphylla, rarius foliolum subpollicare ferente, breves et plerumque non nisi e spiculis 2 formati, quarum altera subsessilis, altera longius pedicellata.

Spiculae dissitiusculae (inferior circiter 9-linealis, superior ultrapollicaris) 4 — 8-florae, compressiusculae, fuscescendo-pallidae. — *Glumae* acutae, chartaceo-membranaceae, flosculis suis circiter $\frac{1}{3}$ breviores: inferior paulo minor, lanceolato-linearis, 1-nervis, superior lineari-lanceolata, 9-nervis.

Flosculi ad rhachin, cujus articuli ipsis $\frac{2}{3}$ breviores et apice barbula flosculi basin stipante coronati sunt, distiche et dissitiuscule alterni (infimus non sessilis sed perinde articulo brevi suffultus), lineari-lanceolati, glabri, acuminatissimi, omnes hermaphroditi et bivalves: valvula inferior membranaceo-chartacea, 9 — 11-nervis, superne scabriuscula, compressiusculo-concava, fere lineas 8 longa; superior 5-linealis, compressiuscula, substantiae ejusdem, tenui-bicostata et praeterea utrinque binervis, inter costas satis anguste canaliculata. — *Flosculus penultimus* 7-nervis, sterilis, valvulam involvens superiorem brevissimam et membranaceam, ad cujus basin exsurgit *Rudimentum* flosculi valvulaceum, longo-subulatum, brevissime pedicellatum.

Lodiculae squamae 3, lanceolatae, superne fimbriatae.

Ovarium oblongum, glabrum. — *Styli* et *Stigmata* in flosculis aliis 2, in aliis 3: illi perbreves, haec pubescendo-plumosula, brevia.

Stamina 3. *Filamenta* demum elongata. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis lineari-oblonga, glabra, libera, dorso canaliculata, scutello perbrevi.

Hab. in Nepalia.

ARUNDINARIA PARVIFLORA.

Rami, qui suppetunt, crassitie pennae aquilinae, teretes, inanes, glabri, ad nodum glabrum exserentes fasciculos semiverticillatos et densissimos ramulorum tenuissimorum, qui filiformes, patuli, dodrantales l. pedales, simplices aut superne ramulo uno alterove aucti, plurinodes, inferne pl. min. geniculati et nudi sunt, apicemque versus folia et flores terminales ferunt.

Vaginae angustissimae, arctiusculae, striatae, glabrae, cum folio articulatae: inferiores internodio multo breviores et aphyllae, superiores altera alteram vaginantes, foliiferae. — *Ligula* obsoleta.

Folia totius rami plurima, in ramuli cujusvis parte superiore aliquot confertiusculo-alterna, patula, lineari-lanceolata, acuminata, e basi ovata in petiolum brevissimum constricta, multistriata, glabra, margine vix scabra, pollices $1\frac{1}{2}$ vel $2\frac{1}{2}$ longa, lineas circiter 3 lata, utrinque glaucescentia.

Racemus florum e vagina suprema prodit folio ipsum saepe superante stipatus, pl. min. pollicaris, formatus e *Spiculis* 7 — 9, ad axin communem tenuem et glabrum imbricato-secundis, excepta suprema sessilibus, solitariis, primum cylindraceis, demum magis compressis, 5 — 6-linealibus, sub- 6-floris, pallide virentibus. — *Glumae* chartaceae, acuminatae, flosculis suis circiter dimidio breviores, basi contiguae, concavae: inferior plerumque brevior (nam rarius subaequales inveniuntur), 5-nervis, superior 9-nervis.

Flosculi ad rhachin brevissime articulatum, continuum, glabrum bifariam imbricati: inferiores ejusdem fere longitudinis, supremi paulo breviores: infimus 1-valvis, sterilis, persistens, lanceolatus, caudulato-acuminatus, 9-nervis; reliqui bivalves, hermaphroditi, demum decidui: Valvula inferior singulorum simillima infimae neutri, concava; superior, dum juvenilis adhuc, inferiore fere triplo brevior, depressa, obtusa et ad margines circumcirca ciliata, adulta inferiore paulo brevior, ejusdem substantiae, apice tantum ciliatula, bicarinata, et inter carinas

canaliculata et nervo unico notata, lateribus praeter nervos carinales utrinque 3-nervis.

Lodiculae squamae 3, subaequales, acutiusculae, superne fimbriatae: laterales 2 ovatae; dorsalis angustior, lanceolato-oblonga.

Ovarium oblongum, glabrum. — *Stylorum* et *Stigmatum* numerus ob statum nimis juvenilem incertus.

Stamina 3. *Filamenta* (juvenilia) brevissima. *Antherae* lineares, flaventes.

Hab. in sylvis pr. Ypeneḿa Bras.

Obs. Habitus *Arundinariae verticillatae N. ab Es.*, exceptis spiculis confertis et multo minoribus.

ARUNDINARIA INTERRUPTA.

Hujus non vidimus nisi *Ramum* floriferum et aphyllum ultrabipedalem, strictiusculum, simplicem, crassitie pennae columbinae, teretem, glabrum, inanem, per distantias (inferiores spithamaeas superiores ultrapalmares) nodosum et ex his nodis omnibus, quorum infimus brevissime et quasi tomentoso-barbulatus, emittentem *ramulos* plurimos, densissime fasciculatos, patulos, 2- l. sub- 3-pollicares, simplices, aphyllos, a basi floriferos ipsaque basi squama una alterave membranacea, lanceolata l. ovata stipatos.

Spiculae ad quemvis ramulum 4 — 5, alternae, pl. min. distantes, pedicello ipsis breviori et glabro insidentes (terminali longius pedicellata), fusiformes, teretiusculae, lineas 6 longae, ex ochraceo et fusco variae. — *Glumae* membranaceae: inferior flosculo suo duplo brevior, lineari-lanceolata, acuta, carinata, 5-nervis, marginibus superne ciliata; superior paulo longior et latior, 9-nervis, non carinata, minus acuta.

Flosculi 2 (cum rudimento tertii): inferior sessilis, superior insidens rhacheos articulo, ipso $\frac{1}{3}$ vel fere $\frac{1}{2}$ breviori, sub lente puberulo. Valvula utriusque flos-

culi inferior ovato-oblonga, acutiuscula, membranaceo-chartacea, 9-nervis, imo apice ciliatula, concava, non carinata. Valvula superior aequilonga vel inferiorem subexcedens, cylindraceo- et compressiusculo-convoluta, dorso canaliculato-exarata, bicarinata, utrinque praeterea binervis, marginibus antrorsum contiguis.

Lodiculae squamae 3, oblongae, obtusiusculae, nervatae, superne longiuscule ciliatae.

Ovarium (juvenile) lineare, glabrum. — *Styli* 2. *Stigmata* subsessilia, 3? *Stamina* 3? *Filamenta* elongata. *Antherae* . . .

Flosculus rudimentalis terminalis, angustissimus, reliquis paulo brevior, valvulaceus, minimus, pedicello longo, crassiusculo et pubescente suffultus.

Hab. in Nepalia.

ARUNDINARIA DISTANS.

Culmi (altissimi, scandentis, basi pollicem dimidium crassi) rami diffusi, quos vidimus tripedales, crassitudine fili metallici, filiformes, glaberrimi, multinodes, internodiis paulo geniculatis, pl. min. palmaribus. *Ramuli* ad nodum quemvis terni quinive, rarius solitarii, fasciculato-verticillati, plerumque horizontali-patentes imo recurvi, palmares et spithamaei, singuli basi vagina membranacea, lineari-elongata et patula stipati, ramo ipso vix tenuiores, simplices vel inferne ramulum unum alterumve breviorem et patulum emittentes, plurinodes, foliiferi apiceque floriferi.

Vaginae altera alteram vaginantes, arctae, striatae, glabrae, margine scabriusculae, cum foliorum petiolo articulatae, inferiores saepe aphyllae. *Ligula* brevissima, e lateribus emittens cirrulos plures, 1 — 2-lineales, erectos.

Folia pl. min. patentia imo refracta, e basi ovata lineari-lanceolata, mucronulato-acutata, in petiolum brevissimum (interdum obsoletum) constricta, per distantias pl. min. semipollicares alterna, lineas 10 — 18 — 30 longa, lineas 2 — 3 lata, glabra, multistriata, subtus glaucescentia et nonnumquam scabriuscula.

Spiculae in apice ramulorum ad axin communem pertenuem et glabrum, hinc convexum inde canaliculatum 3 — 4, alternae, distantes, interstitia aequantes, erectae, brevipedicellatae, 8 — 12-lineales, fuscae aut fusco-purpureae, 2 — 3 — 4-florae. — *Glumae* pusillae nec nisi lentis ope conspicuae, a flosculis remotae, chartaceae, enerves, oblongae l. cordato-ovatae, acutiusculae: inferior paulo brevior et angustior.

Flosculi dissiti, lineari-lanceolati, chartacei, 6-lineales: inferior stipiti brevi glumas vero satis longe excedenti insidens; superiores in rhacheos articulis tenuibus, glabris, ipsis dimidio brevioribus. Valvula inferior lineari-lanceolata, acutissima l. acuminata, glabra, 7-nervis, compressiusculo-concava; superior parum brevior, aequilata, compressiuscula, bicarinata et inter carinas canaliculata, subenervis.

Lodiculae squamae 3, lanceolato-oblongae, acutiusculae, obsolete nervatae, fimbriato-ciliatae.

Ovarium glabrum. — *Stylus* brevissimus. *Stigmata* 2, plumosula.

Stamina 3. *Filamenta* (juvenilia) brevissima. *Antherae* lineares.

Rudimentum terminale nullum.

Hab. in sylvaticis umbrosis montis Itacolumi Bras.

Obs. Specierum mihi cognitarum notas, cum crescendi modus non nisi imperfecte cognitus nec in herbariis perspicuus sit, et folia specierum parum differant, a floribus solis desumtas hasce propono:

a) *Glumis flosculis suis dimidio brevioribus.*

1. *Arundinaria macrosperma Mchx.* Spicula (in pedunculis fasciculatis) subsolitaria, 6 — 10 flora; Flosculis acuminatissimis; Rhacheos articulis brevibus, pubescentibus.

Amer. bor. — R. et S. II. p. 846. suppl. II. p. 465. *Arundinaria tecta Mühlbg.* — *Arundinaria bambusina Trin.* Fund. Agr. — *Triglos-*

sum bambusinum Ht. Gor.! — *Miegia macrosperma Nutt.* — *Arundo tecta* Walt. — *Ludolfia tecta Dietr.*

an huc etiam *Arundo gigantea Walt?*

2. *Arundinaria spathiflora nob.* Spiculis (in racemis terminalibus axillaribusque spatha involucratis) binis, dissitiusculis, 4—8-floris; Flosculis attenuato-acuminatissimis articulis rhacheos apice barbula coronatis $\frac{2}{3}$ longioribus.

Nepal.

3. *Arundinaria verticillata N. ab Es!* Spiculis (in racemis tam verticillatis aphyllis quam ramulorum foliiferorum terminalibus) 1 — 5, dissitis, 5 — 10-floris; Flosculis acuminatis; Rhacheos articulis brevissimis, glabris.

Bras. — N. ab Es. Agr. bras. p. 523. — Kunth rev. gr. tab. 155. 156. Agr. syn. app. p. 348. — *Ludolfia verticillata Dietr.*

4. *Arundinaria parviflora nob.* Spiculis (in racemis terminalibus) 7 — 9, imbricato-approximatis, 5 — 6-floris; Flosculis caudulato-acuminatis; Rhacheos articulis brevissimis, glabris.

Bras.

5. *Arundinaria interrupta nob.* Spiculis (in racemis verticillatis, aphyllis) 4 — 5, dissitis, bifloris; Flosculis acutiusculis rhacheos articulis puberulis subdimidio longioribus.

Nepal.

b) *Glumis pusillis.*

6. *Arundinaria distans nob.* Spiculis (in racemis terminalibus) 3 — 4, dissitis, 3 — 4-floris; Flosculis acuminatis rhacheos articulis glabris dimidio longioribus.

Bras.

(*Arundinariae glaucescentis PB.*, foliis albendo-glaucis insignis, flores mihi ignoti.)

BAMBUSA VIRGATA.

Culmi (25-pedalis, inferne pollices 2 — 3 crassi) *Rami* suppetunt alii crassitie fere digiti minoris, alii pennae corvinae, glabri. E nodis emittunt *ramulos* (in nostris speciminibus senos) fasciculatos, satis tenues, plurinodes, compositos, crassitie et longitudine inaequales: fasciculorum inferiorum digitales — spithamaeos, aphyllos, a basi floriferos; superiores s. terminales ultrapedales, apicem versus (ob vaginas imbricatas) sensim incrassatos et foliiferos, ex ipso apice floriferos: omnes virgatos.

Vaginae ramulorum plures, inferiores aphyllae, superiores internodio longiores, imbricatae, sub lente pubescentes, margine ciliatae, foliiferae. — *Ligula* brevissima, utrinque producta in auriculam brevem, chartaceam, e marginibus emittentem cirrulos plures, 1 — 2 lineales.

Folia patula, versus ramulorum apicem subdistiche approximata, lanceolato-linearia, acuminata, basi in petiolum fere bilinealem et tomentoso-pubescentem attenuata, multistriata, majora 4-pollicaria et lineas 5 — 7 lata, supra scabriuscula et subsordide viridia, infra pubescentia et subcanescentia, margine interiori hispidula, exteriori vero ciliatula.

Flores in fasciculis sessilibus, basi squama una alterave lanceolata involucratis, formantibus paniculam spiciformem, interruptam, angustam, palmarem — dodrantalem, dilute viridem. *Axis communis* teres, glaber, pluriarticulatus sed continuus, fasciculos exserens alternatim (rarius spiculas subsolitarias) per intervalla ad summum pollicaria.

Spiculae in fasciculis ditioribus (non computatis minoribus aliquot intra paleas inferiores occultatis) 3 — 4, teretiusculae, attenuato-acutissimae, nitidulae, 4 — 8-florae, longiores fere pollicares, breviores pollicem circ. dimidium longae: paleis imbricatis, sensim majoribus, supremis autem iterum brevioribus et angustioribus. — Paleae infimae s. *glumae* (inter quas saepe spicula accessoria brevis latet) membranaceae, perbreves, oblongo-ovatae, 2: inferior axi adpressa, bicarinata,

ad carinas apiceque mucronulato brevissime ciliatula; superior vix longior mucronulata, 7-nervis: nervo medio carinali, lateralibus tenuissimis.

Flosculi ad rhacheos continuae articulos brevissimos sensimque longiores et tenuiores imbricato-alterni, omnes bivalves: inferiores 1 — 2 steriles, sequentes masculi, supremus hermaphroditus. Valvulae exteriores ovatae, compressiusculo-concavae (non carinatae), subconvolutae, margine ciliatae: flosculorum sterilium breviores, 9 — 11-nerves; masculorum majores, 15 — 17-nerves; hermaphroditi angustior, arcte convoluta, 13-nervis: nervis omnium pertenuibus, apicem versus magis conspicuis. Valvulae superiores flosculorum praeter hermaphroditi omnium depressae, postice excavatae, antice conduplicatae marginibus-contiguis, apice rotundatae, dissite bicarinatae et praeterea nervis 5 — 7 tenuissimis notatae, ad flexurae angulos dense ciliatae: flosculorum sterilium et masculi ante hermaphroditum supremi brevissimae, masculorum reliquorum valvula inferiore tertiam partem vel fere dimidio breviores; hermaphroditi angusta, lanceolata, acutissima, inferiorem aequans, convoluta, in speciminibus nostris nimis juvenilis quam ut nervorum situs et numerus rite explorari possint.

Lodiculae squamae in flosculis masculis nullae; in hermaphrodito 3? (non nisi 2 distinguere licuit: alteram ovatam, inferne nervatam, superne fimbriatam, alteram lanceolatam, angustiorem, breviorem et glabram).

Ovarium? Stylus?

Stamina 6. *Filamenta* (juvenilia) brevissima. *Antherae* lineares (in masculis infimo et extremo ut et in hermaphrodito minimae, in masculis reliquis duplo saltem longiores).

Hab. in sylvis montis Geraldo prov. Minarum Bras.

BAMBUSA CAPITATA.

Culmi (15 — 20-pedalis) *ramos* habemus ultrapedales, crassitie pennae corvinae, teretes, farctos, glabros, strictissimos, simplices, usque ad capitulum florum infimum vaginis tectos et foliosos, apice floriferos.

Vaginae altera alteram vaginantes, arctae, glabrae, apice utrinque auricula brevi auctae plerumque emittente cirrulos perbreves; inferiores demum aphyllae. *Ligula* chartacea, brevissima, truncata.

Folia subsessilia, cum vagina articulata, patula, numerosa, approximata, stricta et firma, sublanceolato-linearia, acuminata, inferne carinata, multistriata, undique glabra, pollices 6 — 10 longa, lineas 4 — 7 lata, capitula florum satis longe superantia (superiora breviora et magis lanceolata), infra glaucescentia, supra gilvo-viridia, siccitate saepe fissa.

Flores in capitulis s. glomeribus magnitudine nucis Juglandis ad axin e rami extremitate formatum 1 — 3, pl. min. distantibus, sessilibus, densis, nunc nodum circumcirca ambientibus nunc lateralibus tantum.

Spiculae substellatim divergentes, basi stipatae squamis aliquot inaequalibus, membranaceis, multinervibus (infima axi adpressa bicostata), imbricatis, (inter quas spicula una alterave accessoria, multo minor et angustior pullulare solet), quarum superiores 2 pro spicula singula *Glumarum* loco sunt.

Flosculi in singula spicula (praeter rudimentum terminale) 3, ad rhacheos continuae articulos brevissimos sensimque longiores distiche imbricato-alterni, sublineari- et cylindraceo-convoluti, lineas 5 — 6 longi, angusti, chartacei, obtusiusculi, glabri, patuli, omnes hermaphroditi, bivalves. Valvula inferior concava, 13-nervis (nervo medio superne paulo fortiori et subinde in mucronulum exeunte), obvolvens valvulam superiorem aequilongam vel paulo longiorem, depressam, dorso canaliculatam, antice conduplicatam marginibus contiguis, dissite bicostatam et

praeter costas tenui- 9-nervem. — Flosculi extremi s. tertii fusiformis et arctissime convoluti valvula superior brevistipitata, dorso non canaliculata sed pariter arcte convoluta. — *Rudimentnm* flosculi quarti, si adest, stipitatum, fusiforme, angustissimum, valvulaceum.

Lodiculae squamae 2, (numquam 3 inveni), ovario latiores et longiores, inferne plurinerves, apice erosulo-obtusiusculae et brevissime ciliatulae.

Ovarium oblongum, superne puberulum. — *Stylus* puberulus, ovario paulo longior. *Stigmata* 3, stylo longiora, pubescentia.

Stamina 6. *Filamenta* demum elongata. *Antherae* lineares.

Fructus caryopsis sublinearis, libera, apice puberula, dorso sulco lato exarata, in sulci fundo linea elevata percursa, fusca. — Fructus in unius ejusdemque spiculae flosculo infimo maturus, semimaturus in secundo, dum in tertio vix genitalia etiamnum bene explicata sunt.

Hab. in ripa flum. Pardo Bras.

BAMBUSA BARBATA.

Culmi (20 — 25-pedalis, basi pollices 3 crassi) *rami*, quos vidimos, ultrapedales, teretiusculi, nunc laeves nunc scaberrimi, plurinodes: *alii* crassitie pennae corvinae, ad nodos exserentes ramulos ternos binos l. solitarios, patentes, dodrantales vel breviores, mere floriferos; *alii* crassitie pennae anserinae, quorum ramuli inferne et superne flores, medio folia gerunt; *alii* mere foliiferi.

Vaginae numerosae, altera alteram vaginantes, coriaceae, arctae, laevissimae, nitidae, non nisi apicem versus striatae et subcarinatae, ad alterum carinae latus longitudinaliter brevi- et dense barbatae, apice truncatae, cum folii petiolo articulatae: inferiores aphyllae. *Ligula* brevissima, coriacea, truncata, utrinque interdum exserens cirrulos brevissimos, erectos.

Folia patentia, in ramis mere foliiferis satis approximate disticha, oblongo-lanceolata, basi cordato-ovata in petiolum cuneiformem 3 — 4-linealem contracta, acuminata, spithamaea — dodrantalia, lineas 10 — 18 lata, glabra, subsulcato-striata, interdum margine denticulo uno alterove munita, praesertim subtus subglaucescentia. In ramulis inferne superneque floriferis folia intermedia 3 — 4, magis lanceolata, paulo breviora et angustiora.

Flores in capitulis s. glomeribus magnitudine cerasi minoris, in inferiore ramulorum parte confertis, reliquis distantibus, nunc nodum ambientibus nunc lateralibus tantum, sessilibus, compositis e fasciculis spicularum plurimis.

Spicularum fasciculi densi, squarroso-divergentes, viriduli, basi vestiti paleis membranaceis, plerumque 9-nervibus, imbricatis, sensim majoribus, intermixtis brevibus et brevissimis, foventibus hinc inde spiculam juniorem, multo minorem et angustiorem. Supremae harum palearum pro spicula *glumarum* locum tenent. — *Spiculae* ipsae lanceolato-ovatae, quo adultiores eo latiores, 3 — 5-lineales, compressiusculae, 3-florae.

Flosculi ad rhacheos articulos brevissimos et glabros imbricati, sensim majores: duo inferiores 1-valves, *neutri*, compressiusculo-concavi, herbaceo-chartacei, glabri, mucronulato-acuti, 13-nerves: nervo medio paulo fortiori et subcarinali. Flosculus tertius s. supremus *hermaphroditus*, bivalvis: Valvula inferior neutris simillima; superior longior, aequilata, chartacea, valde compressa, callo brevi dilatato insidens, tenuissime et subobsolete 13-nervis: nervis 2 carinalibus, membranaceo-alatis alisque hisce angustis sese invicem obvolventibus ita, ut cum sulco inter carinas profundo tubum forment, intra quem fovent *Rudimentum* longitudine valvulae ipsius, longe pedicellatum, apice valvuliforme.

Lodiculae squamae 3, membranaceae, oblongae, glabrae, ovario longiores et latiores, aequilongae, inferne multinerves: nervis 3 — 5 percurrentibus.

Ovarium brevipedicellatum, oblongum, primum pilosulum demum glabrum.

— *Stylus* pubescens ovario multo longior, discedens in *Stigmata* 2? 3?, pubescentia.

Stamina 6. *Filamenta* demum elongata. *Antherae* lineares, flavae.

Hab. in sylvis provinc. Minarum Bras.

Obs. *Nasti* species est, generis a *Bambusa* notis essentialibus et stabilibus non separabilis nec nisi subdivisionem sistentis, praecipue valvula superiore non ut in Bambusa genuina *depressa*, sed *compressa* insignem; notae enim a flosculis neutris 1-valvibus et a rudimento petitae, in Bambusaceis vagae sunt.

FOETUS HUMANUS PRODIGIOSE

M O N S T R O S U S,

A

P. ZAGORSKY

DESCRIPTUS CUM DELINEATRONE.

(Conv. exhib. 11. April. 1834).

Inter objecta, quibus Musaeum nostrum anatomicum anno praeterito auctum est, attentionem curiosorum meretur foetus humanus, immaturus, masculus, plurium organorum orbus, totoque paene dimidio corporis superiore abnormis, qui ideo, juxta receptam a physiologis divisionem monstrorum in classes, ad monstra *per defectum simul et deformitatem* referri debet.

Praeter faciem nimis foedam ob partium, quae in statu normali pulchritudinem faciei conciliant, oculorum nempe et nasi privationem, aspectum objecti magis deformem reddunt cranium abnorme et ipsi insidentes, ab una parte, excrescentia carnosa, pectiniformis, ab altera, saccus cutaneus insignis, protensus ad truncum, et cum hoc ita confluens, ut nullum hic adesse collum videatur

Tantae monstrositatis subjectum accepimus a civili Wolhyniae Gubernatore, qui, priusquam illud ad Academiam miserit, datis ad perillustrem vice-praesidem nostrum litteris, talem communicavit notitiam: „Faemina rustica, in districtu Zaslawiensi, enixa est foetus gemellos, quorum unus monstrosus acephalus est.“ *)

---

*) Foetús hic non est acephalus, sed, ut talis putatus et appellatus, forsan per errorem et inexperientiam illius, a quo Gubernatori relatio de rei eventu facta erat, et cui capitis monstri cum trunco confluxus horrendeque deformis facies imposuisse et ansam, cur illud pro acephalo habitum et annunciatum est, praebuisse potuerunt.

Notitiae huic nullae aliae accedunt circumstantiae: nil dicitur, num gemelli vivi vel mortui partu sint editi, nec sexus alterius foetus, unacum cum prole monstrosa nati designatur, neque de organisatione corporis hujus, num illa sit normalis vel abnormis, quidquam memoratur. Exinde tamen, quod ultimo hoc respectu, nihil de altero gemello dictum est, illum non vitiose conformatum supponere licet.

Partum gemellorum immaturum, qui tamen non ante septimum et dimidium graviditatis mensem, ut videtur, vel paulo serius evenit, demonstrant: parvitas, teneritasque capillorum et unguiculorum pedum, parva etiam corporis foetus monstrosi longitudo, quae per filum, ab ora pectiniformis excrescentiae cranii ad calces ductum, mensurata, non excedit 11 pollices.

Praemissa de abnormitate monstri nota generali, specialia vitia conformationis, secundum corporis partes principales in sequenti descriptione proponuntur, et externa eorum, adnexâ delineatione, illustrantur.

Caput.

Ratione ad corpus habita, caput monstrosi foetus praegrande videtur. Volumen ejus adaugent duae exuberantiae cranii, quarum regionem sinistram tenens sat crassa, ad tactum solida est, anticitus et posticitus compressa, pectiniformis, pilis obsita, rugas aliquot parvas in anteriore sui superficie habens, extrorsum, simul antrorsum et deorsum pergens, sub se ipsam flexa desinit: dextra autem sistit tumorem amplum, glabrum, mollem, qui ad thoracem parum, versus humeros, praecipue dextrum, magis, et maxime sursum et postrorsum ad dorsum dilatatur; et tali modo ad truncum, ut supra indicatum est, continuatus, undique cum illo confluit, relictis solum parvis excisuris ad latera, circa humeros. Tumor hic est cutis in formam sacci expansio.

Pectiniformis eminentia illa constat, ut postea innotuit, ex duplicatura tegumentorum et condensato textu celluloso, sacomati aliquo modo simili.

In parte posteriore inferiore sacci aderat parvum foramen lacerum, per violentiam, ut videtur, factum; et forsan sub doloribus et nixu parturientis, aut, quod itidem probabile est, ab incauta et rudiori manuum contrectatione, cui foetus, post partum, in liquore spirituoso prius servatus, inde dein depromptus, subjectus erat, ut a liquore liberaretur et frigori expositus congelaretur; sicque ad transportandum ex longinquo Petropolim tempore hyberno aptus redderetur*). Per illud foramen, procul dubio, effluxit humor, qui saccum implebat: nam, cum foetus adhuc in statu congelato esset, corpus ejus contractum et saccum ipsum collapsum, corrugatum vacuumque invenimus. Cum autem foetus, ut recongeletur, aquae frigidae immersus, per aliquot horas maneret, tunc aqua in saccum per rupturam ejus penetravit, illum implevit, distendit et formam ipsi impertivit subrotundam, qualis in icone repraesentatur. Tunc et corpus et aliae partes, quae per frigus erant contracta, pleniora evaserunt. Qualis fuit indolis fluidum, quod in sacco continebatur, decidi non potest. Saccus interne vestitus est membrana sat firma, intra quam cavitas ovalis, polita, nullam cum cavo cranii communicationem, ut ante sacci incisionem suspicari potui, habuit, et undique clausa erat, si excipias parvam in fundo ejus rupturam, rupturae ipsius sacci respondentem, per quam et humor contentus, forsan, serosus effluxit et aqua in saccum penetravit sub recongelatione.

Cranium, et absque dependentia ab exuberantiis descriptis, per se ipsum deforme, desuper magis quam alibi, compressum, et quasi angulatum est. Ossa cranii tam vitiose formata sunt, ut nullum eorum debitam formam habeat, sed quodvis ex aliquot constet portionibus, quarum margines, praecipue qui aliquando

---

*) Ex statutis Directorii publicorum cursorum nullae res fluidae ad transportandum, per cursum publicum vihicularem (тяжелая почта), admittuntur; hanc ob rem objecta ad historiam naturalem pertinentia, praecipue animalia, quae in liquore spirituoso, oleoso, etc. contra putredinem servantur, et e diversis provinciis vasti imperii ad societates litterarias transmittuntur, ne in itinere sine liquore corrumpantur, hyeme ut plurimum et in statu congelato transportantur, simili modo ac carnes recentes animantium domesticorum, ferarum, pisces, aves etc. venditum ex variis regionibus in metropoles et alias urbes imperii advehuntur.

suturas efficere deberent, spiculati, abinvicem distantes, sursum extrorsumque nonnihil flectuntur, et, loco hiatus rhomboidei sive fontanellae majoris, spatium rotundum, amplum, membrana obtectum, relinquunt. Cavum cranii, angustum, loco cerebri, massam informem, ceu spongiosam, coloris fusco-rufuli, velamentis inclusam continet.

Facies non minus, ac cranium, est deformis et situm nonnihil obliquum ad sinistra prae se fert. Oculi ex toto deficiunt. In medio faciei, infra frontem, reperitur foramen parvum, subrotundum, a quo abscedunt utrinque lineae, leviter impressae; dextra brevior, arcuata, sinistra recta, longior, transversa; ambae similitudinem palpebrarum, somno vel vividiore luce conniventium repraesentant. Stria etiam exilis a foramine ad locum, ubi nasus esse deberet, descendit. Haud procul extremitate externa dextrae, et ad ipsum finem externum sinistrae lineae, cernuntur eminentiae, quarum dextra paulo major sinistra est; utraque foveolam anticitus non profundam habet. Singula eminentia auriculam, foveola meatum auditorium externum, male formata simulant. Ope stili, foramini inditi, percipi potuit in fundo ejus excavatio, foramine latior; seu species orbitae, ut apud monoculos fit, sed non bene evolutae, in qua, dilatato foramine, visui sese obtulerunt membranulae tunicarum oculi imperfectae.

Nasus et foramina ejus antica, pariter ac postica, ut hoc postea sub contemplatione oris et faucium, constitit, desiderantur.

Os, labia et commissurae eorum sunt normalia; tantum apertura oris paulo minor relative, videtur, et directionem non perfecte transversam, sed nonnihil obliquam, faciei conformem habet.

In cavo oris gingivae, lingua, palatum et velum ejus cum uvula, larynx etiam, pone radicem linguae, in fundo anteriore faucium, reperiuntur: ostia autem tubarum Eustachianarum, foramina postica narium et pharynx, vel potius pars inferior pharyngis, a qua oesophagus continuari debet, non dantur.

Mentum et tota inferior pars faciei confunditur perfecte cum thorace, nec ullum anticitus intervallum, quod caput a trunco separet, adest, praeter exiguas

ad latera excisuras circa summos humeros; e contra conspicitur hic plica, quae a sinistra incisura per pectus ad epigastrium oblique descendit.

Truncus.

Spina dorsi normalis est.

Collum, quamvis externe videri non potest, ex debito tamen numero vertebrarum constare repertum est; et parti ejus inferiori, ob defectum inferioris partis pharyngis et ipsius, ut postea visum est, oesophagi, immediate adjacet initium tracheae, circa ingressum ejus in cavum pectoris.

Thorax justo brevior et latior videtur. Sterno caret; hanc ob causam fines costarum anteriores, debita junctura destituti, longe abinvicem distant, et amplum in anteriore parte thoracis intervallum relinquunt. Inde thorax in latum ampliatur. Cavum pectoris impletur massa informi, celluloso-fibrosa, nulla autem continet organa, praeter tracheam, quae hic, indivisa in bronchia, simplici tubo pergens, in massa illa perditur.

Septum transversum datur et formam normalem sistit, sed foramina ejus pro transitu oesophagi et vasorum majorum, ob defectum harum partium, desunt.

Abdomen angustum, magna parte tegumentorum et musculorum, quae in medio ejus parietem anticum constituere deberet, spoliatum, exhibet locum circularem denudatum. Solum peritonaeum, idque e regione dextra umbilici laceratum, obtegit intestina. Inferior pars hujus visceris prominet foras per rupturam peritonaei ab eadem, fortassis, causa, ac ruptura sacci cutanei cranii, exortam.

Supra rupturam, sinisterius magis, adest praeternaturalis processus peritonaei, taeniae sat longae non absimilis, infra quem cernuntur reliquiae funiculi umbilicalis abrupti vel abscissi circa annulum, et reliquiae, ut videtur, ambientis funiculum membranae, quae, sensim extenuata, alium longum, exilem, flexuosum processum sistit.

In cavo abdominis, quod perangustum est, desiderantur ex toto: ventriculus, illique subjacens pancreas et lien; hepar adest, sed parvum et formae abnormis.

Canalis interstinalis, bene quidem evolutus, extrema tamen ejus, initium scilicet duodeni et finis recti, impervia sunt. Sub diaphragmate incipit ille extremitate coeca, obtusa, subrotunda, factisque multis convolutionibus, insigniter versus regionem iliacam dextram dilatatur; dein in pelvim descendens, sensim angustior, tenuior, tandemque sub finem intestini recti, ad pollicis ab orificio ani distantiam, plane impervius evadit: in ipso tamen orificio, nonnihil dilatatus, aperitur.

Renes cum capsulis supra-renalibus, ureteres et vesica urinaria in statu normali reperiuntur. Testiculi etiam, non procul annulis abdominalibus, in abdomine haerentes, reperti sunt.

Partes genitales externae normales sunt et magis videntur evolutae.

Extremitates.

Artus superiores offerunt tantum summum humerum. Extremitas utriusque claviculae anterior, ob defectum sterni, libere inter partes molles haeret, posterior acromio scapulae jungitur. Brachium, antibrachium et extrema manus in utroque latere desunt.

Inferiores extremitates perfecte normales et bene evolutae sunt; id tantum abnormis in pede sinistro observatur, quod tres ultimi digiti ejus, in superficie dorsali ex toto, in plantari autem, circa bases solum sint inter se concreti.

ABNORMITAS
ORTUS ARTERIAE SUBCLAVIAE DEXTRAE.

OBSERVATA

A

P. ZAGORSKY.

(Conv. exhib. 27. Febr. 1835.)

Ad rariores varietates, in systemate sanguineo et speciatim in majoribus arteriis, quoad ortum, decursum et ramos earum, occurrentes, pertinet notabilis anomalia originis arteriae Subclaviae dextrae in latere opposito, quam mihi anno 1832, sub dissectione cadaveris hominis, mediae aetatis, observasse contigit, et quae est similis varietati, ante 27 annos descriptae in mea Commentatione: *De arcus Aortae abnormitate et unius ramorum ejus ortu insolito**).

In utroque casu, tam scilicet praesente, quam huic praevio, arteria Subclavia dextra non conjunctim cum communi ejusdem lateris Carotide, ut trunci Aortae status frequentissimus (qui ideo pro normali habetur) id postulat, sed proprio separato trunco, quod tamen nonnunquam evenit, exoriebatur; et, praeterea, contra naturalem, saltem magis constantem ordinem, non a dextra, sed a sinistra simul et posteriore arcus Aortae parte, infra et pone ortum cognominis sinistrae arteriae, incipiebat. Tam insueta unius ex grandioribus arteriis varietas non minus per se ipsam, quam ob raritatem casus, omnino digna est anatomicorum notitia.

---

*) Mémoires de l'Académie impériale des Sciences de St.-Pétersbourg. T. II. an. 1810. p. 318, 319.

Raram dico hanc varietatem, quia in plurimis cadaveribus humanis, quotquot, ab anno inde 1797, quo anatomiae Professoris in Imperatoria Medico-chirurgica Academia Petropolitana munus inivi, a me et sub directione mea a prosectore propter demonstrandas arterias, per lustra septem dissecta fuerant, nunquam mihi, ad annum 1832, istius modi anomalia occurrit, praeter supra memoratum, quod in sicco praeparato quinquennis circiter subjecti vidi, specimen et praeter adhuc duo alia exempla similia, quorum unius citationem in A. Halleri Iconibus anatomicis*) reperi, alterius descriptionem in Opere periodico Parisiensi, Bulletin universel dicto, jam post impressionem superius citatae commentationis meae, legi**). Illustrissimus Hallerus in VI fasciculo suarum iconum anatomicarum, in quo arteriae pectoris et brachii proponuntur, recensitis prius propriis et aliorum observationibus circa rariores aberrationes arcûs Aortae, dicit postea: „Clarissimus Hunauld, ex Aorta primo truncum communem Carotidum, tum Subclaviam sinistram, inde dextram, hanc retro truncum Aortae reflexam, prodeuntem descripsit in „Histoire de l'Académie des Sciences. 1735. p. 20:“ additque ulterius „Rara haec omnia si dixero, cum quadringenta nunc cadavera humana dissecuerim, fidem forte inveniam.“

Memorati casus, non solum anomala dextrae Subclaviae arteriae origine, sed eo etiam inter se conveniunt, quod arcus aorticus loco trium, qui ordinarie ex illo prodeunt ramorum, quatuor dabat, truncos distinctos, singulae nimirum Carotidi communi et unicuique Subclaviae proprium; in Parisino tamen casu Carotides, circa ortum, adeo inter se approximatae erant, ut communem quasi truncum habuisse viderentur. In illo autem, quem Hallerus citat, tres rami memorantur, nam Carotides communi trunco ab arcu incipiebant.

In primo casu, quem mihi praeparatum praebuit, ortus Subclaviae dextrae in latere sinistro manifeste visui sistitur, rami tamen, qui ex hac arteria in

---

*) A. Halleri Iconum anatomicarum Fasciculus VI. 1753 pagina 1.

**) Observation d'une anomalie remarquable dans la distribution d'une des branches de la Crosse de l'Aorte; par le Dr. Clement. Bulletin Universel. N. 5. Mai 1826. Sciences medicales. p. 10.

statu normali oriuntur, nulli hic cernuntur, in quantum illa denudata conspicitur; ulterior decursus ejus non erat, ut videtur, persecutus. Et haec est ratio, cur in illius casus descriptione, solius anomalae originis trunci, ramorum vero nulla a me facta est mentio. Nec in citatione Halleri, neque in observatione Parisina, praeter ortum perversum subclaviae et numerum ramorum arcus Aortae, quidpiam de ramis Subclaviae dicitur; memoratur tantum in ultimo casu, quod truncus Subclaviae dextrae ab initio, ad suam, pone oesophagum, in latus dextrum egressionem, duplo major socio sibi sinistro erat*).

Ut suppleam quae in praecedentibus casibus desiderantur, cum mihi novum, similis arteriae Subclaviae dextrae, a via normali deflexionis, exemplum sese obtulerit in cadavere recente, necessum duxi perquirere quales adsint et quomodo se habeant ad arteriam abnormem rami, qui ex arteria Subclavia ordinaria, si non semper, magis tamen constanter, oriuntur. Hunc in finem truncum, a parte sinistra arcus Aortae, infra initium Subclaviae sinistrae, paulo posterius exortum, caute persequebar dextrorsum ad musculos scalenos dextros, inter quos ille, emensus spatium duplo et fere triplo, quam ordinarium esse solet, longius, continuabat in cavum axillae.

Itaque, cursum anomalae Subclaviae dextrae comitans, sequentia observavi: Truncus hujus arteriae, a loco indicato, scilicet a parte sinistra arcus Aortae, exortus, primum oblique et sursum nonnihil, pone Subclaviam sinistram, ascendebat versus sinistrum latus columnae vertebralis, paulo superius synchondrosi vertebrae dorsalis 2 cum 3, tum ante earum corpora**), retro tracheam et oesophagum, dextrorsum ferebatur in superiore parte cavi pectoris, et inde egressus pergebat in collo. In hoc itinere, antequam collum attigerit, praeter paucos et parvos surculos ad partes vicinas, ablegabat duos notabiliores ramos ad

*) In praeparato etiam truncus hic, vel potius pars ejus denudata, crassior videtur, ratione habita ad aetatem subjecti: at in recentiori, quem nunc propono casu, vix perceptibilis, quoad volumen utriusque trunci, animadversa est differentia.

**) Juxta observationem Parisinam, ante 2 et 1 vertebrae corpora meabat, et in illis levem impressionem hic truncus effecit.

oesophagum et arteriam asperam. In collo, post exitum trunci e pectore, loco quinque ramorum, qui frequentius e Subclaviis oriuntur, nonnisi tres insigniores ramos reperi; et quidem 1. Trunculum sat crassum, sed brevem, qui a parte superiore anteriore Subclaviae, in distantia a Carotide statui ordinario aequali, incipiebat, moxque dehiscebat in ramum superiorem et inferiorem. Hic in cavum pectoris descendit, continuabat in superficie interna cartilaginum costarum et constituebat arteriam *Mammariam internam;* ille autem sursum pergebat, intravit in canalem vertebralem, constituebatque arteriam canali huic cognominem, scilicet a. *Vertebralem*, ex qua, ante introitum in canalem, exoriebatur a. *Cervicalis profunda.* Et e Mammaria, praeter plures ramos ordinarios, prodibat a. *Bronchialis dextra.* 2. Non procul illo, communi trunculo Vertebralis et Mamariae internae, a parte superiore Subclaviae incipiebat a. *Thyreoidea inferior*, quae non quatuor, ut saepius evenit, sed duos tantum notabiliores dabat ramos, nempe *proprie dictam* arteriam *Thyreoideam inferiorem*, et *Cervicalem ascendentem;* reliqui, minus constantes rami Thyreoideae, quales a. *Cervicalis transversa* et *transversa Scapulae*, quae non raro aliunde prodeunt, et hic non e Thyreoidea, sed prior immediate e Subclavia, cum haec jam inter musculos scalenos esset, posterior ex art. Axillari, communi trunco cum dorsali Scapulae, ortum habebat. Denique 3. Paulo ulterius, ab inferiore parte Subclaviae incipiebat *arteria Intercostalis suprema*, quae, aeque ac alii rami, quoad distributionem in organis, a quibus denominationes gerunt, nil peculiaris stiterunt.


SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01453 6056